ARCHIVIO STORICO BERTONIANO

SERIE III: FONTI BERTONIANE N. 4

MANOSCRITTI DI DON GASPARE BERTONI

VOL. IV
(5891-8085)

Trascrizione a cura di P. Luigi Benaglia

CURIA GENERALIZIA DEGLI STIMMATINI

ROMA 1999

Edizioni “Ta Stigmata:
Collaboratori Bertoniani”
Roma, novembre 1999

ARCHIVIO STORICO BERTONIANO

Serie I:

Cronache	N. 1	Cronaca Lenotti	(1855-1871)
	N. 2	Cronaca Zara	(1875-1877)
	N. 3	Cronaca Zandonai	(1873-1878)
	N. 4	Cronaca Tommasi	(1874-1879)
	N. 5	Cronaca Zara II	(1878-1889)
	N. 6	Cronaca Tommasi II	(1880-1882)
	N. 7	Cronaca Tommasi III	(1883-1885)
	N. 8	Cronaca Tommasi IV	(1886-1888)
	N. 9	Cronaca Tommasi V	(1889-1891)
	N. 10	Cronaca Tommasi VI	(1892-1894)

Serie II:

Prediche	N. 1	Discorsi dello Sposalizio	(1823-1851)
	N. 2	Discorsi su S. Francesco	(1808-1851)
	N. 3	Discorsi delle Stimmate di S. Francesco	(1823-1849)

Serie III:

Fonti Bertoniane	N. 1	Manoscritti di Don Gaspare Bertoni Vol. I
	N. 2	Manoscritti di Don Gaspare Bertoni Vol. II
	N. 3	Manoscritti di Don Gaspare Bertoni Vol. III
	N. 4	Manoscritti di Don Gaspare Bertoni Vol. IV

Seguiranno altre Serie come quella Giuridica, Biografica…

5891

MEDITAZIONE 24.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *v. 1 Reg. 7,1-7*: *Venerunt ergo viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Aminadab in Gabaa; Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini. v. 2: Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies: erat quippe jam annus vigesimus, et requievit omnis domus Jsrael post Dominum. v. 3: Ait autem Samuel ad universam domum Jsrael, dicens: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth: et praeparate corda vestra Domino, et servite Ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim. v. 4: Abstulerunt ergo filii Jsrael Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli. v. 5: Dixit autem Samuel: Congregate universum Jsrael in Masphat, ut orem pro vobis Dominum. v. 6: Et convenerunt in Masphat, hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini, et jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. Judicavitque filios Jsrael in Masphat. v. 7: Et audierunt*...

5892 Or su questa lettera etc. diciamo che, avendo già visto le disposizioni che precedono la vocazione al divin ministero e l'ordine della stessa vocazione quanto alla sua manifestazione e quanto alla sua esecuzione, seguita ora, per averne una compiuta idea, a conoscerne ancora gli effetti che si appalesano così nelli popoli sopra cui si eseguisce, come nella stessa persona del ministro che la eseguisce. E quanto alle persone suddite di questo fedele ministro, altri sono già perfetti, o s'incamminano alla perfezione, altri sono imperfetti ancora, o nello stadio corrono della penitenza.

5893 Effetto di questa vocazione primieramente si scorge nella santificazione de' sudditi; tra' quali alcuni sono già perfetti nella giustizia, e questi discretamente sceglie a perfezionare altrui; alcuni sono ancora imperfetti, e questi efficacemente spinge e promove a perfetta giustizia e santità. Prima parte: Effetto della vocazione ne' perfetti, ordinando alcuni di loro alla perfezione altrui.

5894 *1 Reg. 7,1: Venerunt ergo viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Aminadab, in Gabaa. Aminadab: [Latine est] populus meus spontaneus. Gabaa: sublimis.*

Et intulerunt eam in domum Aminadab, in Gabaa, *ibi*.

5895 Talibus [enim] arca Dei committenda est. Populus namque spontaneus, [est] quem ad exercenda virtutum opera sola bona voluntas trahit, quem ad implenda mandata Dei necessitas non compellit. Quos nimirum sub unius descriptione beatus Paulus praedicat, *1 Cor. 9,7*: Hilarem... datorem diligit Deus.

5896 Domum Aminadab, *1 Reg. 7,1*: [Seu] spontanei populi, [sunt] munimentum sanctae dilectionis. Nam in virtutum ministerio spontaneus esse non posset, si mansionem sibi dilectionis non conderet. Domum Aminadab in Gabaa,

(= in sublimi sitam) quia caritatis altitudine ad coelestia sublevantur, vel quia caritas omnibus virtutibus antefertur. *1 Cor. 12,31*: Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. v. 13,1: Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. - S. Cyprien, *De unitate Ecclesiae, 401 C sq.*

5897 Questi sono popoli illuminati dalla predicazione di Samuele, e dalle sue virtù diretti: solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, *Eph. 4,3*.

Effetto della vocazione d'un buon Ecclesiastico ne' popoli: [li rende] virtuosi, premurosi di conservar l'unità, illuminati. *1 Reg. 7,1: Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini.*

Sanctificaverunt: Hoc enim ex usu sanctae Ecclesiae novimus, quia electus minister, prius benedictionem consecrationis a summis viris accipit, quam ministerium impendat oblationis.

5898 Eleazarus, [latine est] Dei adjutor. Pasce oves meas, *Io. 21,17*. Profecto ostenditur quia non solum sanctificari Dei ministri debeant, sed etiam inspici quales sint ad ejusdem consecrationis ordinem providendi. *Cap. 1 Sess. 24 Conc. Trid. De Reformatione*: Altrimenti Dio dimanderà conto al Papa del sangue di tutte le pecorelle che periranno per colpa de' mali pastori.

5899 Qui enim sunt Dei adjutorium? Qui cum divina gratria ministrando conveniunt, et quos omnipotentis Dei dignatio intus visitat, quam ipsi per exterius ministerium bene vivendo et docendo confirmat. Unde et cum Paulo non inaniter gloriantes dicunt, *1 Cor. 3,9*: Dei enim sumus adjutores. Qui nimirum conversatione fortissimi, scientia eruditi, amore fervidi, constantia robusti, non solum alieno non egent auxilio, sed quocumque se conferunt, subvenire aliis possunt.

5900 Niente cercano, niente sperano, niente temono. Questo è l'effetto della vocazione d'un buon ecclesiastico o predicatore: coltivati dalla sua predicazione, instrutti dalla sua dottrina, sorgono e crescono questi eroi nella Chiesa da sé irrigata colla parola e coll'esempio, quasi cedri in un vivajo.

Eleazarum sanctificaverunt... ut custodiret arcam Domini, *7,1*. Quia hi quibus adhuc aliena auxilia necessaria sunt, ad subveniendum aliis promovendi non sunt.

5901 Eleazarum filium ejus, Aminadab: Quia certe qui ad ministerium praedicationis eligitur, in imitatione Sanctorum positus, auxilium omne quod exhibet, esse debet ex dilectione. Arcam: Quia superius plaustrum [diximus esse] Scripturam sacram; arcam, scientiam ejus spiritalem; vaccas, electas animas; timor Bethsamitarum, quem inesse electis ostendimus in oblatione Sacramenti, potest referri ad onus praelationis. Non enim minor sanctitas idonea est animabus instruendis, quam offerendis sacris mysteriis. Et idcirco Bethsamitae perhibentur percussi, quia plerique vivunt subditi qui moriuntur praelati.

5902 [Non hanno questo timore i] preti novelli che vanno in quaresimale, [che hanno fretta di] andar parrochi [e sono presi dall']ambizione, [o dalla] sensualità.

Habet enim arca Dei etiam extrinsecus pulchritudinem, quam si minister infirmus non ad spiritalem venerationem, sed ad concupiscentiam saecularem inspexerit, nequaquam vivit. Bene itaque causa percussionis eorum declaratur: Quia viderunt arcam, *6,19;* [scilicet] quia ejus gloriam vivendo concupierunt.

5903 Nunc autem, auctore Deo, per orbem universum sanctae Ecclesiae gloria est copiosa; quae profecto gloria, quia a reprobis sacerdotibus saeculariter appetitur, Bethsamitae viri, arcam Dei exterius videndo moriuntur. Non enim spiritalem ejus honorem pro interna virtutum gloria appetunt, sed ut arcae Dei spendorem rapiant, et ecclesiasticae praelationis fulgorem in flore saeculi suis cultibus ferant. Arca quoque Dei male foris ad percussionem respicitur, quando flagitiosi praepositi subditarum personarum exteriori specie devicti, ad carnalem concupiscentiam pertrahuntur.

5904 Viri timorati, ingentem multitudinem concupiscentiae zelo prostratam intuentes, dicunt:

Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? *6,20*. Stat in conspectu Dei qui fortis est in ordine divini ministerii; stare enim fortitudinis est: ministrare, obsequii. Stare ergo in conspectu Dei dicitur, qui ordinem superni officii in altitudine disponit dignae conversationis; qui tamen ministerio quo fungitur, nullo appetitu ecclesiastici honoris decipitur, nulla carnali concupiscentia superatur.

5905 Quam pauci digne Deo ministrent.

Quia vero tam idonei ministri raro inveniuntur, merito dicunt: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? *ibi*.

Et quia tantum onus, parvuli Christi viris fortioribus deserunt, subdunt: Et ad quem ascendet a nobis? ibi. Quomodo autem ad habitatores Cariathjarim miserint, quomodo arcam Dei in domum Aminadab intulerint, quomodo Eleazarum sanctificaverint, sicut supra expositum est, non mutamus.

5906 Effetto della vocazione d'un buon ecclesiastico o predicatore [è] far che si trovino tra li popoli da sé diretti, uomini molto santi e perfetti, in mezzo anche alla universale corruzione.

1 Reg. 7,2: Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies.

Si ad historiam respicimus, dies mansionis arcae multiplicati sunt, quia illic multo tempore fuit. Unde subditur: Erat quippe jam annus vigesimus, *ibi.*

Et ad quid istam dierum multiplicationem introduxerit, subdens ait: Et requievit omnis domus Jsrael post Dominum.

5907 Quae nimirum requies in illo veteri populo, non bonorum operum, sed bonae devotionis intelligenda est. Nam sequitur:

Ait autem Samuel ad universam domum Jsrael: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth, et praeparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philistiim. 1 Reg. 7,3.

Qui deos alienos de medio sui non abstulerant nisi bona voluntate, post Dominum quomodo requiescebant?

5908 Effetto della vocazione d'un novello ministro e predicatore [è] che si moltiplicano le virtù nei popoli, poiché i suoi discepoli già perfetti riescono presto gran maestri. Simile all'architetto, che dà il disegno, e con cento braccia edifica la casa: Ut sapiens architectus fundamentum posui, *1 Cor. 3,10.* Così fa più l'architetto senza far nulla colla mano, che ciascuno mano d'opera. E riescono gran maestri nella perfezione di vita attiva e contemplativa.

5909 Quae nimirum omnia, si spiritualiter inquirantur, dies mansionis arcae multiplicantur, sed cum manet in Gabaa: cum manet in custodia Eleazari; quia cum animarum cura apud religiosos praedicatores reconditur, perfectio religionis, quae sublimi doctrina impenditur, bonorum operum studio adimpletur. Unde et annus vicesimus tunc instare relatus est. Si enim denarius numerus perfectionem antiquae legis designat, vicenarius splendidiorem novae vitae religionem significat. Vicenarius numerus [enim est] decennarius multiplicatus; qui certe numerus in electorum conversatione perficitur, cum per amorem vitant legis prohibita, et sublimia Evangelii mandata complent.

5910 Quia vero nos arcae profectionem ad contemplativae vitae perfectionem retulimus, in Cariathiarim manet arca Dei, cum eruditae mentes contemplantium, supernae claritatis. Viginti quippe annis manet ibi tunc arca Dei, quia electae animae ad exaltationis intimae culmen evectae, habent denarium numerum in perfectione scientiae, vicenarium vero in superna delectatione.

5911 Potest etiam dierum multiplicatio ad virtutum spiritualium incrementa referri. Cum igitur causa qua dies multiplicentur expressius dicitur, annus vicesimus esse perhibetur; quia videlicet electae mentes contemplantium, quo uberius superna contemplatione pascuntur, eo plenius virtutum spiritualium fulgoribus illustrantur.

5912 *Requievit*, *1 Reg. 7,2.*

Quid vero est quod anno vicesimo requievit omnis domus Jsrael post Dominum? Quia sublimitas perfectionis electorum non consistit in fortitudine boni operis, sed in virtute contemplationis. Requievit post Dominum, *ibi*: [Quod] Redemptoris nostri imitationem invincibili caritate retinere est.

5913 Et quisquis, illa supernae civitatis ineffabilia gaudia contemplando, fortiter amare non didicit, quia saepius ad mundi amorem potest dejici, post Dominum nequaquam requiescit. Quia profecto dum electae mentis scientia in

experientiam supernae delectationis erigitur, dum luce refusae gloriae virtutum spiritualium sibi claritates glomerantur, imitationem dominicam tenere eo perseverantius potest, quo immensis illustrata claritatibus, eas tenebras quibus a vero dividatur lumine sentire non potest. Unde et bene: qui post Dominum requiescere, dicitur, Jsrael esse perhibetur.

Et requievit domus Jsrael post Dominum, ibidem, videns Deum. Quia quo altius contemplator in divina rapitur, eo ab humanis quae potenter cohibet, nequaquam superatur.

5914 Seconda [parte]: Effetto della vocazione negli imperfetti o penitenti, per lo mezzo della predicazione.

Verum quia, auctore Deo, arcam ejus proficiscentem, usque ad sublimitatis ejus situm deduximus, quo studio praedicator erga subditorum correctionem invigilet, videamus.

1 Reg. 7,3: *Ait autem Samuel ad universam domum Jsrael, dicens: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri.*

5915 Deos alienos: [Ita] in Scriptura appellantur daemonia, quae in manufactis simulacris habitant. [In] Samuel novi sanctae Ecclesiae praedicatores [designantur]. Recte itaque de medio sui deos alienos in universam Jsrael domum auferre praecepit, quia in accedentibus ad fidem gentilibus, non solum rectae profectionis veritatem praedicatorum ordo petiit, sed etiam damnationem antiquae superstitionis. Nihil enim eis prodesset veritatem profitendo colere vel obsequendo, nisi falsa prius detestanda reliquissent.

5916 Quisquis etiam nunc intra sanctam Ecclesiam positus est per fidem, sed Deo rebellis per iniquam operationem, admonendus est ut alienos deos de medio sui auferat. Nam etsi manufacta simulacra detestatur, daemonum tamen imperiis prava actione submittitur. De medio autem sui alienos deos abjicit, qui sic ad Deum convertitur, ut per mala opera immundos spiritus nunquam veneretur.

5917 Potest etiam cautioris vitae studium per haec exhortationis verba designari. Nam in medio nostri [est] cor nostrum. Sunt tamen nonnulli operatione mundi; sed infirmitate cordis usu foedantur pravae cogitationis; bona quippe incessanter faciunt, sed cogitare reproba nunquam praetermittunt. Quia vero tot in eorum cordibus daemonia requiescunt quot desideria immunda, auferre deos alienos de medio sui constanter admonentur, quatenus omnipotenti Deo non solum rectitudinem impendant operis, sed et gloriam internae puritatis. Unde et apte suditur:

5918 *Et praeparate corda vestra domino, 7,3.*

[Hoc facit] qui mentem non solum ab immunda cogitatione separat, sed etiam cogitationum sanctarum ac virtutum fulgoribus illustrat; ut velut abjectis et comminutis idolis se Dei templum efficiat, dum illic divinae gratiae sedem erigit,

ubi reprobos spiritus manere per subjecta eis prava desideria non permisit.

5919 Bene itaque prius auferre deos alienos de medio sui Jsraelitas admonet, deinde corda Deo praeparare; quia rectus ordo inchoatae religionis est, ut prius unusquisque prava reprobet, deinde ad omnipotentem Deum studio bonae intentionis appropinquet. Ad extremum vero necesse est ut qui jam Deo bonae voluntatis propositum et puri cordis munditiam obtulit, id quod intus bene vivendo deliberat in rectitudine boni operis exponat. Quare subditur:

5920 *Et servite ei soli, 1 Reg. 7,3*.

[Hoc facit] qui bonis operibus prava non inserit; nam qui bona sic agit ut mala non deserat, Deo soli nequaquam servit, quia malo spiritui obsequium exhibet, cujus perficere non metuit voluntatem. Unde agitur ut etiam bona agens Deo non serviat, quia qui totum hominem condidisse creditur, habere eum communem cum adversario dedignatur.

5921 Hinc namque est quod ipsa Veritas per semetipsam dicit, *Matth. 6,24*: Nemo potest duobus dominis servire. *2 Cor. 6,14*: Quae... participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas lucis ad tenebras? *v. 15*: Quae autem conventio Christi ad Belial? Aut quae pars fideli cum infideli? *v. 16*: Qui autem consensus templo Dei cum idolis?

5922 *Et servite ei soli, 7,3*: [Ita] praecipimur, ut qui jam spirante Deo pro obtinenda peccatorum nostrorum remissione agere bona coepimus, eisdem bonis prava nulla misceamus. A peccatorum namque nostrorum obligatione tunc solvimur, cum bona quae pro eorum impendimus absolutione, malis admixta non sunt.

5923 Devotis namque poenitentibus loquens praedicator dicit: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, et praeparate corda vestra Domino, et servite ei soli, *ibi.*

Quasi dicat: Tunc a peccatis solvi poteritis, cum cordis et operis bona quae pro vestra absolutione impenditis Deo, supervenientibus criminibus aliis non foedatis. Quare et repromittens, dicit:

5924 *Et eruet vos de manu Philisthiim, ibidem*.

[Hi sunt] maligni spiritus, qui nimirum, dum superbiae suae calice in momento inebriati sunt, a statu gloriae tumescendo ceciderunt. Manu Philisthiim, potestas illa [designatur] daemonum, qua mortuas in peccato animas ad aeterna tormenta perducunt. Ab ista Philisthiim manu solus liber fuerat qui dicebat, *Jo. 14,30*: Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Hinc Paulus, Rom. 3,23: Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. *Eph. 2,3*: Eramus et nos filii irae, sicut et ceteri.

5925 O quam magni muneris est ista promissio, qua dicitur:

Et eruet vos de manu Philisthiim! 1 Reg. 7,3.

Nam ille solus liber hujus manus existit, qui peccatum non fecit.*1 Petr. 2,22.* Ab ea utique omnes contra meritum liberamur. *Rom. 3,24:* Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Jesu, *v. 25*: quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum, *v. 26*: in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiae ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus, et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi. *Eph. 2,8*: Gratia liberati estis.

5926 Quasi dicat: Liberabit vos de potestate spirituum malignorum, ut velut fugatis de itinere crudelibus hostibus, dum mors carnis intervenit, ea quae cupitis aeterna gaudia securius adeatis. Magna itaque promisit qui magna praecipiendo docuit, ut magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris. Magnum quippe est "soli" Domino servire (non a Dio e al secolo; a Dio e ai riguardi e ai timori umani) videlicet instanter bona agere, bonis actibus reproba non miscere; sed quam maximum, in vitae hujus transitu potestatem cruentorum spirituum non incurrere, nullas in via horribilitates cernere, contrarietates objectionum nullas invenire; aeternas poenas evadere, liberatoris nostri praesidia sentire, momentaneam saeculi lucem perdere, sed repente ineffabilem claritatem aeternam invenire.

5927 Audiant ergo, audiant qui de manu Philisthiim liberari desiderant: Praeparate corda vestra Domino, et servite ei soli, *1 Reg. 7,3:* Ut hic sibi quique colligere studeant, unde illic manus tantorum hostium non incurreant, et securi ad vitam transeant, qui inter salutis suae thesauros quos hic bene vivendo congregant, mortis opera nulla portant.

5928 Electorum vero mores insinuat, per hoc quod subditur: *1 Reg. 7,4: Abstulerunt ergo filii Jsrael Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli.*

Electorum quippe mos est ut cum divinae praedicationis hortamenta suscipiunt, ad studium auditae bonae operationis accendantur. Nam reprobi et frequenter verba Dei audiunt, et eisdem tamen verbis nulla bona opera proponunt. Pigri in suis actionibus remanent, quia a divina luce projecti omnipotentis Dei gloriam, cujus verba audiunt, interna contemplatione non vident. Recte ergo qui obediunt, filii Jsrael [dicuntur], ibi, quia quo majestatem apertiori manifestatione conspiciunt, ejus praeceptis obedire devotius cognoscuntur.

5929 Effetto della vocazione negli imperfetti o penitenti, [è] che sono spinti efficacemente o promossi a perfezione, giustizia e santità dalle sue predicazioni.

Sed quia conversis loquitur, quid eis adhuc deesse conspiciat, audiamus; nam sequitur: *1 Reg. 7,5 sq*: *Dixit autem Samuel: Congregate universum Jsrael in Masphat, ut orem pro vobis Dominum. Et convenerunt in Masphat*.

5930 Masphat [interpretatur] speculatio, seu contemplatio; quam profecto speculationem beatus Paulus exponit, *1 Cor. 13,12*: Videmus nunc per speculum in aenigmate. Speculari etenim nobis es Scripturarum aeterna bona contemplari.

Quasi enim speculamur, quod jam fidei veritate cognoscimus, et adhuc revelata facie non videmus.

5931 *Et convenerunt in Masphat, 7,6*: Conversis vero peccatoribus [in Masphat convenire est] per intentionem se de Dei omnipotentis miseratione confidere. Sed sic de Dei misericordia praesumant, ut tamen in quod se nequiter egisse recolunt, per poenitentiam delere non negligant. Unde et illic repente subjungitur:

Hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini, *ibi*.

Hauseruntque aquam: [Quod est] de profunda animi poenitentia confusione lacrymarum fluenta producere. [Nam] velut enim aquam haurimus dum, quam profunda iniquitate cecidimus considerantes, plangimus.

5932 *Et effuderunt in conspectu Domini, ibidem*.

[Hoc facimus] si cum poenitendo compungimur, de ejusdem compunctionis fletu non quaerimus favorem saeculi, sed solum fructum divinae placationis.

Sed et dum flendo compungitur, necesse est ut etiam caro quae delectationibus subjacuit, affligatur.

Et jejunaverunt in die illa, ibi: Dies illa peccatricis animae, est spes consequendae indulgentiae in divini verbi repromissione, *Ezech. 18,32* et *32,11*: Nolo mortem peccatoris, magis autem ut convertatur et vivat.

5933 Jejunaverunt in die illa: [Hoc faciunt] qui idcirco carnem poenitendo atterunt, quia in luce spei pervenire ad indulgentiam se indubitanter credunt. Quae tamen afflictio poenitentiae ad delenda peccata tunc demum idonea est, cum sacerdotis fuerit judicio imperata; cum [scilicet] ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis. Bene itaque sequitur:

5934 *Dixeruntque: Tibi peccavimus, Domine. Judicavitque Samuel Filios Jsrael in Masphat: ibi 6,7*.

Judicat Samuel in Masphat (= sacerdos) cum non humanum arbitrium sequitur, sed divinum; cum in omni quod disponendum est, se in alta contemplatione sublevat, et hoc in subditorum judicio disponit, quod aequum esse in superna visione cognoscit. Hinc namque est quod in omni fere negotio Moyses in tabernaculo foederis Dominum consulit; quia nimirum praedicator sanctae Ecclesiae in intima debet veritatis contemplatione conspicere, ut subditorum vitam foris irreprehensibiliter valeat ordinare.

5935 Effetto della vocazione circa gl'impenitenti o penitenti [è che vengono] spinti e promossi efficacemente a perfetta giustizia, dalla retta amministrazione del sacramentale giudizio di Penitenza.

Tunc enim et tenere peccata, et dimittere verius potest, cum in arcano speculationis Domino loquente, audit quod loquitur. Unde et resurgens a mortuis Dominus, prius in discipulorum faciem insufflavit, *Jo. 20,22* et postea dimittendi retinendique peccata auctoritatem dedit, ut profecto monstraret quia qui illa mentis

speculationem non habet, judex animarum esse non debet.

5936 In electorum quippe praedicatorum faciem Domino insufflare, est intimas secretasque vias spiritalis examinis eis per Spiritum Sanctum revelare. *1 Cor. 2,11* Spiritalis judicat omnia. Hinc item divinae gratiae largitatem commendans. *v. 12*: Nos spiritum hujus mundi non habemus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. Qui autem hujus mundi spiritum habet, in Masphat, [seu] in speculatione, subditos judicare non potest; quia dum per spiritum interiora non penetrat, in causis examinis quas exquirit, mundano spiritu foris errat. Bene igitur Samuel filios Jsrael in Masphat judicasse dicitur, quia nimirum praedicatores sancti in subditorum judiciis, aliud extra nequaquam definiunt, nisi quod intus eis divina inspiratione revelatur.

5937

MEDITAZIONE 25.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 7,7-11: *Et audierunt Philisthiim quod congregati essent filii Jsrael in Masphat, et ascenderunt satrapae Philisthinorum ad Jsrael. Quod cum audissenti filii Jsrael, timuerunt a facie Philistinorum.*

v. 8: Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de Manu Philisthinorum.

v. 9: Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum, holocaustum integrum Domino; et clamavit Samuel ad Dominum pro Jsrael, et exaudivit eum Dominus.

v. 10: Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philistiim inière proelium contra Jsrael. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos, et caesi sunt a facie Jsrael.

v. 11: Egressique viri Jsrael de Masphat, persecuti sunt Philistaeos, et percusserunt eos usque ad locum qui erat subtus Bethchar.

5938 Preludio 2. Dopo aver contemplato l'effetto della vocazione quanto alla promozione del bene ne' sudditi, ordinati con saggia elezione i più perfetti fra loro a perfezionare altrui e, spinti con efficace virtù della parola e de' Sacramenti gl'imperfetti a vera giustizia e perfezione, seguita a vedere l'effetto della vocazione quanto alla remozione del male, ossia degli ostacoli che si attraversano alla promozione del bene suddetto, i quali stanno per parte de' nostri spirituali nemici, secondo quello, *Eccli. 2,1*: Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animam tuam ad tentationem.

5939 Preludio 3. Immaginare [la scena descritta nel preludio1].

Preludio 4. Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, *Ps. 70,9*. Non me derelinquas usquequaque, *Ps. 118,8*. Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me, *Ps. 22,5*.

5940 *Et audierunt Philisthiim quod congregati essent filii Jsrael in Masphat, et ascenderunt satrapae Philistinorum ad Jsrael, 1 Reg. 7,7*. Ablatis diis alienis, peracto jejunio, exhibita a praedicatore censura examinis, quia cum altiori vita proficimus, maligni spiritus, qui semper bene agentibus invident, nobis infestiores sunt.

5941 Ascenderunt: quia de innocentis vitae subliminate nos deponere appetunt curant igitur se, ad expugnanda alta per coeleste desiderium corda, sublevare.

Quia etiam contra perfectiores Christi milites, non quorumlibet malorum spirituum, sed fortiorum daemonum proelia excitantur, non Philisthiim, sed satrapae Philisthinorum [dicuntur ascendere].

5942 Principes pluribus praesunt: rationabiliter [igitur] potest colligi quia ad probandam electorum patientiam, nec unus spiritus malus electorum singulis, sed innumeri deputantur; ut de consecuta eorum victoria tanto sit copiosior fidelium gloria, quanto eis irrogata fuerint proelia graviora.

5943 Tamen inter eadem proelia nuper conversi vehementer pavere solent; repente enim inveniunt se in campo laboris, praeter experimentum consuetudinis. Armata hinc contra se aspiciunt desideria quae sibi dudum pacata serviebant: illinc supernus amor invitat ut coepta bona non deserant. Hinc spiritus mentem elevat, illinc caro gravat; ac dum finis sui modum scire non possunt, de electionis sui incertitudine vehementer expavescunt. Unde [subjungitur]:

5944 *Quod cum audissenti filii Jsrael, timuerunt a facie Philistinorum, 1 Reg. 7,7*.

Timuerunt a facie: Ut eorum posteriora non timeant.

A facie Philisthinorum: [Seu] malignorum spirituum; [quae facies est] concupiscentia saecularis. Facies peccatorum sumitis, *Ps. 81,2*. [come fanno] anche tanti pretini. In hac enim specie quicumque componitur, eorum imagini conformatur.

5945 A facie, non "faciem" timuerunt. [Quo verbo] sic electorum mentes insinuat, ut etiam reproborum stultitiam latenti ratione reprehendat; quia sancti viri aliud est quod foris aspiciunt, aliud quod intus expavescunt. Nam etsi aliquando florentem mundum humana ratione considerant, repente mentis oculos ad ea mala quae mundi gaudia sequuntur retractantes levant; et velut "timuerunt a facie", qui poenis sequentibus contingere praesentes delectationes vitant.

5946 At contra reprobi, qui hanc Philisthinorum faciem nequaquam metuunt, sequentes ferocitatis eorum impetus non evadunt. Dum enim vana mundi gaudia tota virtute suscipiunt, afflictiones perpetuas, daemonum virtute, capiunt. Quibus

nimirum Veritas comminatur, *Luc. 6,24*: Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Ibidem *v. 23*: Vae vobis qui ridetis, quia flebitis. Quasi dicat: Quia a Philisthinorum facie nequaquam pertimescitis, cum sequentes eorum vires irruunt, salutis invenire refugium non potestis. Tunc quidem timor adest, sed qui adjuvet non adest: vindicta datur flagitii, sine spe libertationis. Et quam sint Philisthinorum horribilia posteriora sentiunt, qui faciei eorum blandimenta in mundi amore voluerunt.

5947 Effetto della vocazione quanto alla remozione degli ostacoli al progresso del bene nei popoli:

1. Il timore, ossia diffidenza di questi popoli. Timenti Dominum non ocurrent mala, sed in tentatione liberabit eum Dominus, *Ecli. 33,1.*

Bene igitur de Jsraelitis, in typo electorum, dicitur: *Timuerunt a facie Philisthinorum, 1 Reg. 7,7*: Quia nimirum dum conversandi modum sibi solerter ordinant, non disponunt metuere aeterna mala cum veniunt, sed a temporali concupiscentia trepidant, cujus merito irrogantur.

5948 Et quia non tam suis meritis, quam majorum hoc intercessione posse obtinere credunt, sequitur: *Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum, 7,8*.

Sed et tentatis subditis pastores boni non solum orationum praesidia conferunt, sed etiam sacrificiorum. Unde subditur:

Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino. Et clamavit Samuel ad... 1 Reg. 7,9.

5949 Clamavit Samuel ad Dominum pro Jsrael: [Clamor est] in supplicatione pontificis magna virtus desiderii; unde ad tacentem labiis Moysen, licet populi subditi salutem ferventi devotione cupientem, a Domino dicitur, *Ex. 14,15*: Quid clamas ad me?

Agnum: Ille [est] quem praecursor ejus ostendit, dicens, *Jo. 1,19*: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Lactentem: Quia in ejus innocentia vera humanitas praedicatur. Agnum: Unum, quia praeter ipsum, qui mundi tollat peccata, nequaquam reperitur.

5950 Obtulit... integrum: Integritas agni, ad soliditatem pertinet catholicae professionis; velut enim agnum dividit qui a canone fidei per gladium separatur erroris.

Agnum: pro innocentia; lactantem: pro assumptione naturae; unum: pro singularitate potentiae; integrum: pro fidei nostrae firmissima soliditate.

5951 Quod si quis haec non ad ipsum, sed ad ejus imitatorem referre voluerit, potest. [Tunc]: Offerimus agnum, cum per bonum castitatis et innocentiae Redemptori nostro conformamur.

Lactentem: Cum doctrina innocentium Patrum nostrorum pascimur, velut ubera

sugimus, quibus ad aeternam vitam nutriamur.

Unum: si post initia religiosae conversationis nulla polluimur inquinatione pravitatis. Unum offert qui a proposito innocentiae ad pollutae vitae maculas nequaquam diffluit, a quibus redeat per iterationem bonae operationis.

5952 Integrum offerre, est ad aeternam vitam non solum carnis continentiam, sed mentis integritatem praeparare. Integrum non offert qui carnem Deo per continentiam consecrat, sed mentis suae secreta ab immundarum cogitationum lascivia non refraenat. Velut enim agni partem sacrificio surripit, qui puritatem cordis, corporis continentiae non conjungit. *Matth. 5,27* et *28*. Hinc etiam fatuae virgines in evangelio notantur, *Luc. 25,3*, quae lampades paraverunt et oleum non paraverunt. Lampades parat qui bonum pudicitiae servat in corpore; oleum habent qui nitorem puritatis tenent in suae mentis circumspectione.

5953 Obtulit agnum integrum Domino Samuel: Quia ut bonum pudicitiae divinae placationi sufficiat, non solum in candore corporis servari debet, sed in splendore internae puritatis. Merito [igitur dicitur]:*Et exaudivit eum Dominus, 7,9*.

Ille exaudiri a Domino pro aliis rogans potest, qui ex parte aliqua ei cui supplicat Domino odibilis non est. Nam si adhuc propria infirmitate deprimitur pro obtinenda proximorum fortitudine nequaquam exauditur; et eo desiderium suum ad divinae celsitudinis arcem non sublevat, quo ipse de imo, quo per lapsum jacet, conatu ferventioris studii ascendere nequaquam curat.

5954 Secondo effetto quanto al rimovere gli ostacoli del progresso nel bene: la fiducia e la efficacia dell'orazione dello stesso ministro.

Sed et modus exauditionis exponitur:*1 Reg. 7,10: Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim inière proelium contra Jsrael*: Quia maligni spiritus, tunc adversus fideles subditos graviores tentationes commovent, cum contra se stare instantius pastores vident. *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, ibi:* Quia orantibus doctoribus et fidelibus subditis, divina gratia robur administrat.

5955 Intonuit: Tonitrua fieri solent per nubila. Nubes [sunt] sublimes per coeleste desiderium animae. Unde et propheta, mentes electorum in amore coelestium elevatas admirans, [ait], Isai. *60,8*: Qui sunt isti qui ut nubes volant? Tonitrua per nubes, [sunt] ferventia et superna electorum desideria, quibus dum per divinam gratiam eorum mens succenditur, omne quod maligni spiritus decipiendo suggerunt, ab ea penitus expellunt.

5956 *Et exterruit eos, 7,10*: Nam dum per gratiam suam electis mentibus superna desideria infundit, quia etiam terrena omnia facit contemnere, eos etiam qui ea eis appetere suggerunt nequam spiritus in fugam vertit. Velut enim tonitruo territi fugiunt, dum in electis mentibus quas tentando pulsaverant, ingentem

sonitum divinae virtutis expavescunt.

Fragore magno intonuit, quia imperfecta Christianorum desideria daemonibus terribilia non sunt. Fragore magno tonitrui: (hoc) perfectum est uniuscujusque desiderium electi.

5957 *Et caesi sunt a facie Jsrael, 7,10.*

Quia dum electorum mentem perfecta devotio ad superna gaudia èrigit, omne quod adversae parti militat, a se penitus abscindit.

Et exterruit eos... et caesi sunt a filiis Jsrael, ibi: Nam terrentur electorum devotione, caeduntur opere. Et quia opere devotio prior est, terreri prius, dein caedi memorantur; nam prius donum bonae voluntatis postmodum confutare valeamus.

5958 *Intonuit Dominus, et exterruit eos, et caesi sunt a facie Jsrael, ibi*: Quia bona desideria nobis per divinam gratiam ministrantur, sed nos dona gratiae per conatum liberi arbitrii ad virtutum victorias promovemus. Ordo igitur coelestis militiae est, ut ante tonans fragore magno audiatur Dominus, et post miles ad caedenda hostium agmina progrediatur: ut videlicet in se prius dona geis quibus coronetur virtutibus ante congressionis tempora fultus est.

5959 Effetti etc.: Una grazia straordinaria e una corrispondente cooperazione che mette in fuga i nemici.

Egressi filii Jsrael de Masphat, persecuti sunt Philisthaeos, et percusserunt eos, 1 Reg. 7,11.

In Mashphat [quae interpretatur] speculatio, morantur qui in divinarum rerum contemplatione persistunt.

Egressique viri Jsrael de Masphat persecuti sunt Philistaeos, et percusserunt eos, ibi: [Hoc fit] cum ex arcano internae meditationis consulti venientes, comprimunt vires adversae dominationis.

5960 Intus enim latenter ordinant, qualiter foris in apparato opere hostium cuneos irrumpant. Tanto quidem graviores pugnas eis procedentes exhibent, quanto dum interna cogitant, apud se quietiores latent.

Et quia maligni spiritus ab electis Dei semper comprimendi sunt, [prosequitur]:

Usque ad locum qui erat subtus Bethchar percusserunt, 1 Reg. 7,11.

[Bethchar interpretatur] Domus agni. *Isai. 53,7*: Tamquam agnus ad occisionem ducetur, et tamquam ovis coram tondente se, sine voce; [quibus verbis describitur] sublimis illa ert singulariter munita conversatio Redelmptoris, quae dum culpa caruit cunctis nequam spiritibus inacessibilis extitit.

5961 Ad Bethchar, [seu ad] domum agni nemo pervenire potest, quia quisquis multum proficit, sanctitate Redemptoris inferior est. *Hebr. 7,26*: Talis decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus; *v. 27*: qui non habet necessitate, quemadmodum sacerdotes,

prius pro suis delictis hostiam offerre.

5962 *Usque ad locum qui erat subtus Bethchar, 1 Reg. 7,11*.

[Locus his] communem sanctorum summam exprimit sancitatis, qui et eidem Redemptori se obediendo humiliant, et ejus gloriae per studium vitae innocentis appropinquant.

Locum qui erat subtus Bethchar: [qui] et inferior, et vicinus [est]; quia sancti viri, quo Deo per vitae altitudinem vicini sunt, reo et humiliori cogitatione subjecti.

5963 Dum ergo novitiorum fidelium triumphus sub Jsraelitarum gestis ostenditur, usque ad locum qui erat subtus domum agni caesi alienigenae dicuntur, quia profecto per indesinentem conatum certaminis contendere debemus ad arcem perfectionis, ubi jam tanto simus hostibus nostris terribiliores, quanto Redemptori nostro viciniores. Ibi enim jam quaedam securitas est, quae perturbari hostium pavore non potest. Talibus namque concessae virtutis dona insinuans, Dominus ait, *Luc. 10,19*: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et omnem virtutem inimici. Unde et is qui ad locum domui agni vicinum pervenerat, dicit, *Rom. 8,35*: Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames etc.

5964 Bethchar, [sive] domus agni, [est] patria coelestis. *Apoc. 14,1*: Vidi supra montem Sion agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen patris ejus, scriptum in frontibus suis.

Locum qui erat subtus Bethchar, 1 Reg. 7,11: [Locus hic est] terminus temporalis vitae, ex quo ad supernae patriae gaudia assumuntur electi. Qui enim usque ad statutum nobis terminum ducimur, quem praeterire vivendo non possumus, velut ad locum venimus unde alio transferamur. Sed terminus vitae electi viri sub domo agni situs ostenditur, quia unde per angustias mortalitatis demergitur, inde ad vitae indeficientis gaudia sublevatur.

5965 [Altro] effetto, *cf 5054*: Sforzo grande alla perfezione e alla gloria, continuato fino alla fine della vita, [che] li mette in sicuro dalli nemici.

Nam et agnus ipse qui in citharoedorum citharizantium et cantantium domum suam inhabitat, antequam ad hujus domus laetitiam duceretur, sub domo fuit. Hinc est quod immolationis suae tempore dicit, *Matth. 26,38*, *Marc. 14,34*: Tristis est anima mea usque ad mortem.

5966 Electi ergo uniuscujusque finis, dum loco ostenditur, subtus Bethchar, [sive] domo agni esse memoratur; quia sancti viri cum per mortis poenam temporalia deserunt, de vicino praeeminentem sibi supernam patriam conscedunt. Nam Paulus confidenter asserens dicit, *2 Cor. 5,1*: Scimus quia si terrestris domus nostra dissolvatur, habemus habitaculum ex Deo, non manufactum in coelo. *Igitur usque ad locum qui erat subtus Bethchar Philistaeos percusserunt*, si quando in

hac vita sumus, de malignis spiritibus triumphamus.

Labora sicut bonus miles Christi, *2 Tim. 2,3*.

5967 MEDITAZIONE 26 [a].

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *1 Reg. 7,12-17*: *Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Masphat et inter Sen: et vocavit nomen loci illius: Lapis adjutorii. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.*

v. 13: Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Jsrael. Facta est itaque manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus Samuelis.

v. 14: Et redditae sunt urbes quas tulerant Philisthiim ab Jsrael Jsraeli, ab Accaron usque Geth et terminos suos; liberavitque Jsrael de manu Philisthinorum: eratque pax inter Jsrael et Amorrhaeum.

v. 15: Judicabat quoque Samuel Jsraelem cunctis diebus vitae suae.

v. 16: Et ibat per singulos annos circumiens Bethel et Galgala, et Masphat, et judicabat Jsraelem in supradictis locis.

v. 17: Revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus, et ibi judicabat Jsraelem. Aedificavit etiam ibi altare Domino.

5968 Ora su questa lettera edificato... diciamo come l'effetto della vocazione non è solamente temporario, ossia ristretto a questa vita, secondo che l'abbiam sinora considerato; ma egli è eterno, e si stende alla vita futura, secondo che oggi è da considerarsi. La promozione al bene delle virtù, che sono i mezzi a conseguir l'ultimo fine, la remozione degli ostacoli che si frammezzano al conseguimento, tutti due questi effetti non tendevano che alla perfetta felicità della futura vita, la quale è l'effetto primario nella intenzione della vocazione d'un buon ecclesiastico; ma anche ultimo nell'esecuzione secondo quello, *Rom. 6,22*: Nunc autem liberati a peccato (remozione degli ostacoli), habetis fructum vestrum sanctificationem animarum (promozione al bene) finem vero vitam aeternam (conseguimento della felicità eterna).

5969 E perché si conosce meglio l'effetto riguardandolo nella sua causa, così dopo che avremo considerato in se stesso questo effetto, cioè la perfezione e felicità de' sudditi, lo contempleremo nella sua causa, cioè nella savia condotta del ministro di Dio.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos, *Ps. 31,8*.

5970 *Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Masphat et Sen, 1*

Reg. 7,12.

Lapidem: In Sacro eloquio [hic est] Dominus ac Redemptor noster.

Tulit... Samuel lapidem unum: Cum a sanctae Ecclesiae praedicatore Redemptoris fortitudo singulariter praedicatur.

Et posuit eum inter Masphat et Sen: Quia in vitae exitu electos protegit, reprobos confringit.

Sen: [Latine est] excussio. Excussi sunt reprobi, [seu] a fidelium societate separati.

5971 *Percusserunt eos usque ad locum qui erat subtus Bethchar... tulit autem Samuel lapidem etc. et posuit eum inter Masphat et Sen, 1 Reg. 7,11 sq.* quia dum electi Dei victoriae suae titulum in fine percipiunt, Redemptoris judicio a malorum societate separantur. Modo vero, velut in area, frumentum et palea simul sumus; sed dum ad vitae terminum ducimur, electi a reprobis Dominica virtute dividuntur, et veluti inter se lapidem habent medium, dum illi pondus Redemptoris in damnationis suae judicium sustinent, et isti in ejus fortitudine aeternae gloriae palmas tenent.

5972 Sen, etiam [sunt] maligni spiritus, [qui] excussi sunt, a coelesti secreto per superbiam projecti. Et quia nunc in hac vita nobiscum proeliantur, bene cum victoriae nostrae tempus asseritur, lapis inter nos et eos positus perhibetur, quia cum militiae nostrae donativa percipimus, ultra nobis eorum proelia nequaquam renovantur.

5973 Effetto 1: Separazione da' tristi.

Samuel... posuit eum inter... 1 Reg. 7,12: Quia nobis Redemptoris nostri bonitatem sanctae ecclesiae doctor ostendit. Et quia omne quod a nobis in omni vita nostra prosperum geritur, divinae gratiae adscribitur, apte ab eo las Redemptoris nostri bonitatem sanctae ecclesiae doctor ostendit. Et quia omne quod a nobis in omni vita nostra prosperum geritur, divinae gratiae adscribitur, apte ab eo lapis ille qui in medio sistitur, vocatur Lapis adjutorii.

5974 Et vocavit nomen loci illius: Lapis adjutorii, ibi: Qui si nobis subvenire noluerit, vinci possumus, vincere nequimus. De quo, jam in medio posito, dicitur:

Dixitque: *Hucusque auxiliatus est nobis Dominus*, *ibi*: Quia ejus praesidia electos suos usque ad aeternae retributionis tempora persequuntur.

5975 Et quia, ut diximus, jam tunc a nobis in aeterna requie susceptis, a depressis hostibus praelia nulla commoventur, [sequitur]: *1 reg. 7,13*: *Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Jsrael.*

Haec profecto sic electorum singulorum facta exprimunt, ut sanctae catholicae Ecclesiae et procinctum innuant belli, et gaudia remunerationis.

5976 Hanc namque universalis Ecclesiae victoriam, jam post resurrectionis nostrae gloriam futuram, beatus Paulus ostendit, qui quasi futurae incorruptioni prae-

sens, morti insultabat, *1 Cor. 15,54 sq*: Absorta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors, stimulus tuus? Humiliatos etiam Philistaeos vidit, quia apostatarum Angelorum memorans, ad amorem futurae dignitatis electos accendit, *1 Cor. 6,3*: An nescitis quia Angelos judicabimus?

5977 Tunc quippe humiliantur Philisthiim, cum in praeparata sibi ab orgine mundi aeterni ignis incendia, daemones mittuntur.

Nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Jsrael, 1 Reg. 7,13: Quia ad tentanda electorum corda non exeunt.

Terminos Jsrael: [Hi sunt] coeli. Quomodo mali spiritus in Jsraelis terminos venient, qui sic in inferni profundo sunt damnati, ut a summersione poenarum nunquam resurgant?

5978 Quia ergo aeterna oppressione dejiciuntur, apte subinfertur:

Facta est itaque manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus Samuelis, ibi.

Diebus Samuelis: [Scilicet] bonis diebus doctoris, [qui sunt] vernantes illi radii fulgentis aeternitatis.

Samuelis: Quia etsi communiter sunt electorum omnium, speciali quadam gratia ad gaudia lucent praedicatorum. Vel certe sunt, quia specialius eorum mentibus fulgent, quorum praedicatione nunc sancta Ecclesia demonstratur.

5979 Effetto 2: Sicurezza. *Facta... manus Domini super Philistaeos cunctis diebus Samuelis, ibi:* Quia divina potestas malos spiritus semper opprimit, quae in aeternae claritatis gloria, etiam electos exhilarare nunquam desistit. Tunc vero Angelorum damna reparantur, cum quidquid de ordine conditorum spirituum, eorum superbia sublatum beatitudini fuerat, de electis hominibus adimpletur. Quare sequitur:

5980*: Et redditae sunt urbes quas tulerant Philisthiim ab Jsrael Jsraeli*, *7,14.*

Urbes quas tulerant: [Quae sunt] sublatae multitudines Angelorum.

Redditae sunt, quando de electa natura humana assumitur, unde quod de Angelis periit, suppleatur. Quod etiam in conversione flagitiosorum hominum accipi convenienter potest.

Urbes quas tulerant Philisthiim: [Animas daemones tollunt] cum unitas fidelium mentes tentando decipiunt, et sibi eas peccatis immergendo, supponunt.

5981 *Redditae sunt... Jsraeli*: Quia sic in hac vita poenitentes satisfaciunt, ut in perenni gloria splendidi, ad electorum gaudium exhibeantur.

Quia vero non solum qui agere bona negligunt, sed etiam qui abundanter iniquitatem faciunt poenitendo salvantur, subditur:

Ab Accaron, 7,14: [Quae interpretatur] sterilis; [steriles autem sunt] qui bona opera non agunt.

Usque Geth, ibi: [Quod interpretatur] torcular, ubi uva premitur et vinum promulgatur. Concupiscentia [autem] saecularis [est] uva reprobae mentis: fervor pec-

candi [est] liquor vini, qui peccatoris mentem aeternorum bonorum immemorem facit. Dum enim ex concupiscentia cordis peccatum generatur, quasi in torculari de uva vinum producitur.

5982 *Redditae sunt urbes... Jsraeli ab Accaron usque Geth, 7,14*: quia bona agere negligentium et mala audacter perpetrant mentes, quae poenitentes ad Dominum modo redeunt, tunc in communi electorum gloria a nequaquam veniunt, quae ipsi poenitentiae afflictione delere obliti non sunt.

Liberavitque Jsrael de manu Philisthinorum, eratque pax inter Jsrael et Amorrhaeum *7,14.*

Pax: *Mich. 5,5:* Et erit iste pax in terra cum venerit. - *Eph. 2,14:* Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.

5983 Inter Jsraelem: [qui sunt] electi, et Amorrhaeum [quae est] pars hominum reproba. Et quia electi in dextera Dei, reprobi vero in sinistra futuri sunt, dum pax esse inter utrosque asseritur, Sanctorum beatitudo inclyta demonstratur, qui justitiae Conditoris tanta aequitate conveniunt, ut de conspecta reproborum poena nulla compassione moveantur.

5984 Effetto: Riunione delle membra morte o mortificate, senza dolore delle recise. *Eratque pax inter Jsrael et Amorrhaeum, 7,14*.

[His verbis] non demonstratur bonum quod commune cum sanctis habeant reprobi, sed quo muniantur electi. Unde et sub Jsraelis specie per prophetam sanctae Ecclesiae repromittitur, *Ps. 147,14*: Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te. Quia dum Redemptoris potentia eam in intimae aequitatis celsitudinem erigit, per dolorem compassionis perditorum miseria non affligit.

5985 Effetto nella causa: cioè nella savia condotta del ministro [il quale] dirige, e mostra, e determina a' sudditi la strada del cielo, non solo colla luce delle parole, ma della vita.

Sed ad tantam beatitudinem quo pastorum studio boni subditi promoveantur, exponit dicens: Cunctis diebus vitae [doctoris], qui lucem justitiae, quam loquendo asserit, ad subditorum fidelium exemplum perfectione repraesentat bonae conversationis.

5986 Suae: Qui autem virtutum spiritalium lucem non habet, quia ad docendum assumit bona conversationis extraneae, diebus profecto judicat vitae alienae. De quibus profecto per prophetam Dominus dicit, *Ier. 23,30*: Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo. ([Aver] fede, e poi cedere alle opinioni, e ancor giurare!) Verba furantur qui bonum quod docendo praedicant, operando non sequuntur; quia velut clam de alieno tollunt quod, dato proprii laboris pretio, suum nequaquam faciunt.

5987 Post denuntiatam itaque futuram beatitudinem, qualis interim debeat esse fidelium pastor, ostenditur, quia [sequitur]:

Judicabat quoque Samuel Jsrael cunctis diebus vitae suae, 1 Reg. 7,15.

Perfectionis etc. viam male insinuat si lucis iter quis voce volens pandere, actione tenebrescat. Nam qui cunctos vitae suae dies ad judicandum Jsrael contulerat, dicit, *Rom. 15,18*: Non audeo loqui eorum aliquid quae per me non efficit Deus in obedientia gentium verbo et factis.

5988 Judicet igitur doctor, sed qui dies vitae suae inclytos habet; ut videlicet in se prius virtutum spiritualium radios bene vivendo foveat, quos providendis subditorum itineribus loquens administrat; quia et lucerna tunc iis qui in domo sunt utiliter ostenditur, si ipsa antea eo quod sparsura est, bene repleatur lumine.

5989 *Et ibat per singulos annos circuiens Bethel, et Galgala, et Masphat, et judicabat Jsraelem in supradictis locis 7,16.*

Bethel: [Interpretatur] domus Dei, [qua significantur] viri ufficio altaris deputati, qui dum spiritualibus studiis inhaerent, velut domestici Dei Omnipotentis familiares sunt.

Galgal: [Est] rota, [qua designatur] conjugatorum ordo; velut enim in rota circumeunt, dum volubilis mundi curis penitus carere non possunt.

Masphat: [Latine est] speculatio [qua exprimuntur illi] qui divinae contemplationi vacantes, solis supernis gaudiis inardescunt.

5990 Et ibat... circuiens Bethel, et Galgala, et Masphat; et judicabat Jsraelem in supradictis locis, *ibi*: Quia electus praedicator omnium electorum ordinum exempla sequitur, ut subditorum fidelium esse valeat censor doctus. Non enim esse poterit aequi examinis, si de exemplis praecedentium electorum dedignatur assumere quod decernit.

Ibat per singulos annos circuiens, *ibi:* Ut doctor providus, ordinum singulorum perfectionem sigillatim respiciat, [et] ut quo subtilius praecedentium bona viderit, praesentia disponere decentius possit.

5991 *Judicabat Jsraelem in supradictis locis, 7,16:* Ibi ergo, ibi judicet Jsraelem, ut subjectos fideles quos ad Dei visionem erudit, illorum rectitudine corrigat, quos Deo placuisse indubitanter credit.

Bethel, [sive] domus Dei, [est] universa electorum Ecclesia. Galgal, [sive] rota, [est] Scriptura sacra. Quidquid vero in subditorum profectu doctor exhibet, aut de exemplo doctorum accipit, aut magisterio sacri eloquii, aut revelatione internae ac secretae contemplationis.

5992 Circuiens Bethel: [Hoc fit] cum praedicator Ecclesiae, auctoritatem disponendorum operum de majorum exemplis quaerit; Galgal quando doctrinae suae auctoritatem de magisterio sacrae Scripturae comprehendit; Masphat, cum per secretae contemplationis meditationem, revelationem meretur suscipere veritatis.

Et judicabat Jsraelem in supradictis locis, *ibi*: Quia quidquid subditis proponit ad normam rectitudinis, aut de exemplis electorum accipit, aut doctrina sacri elo-

quii, aut ex revelatione internae contemplationis.

5993 Quibus profecto verbis ostenditur non tantum quae doctor perfectus agat, sed etiam quia perfectus non sit si agere haec non possit. Nam si solum bonorum exempla noverit, aut si sacrae Scripturae etiam quis eruditus sit, et contemplationis revelatione caruerit, in ordine praedicationis vir perfectus non erit. Contemplatio enim virtus est per quam non solum ipsa Scriptura condita recognoscitur, sed per quam nondum condita ad Dei voluntatem quotidie disponatur.

5994 [Il perfetto predicatore è] umile nel seguire le vie de' Santi; erudito nella scienza delle scritture, docile al lume di Dio nell'orazione.

Bene ergo dicitur: *Et judicabat Jsrael in supradictis locis, 7,16.* Nam non solum in Bethel et Galgala, sed et in Masphat; ut qui ad perfectionem praedicationis enititur, dum per humilitatem exempla majorum sequitur, dum per studium sacri eloquii eruditione fulcitur, curet omnino necesse est ut puritate mentis ea quae disponenda sunt contemplando cognoscat. Dei namque debet esse docibilis, *cf. Jo. 6,45*, qui suscepto praedicationis officio docère homines cupit.

5995 Tamen sic praesumat de eo qui secretae contemplationis eruditione instruitur, ut nec editas per Spiritum Sanctum Scripturas fastidiat, nec sequi electorum exempla dedignetur.

Ibat... circuiens Bethel, Galgala et Masphat, 7,16: Ut alterum ab altero per discordiam nequaquam dividatur; ut videlicet et exempla recipiat quae sacra Scriptura àpprobat, et illas sacras Scripturas quas electi homines scripserant, recognoscat, atque eas revelationes contemplationis a Deo sibi ostensas sentiat, quae nec ab electorum operibus nec a sacrae Scripturae auctoritate discordant.

5996 Sed et omne quod agit, ad rectitudinem rèdigat supernae intentionis. Abbia sempre il suo cuore in cielo, ove torni a riposo delle fatiche continue; questo abbia per fine delle fatiche, ove si formi la regola de' suoi giudizj e direzioni; vi drizzi li suoi desiderj, vi drizzi le anime con efficacia.

5997 Revertebatur in Ramatha: [Revertitur] ne laboris sui onere deprimatur, cum mens praedicatoris per amorem coelestium relevatur. Nam inter officii sui onera tam immensa, corrueret si ad amorem coelestium per spei suae desideria non rediret. Revertebatur praedicator: [quod est] intentionem mentis suae ad gaudia patriae coelestis reducere.

5998 *Et ibi judicabat Jsraelem, ibi*: Quia [praedicatores] supernae patriae pulchritudini, quam in mente retinent, fideles subditos facere conformes praedicando student; [item] quia ex illa jam perfecta civitate formam videntes trahunt, quam filiorum mentibus loquentes ìmprimunt; et quidquid illa pulchritudine indignum conspiciunt, ab eorum mentibus abscindere conantur.

5999 Et quia in illius beatae patriae gloria tota dilectione requiescunt, [prosequitur]: Ibi enim erat domus eus, *1 reg. 7,17*, in qua amando conversatur.

Nostra conversatio in coelis est, *Philipp. 3,20*.

Ibat circuiens Bethel, Galgala, Masphat, 7,16; in Ramatha [autem] domum habet, quia doctores sanctae Ecclesiae, quidquid nunc accipiunt de exemplis electorum, quidquid de eruditione sacrorum voluminum, quidquid de altitudine supernae revelationis transitorie rimantur, ad adjutorium habent itineris, non ad amorem remurationis. Illud vero quod in superna civitate diligunt, non ad profectum itineris, sed ad sufficientem, imo ad abundantem largitatem mercedis.

6000 Et quia illuc cuncta bona congregantur, [sequitur]:

Aedificavit etiam ibi altare Domino, 1 Reg. 7,17, [quod est] cor justi. *Matth. 6,21*: Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Qui autem pro amore supernae patriae bona agit, dum ardenter ad ea quae sursum congregat pervenire desiderat, aedificat altare super quod quotidiani desiderii hostias incendat. Domino [autem aedificat], quia ex incremento studii coelestis sicut flamma crescit in corde boni desiderii, ita et velut additis lapidibus altare sursum construitur, ubi Deo holocausta offerantur amoris.

6001 Quod etiam ad lucrum animarum referri convenienter potest. [Proinde]: *Aedificavit in Ramatha altare Domino, 7,17:* Doctor, cum subditorum merita in coelo locat; et dum quotidiano ejus studio electae animae ad coelestia regna conscendunt, velut ad structuram superni altaris lapides mittuntur. Aedificavit ibi altare Domino, quia valde otiosum est doctoris studium, si per hoc quod ab illo in terris agitur, coeleste aedificium non augetur.

[Spunto per il] colloquio: [Gli] animali di Ezechiello che tiravano il carro della divina gloria, avevano la similitudine del firmamento super capita eorum, *Ezech. 1,22.*

6002 MEDITAZIONE 26 [b].

Orazione preparatoria.

Preludio *1*.

1 Reg. 8,1-5: Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices Jsrael.

v. 2: Fuitque nomen filii ejus primogeniti Joel, et nomen secundi Abia, judicum in Bersabee.

v. 3: Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus; sed declinaverunt post avaritiam, accepperuntque munera, et perverterunt judicium.

v. 4: Congregati ergo universi majores natu Jsrael, venerunt ad Samuelem in Ramatha.

v. 5: Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis regem et judicet nos, sicut et universae habent nationes.

6003 Hi autem qui vivebant sub spiritali regimine dixerunt ei: *Constitue nobis regem, 8,5*: Sed sancti viri cum se a subditis contemni conspiciunt, non tam eis displicet quod contemnuntur, quam quod contemptores sui Deo non placent. Eorum quippe contemptu suae internae gloriae dari incrementa conspiciunt, sed augeri merita sua subditorum defectibus ingemiscunt, quos sic meritis vellent proficere, ut in aeterna meritorum retributione secum eos quibus praesunt habere potuissent.Quare subditur:

6004 *1 Reg. 8,6*: *Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem ut judicet nos; et oravit Samuel ad dominum.*

v. 7: Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quae loquuntur tibi: non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.

v. 8: Juxta omnia opera sua quae fecerunt a die qua eduxi eos de Aegypto, usque ad diem hanc, sicut dereliquerunt me et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi.

v. 9: Nunc ergo vocem eorum audi; veruntamen contestare eos, et praedic eis jus regis, qui regnaturus est super eos

.

6005 Dopo aver considerato l'effetto della vocazione temporario ed eterno, in se stesso e nella sua causa, seguita ora a considerarsi il difetto per accidens, ossia come questo effetto talora manchi.

Factum est autem etc. 1 Reg. 8,1.

Sanctorum virorum facta praecedentium, saepe electorum sequentium solatia sunt. Mira enim dispensatione divini consilii et altissimae conversationis arce sic sublimati sunt, ut fortia agerent sibi, recta subditis providerent; sic sibi quandoque derelicti ut ea quae recta intentione dispynerent, secundum Dei providentiam recta non essent, quatenus illorum infirmitas electorum sequentium firmitas fieret. Quia etsi ut homines in disponendis sanctae Ecclesiae negotiis falli possunt, ipsae tamen ecclesiasticae dispositiones deserendae non sunt.

6006 *Cum senuisset Samuel, qui prophetiae spiritu plenus fuerat, posuit filios suos judices Jsrael etc. 1 Reg. 8,1*.

Ii quia post avaritiam postmodum declinare debebant, et munera accipere et pervertere judicium, non cognovit. Quid ergo mirum si falli in disponendis ordinibus possunt qui prophetiae gratiam non accipiunt, si ii qui prophetiae spiritum habent, eumdem spiritum ad disponenda cuncta non habent?

6007 Quis autem de tanto viro dubitet? Quia si futuram perversitatem filiorum praenosceret, eos utique forensibus honoribus non praeferret. Qui ergo reprobos scienter pròvehunt, hoc prophetae exemplo sibi blandiri nequaquam possunt, quia tunc solum innoxie agitur, cum in iis, tempore quo promoti sunt, subsecutae

iniquitatis signa nulla patuerunt. Quare et apte ii qui judices Jsraeli positi sunt, cum ponerentur dicebantur "filios suos", ut ex eo non solum per carnem credantur geniti, sed etiam conversationis ejus splendoribus adornati. Quare et eorum nomina caute assignantur, ut ex titulo nominis illa quae tunc eis inerat cognoscatur forma virtutis.

6008 *1 Reg. 8,2: Fuitque nomen filii ejus primogeniti Joel, [latine: Incipiens, vel: Fuit Dei.* (Hieronymus, *De nominibus Hebraicis*, *t. 3,54)*.

Et nomen secundi, Abia, [latine] Pater dominus, vel: Pater fuit. (Hieronimus, *ibi, t. 3,51)*, forte propter spem zeli quam ferebat divinae gloriae.

Judicum in Bersabee, 8,2.

6009 Praelaturae pericula.

1 Reg. 8,3: Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus, sed declinaverunt post avaritiam, post [tamen] acceptam dignitatem; quia antequam ejusdem dignitatis culmen attingerent, in eis futurae pravitatis signa nulla videbantur. Sed ecce, dum pastorum solatia attendimus, gregis dominici praelaturae non parva pericula intuemur. Nam steterunt subditi, sed in culmine praelationis positi, prophetae filii ceciderunt; ut si nobis sub cura majorum positis, indesinens sanctae vitae studium aut securitas magnae conversationis arrideat, praeesse tamen aliis non habeamus in appetitu desiderii, sed in magnitudine timoris.

6010 Sed carnales quique, dum sola visibilia attendunt, spiritualem sanctorum conversationem cognoscere non merentur. Pastorum quidem sanctae Ecclesiae culmen aspiciunt, sed cogitare nesciunt quam inviti illi intus decorem tollerent, quem in splendore culminis foris tenent; quod sublimitatem honoris in oppressionem magni sustinent oneris; quod magno desiderio fugiunt quod exteriori ministerio prosequuntur. Testante etenim egregio doctore, didicimus, *1 Cor. 2,14*, quod animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei. Unde et tanto dementius carnalia sequentes errant, quanto per discretionis virtutem spiritualia nulla jam penetrant.

6011 Et nonnulli tales in tantum dementiae malum proficiunt, ut commovere ipsum etiam statum ecclesiastici culminis non vereantur. Unde et sequitur: *1 Reg. 8,4: Congregati etc. v. 6: Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem ut judicet nos*.

Hoc namque ei displicuit per quod displicere Deo qui loquebantur, existimavit. Quia vero non simpliciter dicitur: Displicuit sermo Samueli, sed "in oculis" Samuelis; *et oravit Samuel ad dominum, 8,6,* paulo subtilius ea nos considerare oportet.

6012 Sancti viri, qui omnipotenti Deo valde displicere metuunt, in suis judiciis faciles non sunt; sed cuncta prius rationabiliter intus ordinant, ut ea foris in opere irreprehensibiliter disponant. Nam electionem accipiunt nullam judicii, si non pro-

batur contemplatione rationis. Hos profecto oculos prophetae Dominus aperire volebat, *Ezech. 40,4*: Vide oculis tuis, et auribus tuis audi. Hinc in evangelio discipulis dixit, *Luc. 10,23*: Beati oculi qui vident quae vos videtis.

6013 Oculi sanctorum [sunt] intellectus rationis reserati per gratiam Spiritus Sancti; [et dicuntur] oculi Samuelis, quia carnales quique, etsi per humamam sapientiam rationales esse videntur, ab hujus lumine rationis eo coeciores fiunt, quo illis solis coculis vident quos serpens aperuit.

Nam si spiritualium virtutum fulgorem aspicerent, eum profecto in ornatu suae mentis habere desiderarent. Tantus siquidem decor earum est, ut visus nunquam non possit videntis desiderio concupisci.

6014 Sapientes ergo saeculi, cum se oculos rationis habere arbitrantur, ex hoc cognoscere possunt quam dementer insaniant, quia virtutum sanctarum pulchritudine non illici, earum profecto gloriam non solum non cernere, sed nec somniari est.

Chi sta in alto vede quello che non veggono quei che sono vicini a basso; come in un'armata da' soldati che combattono non si vede il disordine dell'armata, che vede il generale stando in alto.

6015 Sancti ergo viri qui jam illuminatione Sancti Spiritus in internorum amore obligati sunt, mentis suae oculos ad videndam internae claritatis gloriam tanto clariores habent, quanto de mundi caligine in desiderio nihil habent; et discernere carnalia tanto rectius possunt, quanto longe a carnalibus assumpti, in Spiritus Sancti gratia altius profecerunt. Unde et Apostolus Paulus de experientia tantae visionis sententiam protulit, *1 Cor. 2,11*: Spiritalis judicat omnia.

6016 Riconoscendo il loro difetto involontario, venendo quindi loro vergogna, e pigliandosi occasione dai cattivi di bestemmiare Dio e pervertire, essi non si abbattono punto. Loro non dispiacciono le ingiurie proprie, ma quelle che altri fanno a Dio. Non iscadono dalla sublimità della lor mente, onde a punta di ragione consultano la deliberazione, e da umili, senza presumere, ricorrono al Signore per lumi.

Bene ergo dicitur: *Displicuit sermo in oculis Samuelis*,*1 Reg. 8,6*: Quia a viris spiritualibus nil ante despicitur, quam despiciendum esse per spiritalem mentis intuitum judicetur. Et quia quo abundantiori gratia Spiritus Sancti pleni sunt, de virtutis suae celsitudine non praesumunt, sequitur:

Et oravit Samuel Dominum, ibi: Ut sibi dignaretur ostendere si tumultuantis pupuli petitioni assensum dare debuisset.

6017 *1 Reg. 8,7*: *Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi, in omnibus quae loquuntur tibi: non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*.

Audi vocem populi in omnibus quae loquuntur tibi: [Quibus verbis] ostenditur

quia an hoc faciendum esset, sibi revelari postulavit.

Non te abjecerunt, sed me, ibi: Ostenditur quantum sibi sermo displiceat, quem in oculis Samuelis displicuisse perhibetur. Quae convenientia judicii, in sanctis oritur ex virtute caritatis; quia dum ex tota mente Conditorem diligunt, et ejus voluntati obedire devote conantur, ex praemio supernae retributionis accipiunt, ut ab eadem Dei oimnipotentis voluntate aliter sentiendo non dìscrepent, quam in bonis operibus semper tenent.

6018 Il Signore mostra loro chiaramente che la loro volontà e sentenza è apertamente conforme alla sua. Scriptum quippe est, *1 Cor. 6,17*: Qui adhaeret Deo unus spiritus est.

Domino adhaeret, qui praecepta voluntatis ejus facere semper studet. Unus spiritus est, quia ex diuturna devotione pii operis, in tantam gratiam divinae cognitionis assumitur, ut ab interni ejus aequitate judicii, per errorem mundani spiritu, dissentire ultra non possit.

6019 Sed valde difficile respondetur si quaeritur cur omnipotens Deus, et abjectum se in regis petitione conqueratur, et tamen id quod petebatur, fieri decernat: rursumque si dignitas regia ordinanda fuerat, cur velut indignata Dei majestate fuerit permissa; et cum provisus rex eligi decernatur, cur reprobandus eligitur. Quid ad haec respondère aliud possumus, nisi id quod Apostolus Paulus ineffabilem abyssum judiciorum Dei perscrutari audentibus respondebat, *Rom. 9,20*: Homo, tu quis es qui respondeas Deo?

6020 Sed si hoc efficaciter definire non possumus, tangere inquirendo possumus. An fortasse abjectum se in regis petitione conqueritur? Pro reproba voluntate male petentis populi, petitus rex conceditur pro vindicta. Quod si rationabiliter dicitur, dum utrumque posuit, et culpam et ultionem pariter ostendit. Ex reproba quippe voluntate, injusta postulasse convincitur, qui abjecisse Conditorem petendo monstratur. Culpam ergo malae petitionis, insecuta est poena districtae aequitatis.

6021 Magna enim vindicta est quae ex districtione procedit interni examinis, quando reproba mens sic projicitur, ut quod male deliberat agere permittatur. Qui ergo in petendo rege, Dominum abjecisse convicti sunt, dum id eis permitteretur agere, per quod a se Dominum abjicerent, gravior poena non erat qua hic plecti debuissent. Quo in loco notandum est quia abjectionem prophetae Dominus suam facit. Non enim simpliciter dicit: Abjecerunt me, ne regnem super eos, sed: Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.

6022 Ut profecto ostendat quia in persona electi praesulis ipse suis subjectis praemineat; et cum ad spirituale culmen electorum carnalis rector assumitur, ipse abjici videtur, cujus praecepta dissipantur. Ergo quam reverendi sint optimi pastores sanctae Ecclesiae liquet. Ecce enim dum fideliter Deo serviunt, tanto eis

amoris vinculo conjunguntur, ut quidquid eis ingeritur, divinae injuriae adscribatur.

6023 Unde et in evangelio primis Ecclesiae pastoribus dicit, *Luc. 10,16*: Qui vos spernit me spernit. Ubi etiam aliquid gravius cernitur: quia cum abjectum pastorem conqueritur, abjicientium peccata omnia, et parentum etiam mala memorantur: *1 Reg. 8,8: Juxta omnia opera sua quae fecerunt, a die qua eduxi eos de Aegypto, usque ad diem hanc*. Summum namque crimen agnoscitur, ad cujus discussionem in Dei memoria, praeterita cuncta peccata reducuntur.

6024 Et abjectum ergo se Dominus conqueritur, et tamen ordinare in quo abjicitur concedit, quia cum districtae aequitatis suae virtutem exequitur, ab eo carnalium desideria impleri per ejus misericordiam nequaquam prohibentur. Sed et quae concedi dignitas pro vindicta potuit, non tranquilla majestate divinitatis concedi debuit, sed velut indignata; non in seipsa, quae passioni non sùbjacet, sed quia dum culpas discutit, indignationis verba per Scripturas dicit.

6025 Item quia in typum carnalium praelatorum assumitur, reprobandus rex eligitur, non electus. Vel forte idcirco reprobus rex eligitur ut electus successor ejus rex David, in eo cognosceret quid cavere debuisset. Sic nimirum et de illa Angelorum curia legimus, quia de Apostata primo Angelo scribitur, *Job. 40,14*: Ipse est principium viarum Dei. Sed qui ante omnia conditus est, per superbiam cecidit, et in ejus ruina sancti Angeli didicerunt qua virtute stare potuissent.

6026 Quod nimirum qui apertis rectae fidei oculis intueri poterit, pariter attendit quia omnipotens Deus etiam tunc magnae misericordiae dona tribuit, cum vindictam ìrrogat; quia dum reprobos punit, sanctos èruit, ut unde illi deficiunt, isti in suis profectibus adjuventur. Districto siquidem judicio permittit mala fieri, sed misericorditer providet de his malis quae per judicium irrogat, quae bona facere disponat.

6027 Nam quae major culpa quam illa qua omnes morimur? Et quae major bonitas quam illa per quam a morte liberamur? Et quidem, nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret. *Marc. 2,17*: Non enim veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret. Si peccata ad quae delenda venisse creditur, per justitiam Dei permissa esse sentiuntur, dum pro peccatoribus Deus homo nasciturus erat, ex illo malo quo morituri erant, bonum quod malum illud vinceret, omnipotens Deus sese facturum providerat.

6028 Cujus profecto boni magnitudo, quis fidelis non videat quam mirabiliter excellat? Magna quippe sunt mala quae per primae culpae meritum patimur, sed quis electus nollet pejora perpeti, quam tantum Redemptorem non habere? Eligatur ergo rex, sed reprobandus; eligatur velut indignatione, non voluntate Dei. Subsequatur ergo rex juxta cor Dei, ut ex judicii ejus districtione vindictae, malum

procedat in reprobos, et bonum quod ex malo facturus erat, per largitatem divinae gratiae redundet in pios, dum illi in malum quod cupiunt, cadere permittuntur. Sed unde se illi praecipitant, agitur ut alii nequaquam cadant.

6029 Sed quia his verbis judicium divinae districtionis asseritur, videndum jam quanta dispensatione utitur, ne id male deliberantes agant, unde puniantur.

1 Reg. 8,9: Nunc ergo, vocem eorum audi; veruntamen contestare eos, et praedic eis jus regis qui regnaturus est super eos.

Quasi aperta ostensione clementiae dicat: Sic nunc ergo vocem eorum audi, ut tamen ipsi prius de jure regis quem petunt audiant quod expavescant; et velut tunc male coepta deserant, cum quam sit res onerosa cognoscitur quam petebant.

6030 Abiecto enim Samuele rex petitur, quando reproba multitudo populi, spiritualem pastorem despicit, et praeesse sibi carnalem quaerit.

Cum quibus saepe divinae aequitatis districtione agitur, ut eo ipso quod electum praedicatorem despiciunt, subesse reprobo permittantur, ex cujus imitatione tanto deterius pereant, quanto majori superbia id ex quo vivere in aeternum poterant, audacius contemnebant.

6031 [COLLOQUIO]. Providentia, dum reprobos punit, sanctos èrudit; ex cujus judicii ejus districtione, vindictae malum procedit in reprobos, et bonum quod ex malo facturus est, per largitatem divinae gratiae redundat in pios; dum illi in malum quod cupiunt cadere permittitur: et unde se illi praecipitant agitur ut alii nequaquam cadant. Jacta super Dominum curam tuam, *Ps. 54,23*. Deus nostrum refugium et virtus in tribulationibus quae invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris, *Ps. 42,2 sq*.

La Chiesa è il domicilio dell'unità e della verità, S. Cyprianus, *De unitate Eccl. p. 399 A. 396 D.* - S. Th. 2-2,39,1.

6032 Epistola Dion. Alex. *apud Eusebium, Hist. Eccl. l. 6 c. 45, ad Novatum*: Si quidem invitus, ut asseris, eo adductus es, id nobis ostendas tua sponte redeundo. Satius quidem fuerat quidvis pati, ne ecclesia Dei scinderetur. Nec minus gloriosum fuisset idcirco subire martyrium ne Ecclesiam scinderes quam ut ne idolis sacrificares. Imo illud, meo quidem judicio, illustrius fuisset. Hic enim pro sua unius anima: illic pro omni Ecclesia martyrium quis sustinet.

S. Augustinus, *Enarratio in Ps. 88, Serm. 2 n. 14, De Donatistis loquens*, *t. 4,954 B*: Non eo ad adoranda daemonia, non servio lapidibus, sed tamen in parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus Pater, qui offensam vindicat matrem?

6033 MEDITAZIONE 27.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 8,10-15: *Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum qui petierat a se regem.*

v. 11: Et ait: Hoc erit jus regis qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et praecursores quadrigarum suarum.

v. 12: Et constituet sibi tribunos et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segetum, et fabros armorum et curuum suorum.

v. 13: Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, et focarias, et panificas.

v. 14: Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis.

v. 15: Sed et segestes vestras et vinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis et servis suis.

6034 [Preludio 2]. Il senso allegorico edificato sopra la lettera di questa Scrittura, dopo averci fatto conoscere il difetto involontario che accidit al ministero, insieme colla occasione che maliziosamente pigliano di ruina [i cattivi] e la tranquilla e sollecita insieme ricerca del ministro nella sua ragione e nell'orazione molto più, di lumi necessarj per ben regolare [i suoi fedeli], e l'ordine sempre ammirabile, sebbene occulto, che a lui si svela della divina Provvidenza, che raddrizza [il male] a' suoi fini, [questo senso allegorico, dico] ci porta adesso a considerare come il ministro pienamente conforme alla volontà divina di beneplacito, sta pur diligente ad eseguire la volontà divina di segno, che egli ha pur conosciuta, e nelle sue risposte, ossia parole, e nelle operazioni già stabilita. Spiega dunque secondo l'ordine di Dio nella sua risposta i danni che dal reprobo prelato verranno alla greggia: danni al clero, danni al popolo, che vuol esser l'ultimo a perder la fede.

6035 [Rifacimento]. Ora su questa lettera, il senso allegorico che etc. dopo averci fatto conoscere come senza colpa del ministro avvenga il difetto talora, e le misure, o i lumi ch'ei cerca per regolarsi, e l'ordine ammirabile a lui scoperto della divina Provvidenza, che raddrizza a' suoi fini anche gli umani errori, ci porta adesso a conoscere come ai cenni di questa ammirabile Provvidenza questo ministro sempre fedele, perfettamente conforma le sue risposte e le sue operazioni secondo la volontê di segno, ch'è quanto a dire: siccome finora egli avea ubbidito alla volontà di segno da lui meditata con diligenza, adesso obbedisce alla volontà di beneplacito, che scopre con adorazione e segue con sommissione, cercando però sempre anche in questa la volontà di segno. Oggi vedremo com'ei si conforma ai cenni della divina volontà nelle sue risposte.

6036 [Secondo rifacimento]: Abbiamo conosciuto l'occasione che dall'involontario difetto, il quale occorre nel ministero del buon predicatore o prelato, pigliano i malvagi sudditi di forte ruina per sé, e per altri innumerabili che

seco traggono.

Abbiamo veduto pure la tranquilla e sollecita insieme ricerca di mezzi e di lumi, fatta dal buon ministro, e coll'uso del buon discorso di sua ragione, e molto più della più raccolta e fervente orazione, per ben regolarsi alla dura circostanza.

6037 Abbiam poi osservato la Provvidenza divina, come e svela al fedele suo servo, almeno in una certa suboscura generalità, gli abissi profondi dell'ammirabili suoi disegni, e le vie quasi più chiaramente lui mostra e accenna, che deve camminare il suo ministro per non recedere dalla rettittudine.

Oggi è da considerare come il buon ministro, sempre conforme alla divina volontà di beneplacito, per adorare i profondi suoi fini, pronto si mostra e fedele nell'eseguire a punto i cenni della volontà divina di segno, ch'egli arrivò con la divina grazia ad accertare, sia nelle risposte ch'ei rende, sia nel piano ch'egli d'eseguir si determina.

Cominceremo dalle risposte ch'ei rende.

6038 Preludio 3. Fateci, Signore, pienamente subordinati, spaventandoci co' vostri castighi. Dereliquerunt me fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas etc., *Jer. 2,13*. En non volendo servire a voi né al vostro Sacerdote, servierunt diis alienis, idoli nella Chiesa, qui non dabunt eis requiem die ac nocte. *Jer. 16,3*. Ecce enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat, *ibi,* v. 12. Et ejiciam vos de terra hac in terram quam ignoratis vos et patres vestri, et servietis ibi diis alienis, die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem, v. 13. Fiat voluntas tua: di segno e di beneplacito. Allora saremo perfetti ministri.

6039 *1 Reg. 8,10*: *Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum qui petierat a se regem, v. 11*: *et ait: Hoc erit jus regis qui imperaturus est vobis*.

Vedendo che già Dio vuol castigar questi cattivi dando loro un pastor carnale, dimostra chiare le conseguenze e il gran male che ne procede nei cattivi.

6040 Questa è la giurisdizione [degli scismatici]: cioé la forza, la tirannide, non avendone più [di giurisdizione], perché fuori della Chiesa non ci sono chiavi. Peccatorum remissionem, vitam aeternam, sono articoli che apparetengono alla Chiesa, unam sanctam catholicam, ch'è la Romana. Chi fa due chiese, cioè un partito che pensi diversamente dalla Chiesa romana, fanno due chiese: son fuori della vera. Tutte le chiese si hanno a conformare con quella. Questa non può mancare. Exite de medio Babylonis, *Cf. Isai. 48,20 et 52,11*.

6041 In unius carnalis praepositi conversatione, ostenditur quod carnales ceteri ex tyrannide acturi sunt, non quod electi debeant imitari. Nam in eadem regum historia legitur, *3 Reg. 21,1 sqq.* quia cum rex Achab, Naboth vineam abstulit, iram Dei omnipotentis incurrit. Hic vero cum jus regis praedicitur, agri, vineae et

optima oliveta tollenda esse memorantur. Cum ergo hic praedicitur quod commissum illic punitum est, ostendit quod divino judicio non jubetur.

6042 Quare et electus rex David, cum ad aedificandum altare Domino, Ornam Jebusaei aream peteret, regio illo tyrannorum jure non uti voluit, cum eam accipere nullatenus acquiesceret, nisi ante pro ea dignum pretium dedisset. Quia igitur ea quae in jure regio continentur, vitanda potius quam imitanda praedicantur, eo subtilius consideranda sunt, quo vitari nequeunt si nesciantur. Ait ergo:

6043 *Fetonti. Filios vestros tollet, 1 Reg. 8,11*: [Qui sunt] ii qui eorum virtutes imitantur, et ponet in curribus suis, *ibi.* Currus carnalium praelatorum est fastus mundanus elationis; nam dum ceteris se sublimiores esse gloriantur, quasi curribus vecti per alta gradiuntur.

6044 Danni nel clero. Emulatori della sua superbia.

Filios vestros... ponet in curribus suis, *8,11*, Hoc fit quando pastores reprobos per appetitum mundanae gloriae sequuntur; cum, relictis spiritualibus studiis, carnalis vitae commoda expetunt, et deposita illa sublimi intentione coelestium, alta saeculi assequi conantur.

In curribus, non in curru: Quia ex omni quod praecellit in carnalium praelatorum culmine, proficiunt in elatione; et quasi tot sublimibus curribus in alta elevant quot alta conspiciunt, quibus aliis se superiores putant.

6045 *Filios vestros... ponet in curribus, ibi*: [Hoc fit] quando carnalis rector electorum imitatores exemplo suae pravitatis ad elationis vitia pertrahit, ut coelestia postponant, terrena appetant, et in hoc solo gaudeant, si in eo quod temporaliter altum volvitur, ceteris praeferantur. Et quia non solum contra minores sunt erecti, sed etiam fortes sunt, sequitur.

Facietque sibi equites, ibi, della tirannica sua fierezza e violenza.Velut enim in equis saeviunt qui et sublimes sunt dignitate, et potentia truces.

6046 *Equites, ibi*: Quia dum feroces cordis sui motus contra impotentes dirigunt, ad omne quod per tyrannidem exercere appetunt veloces sunt. Anhelant quippe impetu, spumant rabie, et quos cursu tyrannidis impetunt, elidunt. Sed dum in pastoribus reprobis alii mundanae elationis fastus aemulantur, alii eorum exemplo, quos valent opprimunt, nonnulli etiam sunt qui ad exercenda mala quae per seipsos bonis inferre nequeunt, nequiores se alios introducunt. Unde et sequitur:

6047 *Et praecursores quadrigarum suarum*: [Quae sunt] perversae mentes malorum subditorum, in quorum consiliis praelatus reprobus requiescit. Quadrigae enim regem portant, dum per iniqua consilia pravorum acta rectorum adjuvantur. In eis quippe quasi per sublime rex ducitur, dum per eos qui ad temporales honores eis favent, quidquid carnales praepositi de altitudine saeculi in desiderio volunt, exequuntur.

6048 Quadriga inde stat unde volvitur, quia reproba mens finem suae intentio-

nis habet saeculi volubilitatem; inde quidem requiescit quo per innumeras curas mentis, rotantis mundi negotia ventilare non desinit. Regum ergo quadrigae sunt, dum per omne quod altum volvendo cogitant, in se carnalium praepositorum jussa portant. Sed qui locum familiaritatis juxta carnales praelatos habent, habent minores quibus ìmperent.

6049 Ipsi ergo velut quadrigae regis sunt, illi praecursores.

Praecursores quadrigarum suarum, *ibi*: Quia eo modo quo carnalem praepositum ad opprimendos humiles invehunt, ipsi quoque ad nocendum quibus possunt, per aliorum ministerium deducuntur. Praecursores quadrigarum: [talis est] qui iniqua mentis suae versutia artem cogitat per quam illum ad inferenda mala mitibus introducat.

6050 Fanno partiti sotto di sé.

Quadriga etiam honoris causa portari regibus solet. Quasi ergo in quadriga rex sistitur quando carnalis rector de magnorum qui videntur juxta se adulationibus gloriatur. Qui vero istos in eorum laudibus praecedit, praecursor quadrigarum suarum, vel alias persecutor; quia adulationes isti vel post vel antea proferunt, quas illi in auribus populi praeeundo aut subsequendo sparsère.

6051 *1 Reg. 8,12: Et constituet sibi tribunos et centuriones.*

[Hoc fit] cum in tantum mali profectum veniunt, ut ad exquirenda tyranni imperia impiis satellitibus principantur; [et] cum mundanarum virium acies ordinant, quas ad innocentium bella producant.

Tribunos [eos dicit] qui per plures sibi fautores recte viventibus insidiantur.

6052 Centuriones: qui nulla nocendo genera praetermittunt. Ex eo enim perfectionem iniquitatis obtinent, quo multa et ingentia mala quae possunt, inferre semper student. Centenarii numeri perfectio in mala parte [attingitur], quando ad summam nequitiae ab impiis pervenitur. Qui nimirum calliditate suaves sunt, terrore violenti; suaviter quidem blandiuntur aliis, ut eorum auxilio terrère alios ferociter possint.

6053 Maestri di errore.

Et aratores agrorum suorum, et messores segetum, 1 Reg. 8,12.

Agrorum suorum: Carnalis praepositi [agri sunt] mentes subditorum.

Aratores agrorum suorum: [Sunt] qui arte saecularis ingenii, eis suadent acta pravitatis. Velut enim agrorum soliditatem loquendo aperiunt, qui per reproba consilia simplicium corrumpunt.

Et messores segetum: Metuunt quando semine pravi consilii decepta corda minorum fructum reddunt malae operationis. Segetes [enim sunt] opera mala, quia perversitas reprobi subditi dum a carnalibus rectoribus gaudenter excipitur, eorum quasi electus est cibus mentis.

6054 Consiglieri perversi.

In qua certe perversitate quia paulatim proficiunt, [sequitur]: *Et fabros armorum et curuum suorum, ibidem*: Arma et currus tyrannorum [sunt] omnia illa nocendi instrumenta, quae ad evertenda corda minorum praeparantur. Sed quia curru pervenitur quo armis feriatur, fabri armorum et curruum suorum fiunt quando nequissima cordium suorum machinatione, inveniunt et mala quae agant, et eadem mala inventa qualiter inferant. Fabricare arma [est enim] nocendi genera reproba mente colligere; fabricare currus, ad eadem mala inferenda artem qua accedere possunt invenire.

6055 Danno nel popolo, e prima ne' cattivi.

1 Reg. 8,13: Filias quoque vestras (seu infirmorum mentes [quae] intra sanctam Ecclesiam [sunt] positae) faciet sibi unguentarias, quia dum carnales praepositos in celsitudine gloriae transeunt aspiciunt, eos delinire adulationibus conantur. Horum profecto unguentorum usum psalmista reprobans, ait, *Ps. 140,5*: Oleum peccatoris non impinguet caput meum.

Unguentarias: quia dum carnalibus praepositis infirmi displicere metuunt, eorum feritatem cui timendo subjacent, blandimento demulcent. Per loro, anche se la Chiesa fosse luterana, calvinista, si accomodano presto, e lasciano la Romana.

6056 Nota: Filii *tolluntur*, et sic equites, centuriones, etc. fiunt; filiae non tolli, sed simpliciter unguentariae et panificae fieri [dicuntur]. Tolli enim violentiae est; filii [igitur] tolluntur, quia robusti dificile evertuntur: filiae non tolli [dicentur] sed unguentariae [fieri]: faciet sibi unguentarias, quia qui infirmi in bono sunt, per exempla pravorum facile dissipantur.

6057 *Et focarias et panificas, 1 Reg. 8,13:* Quia qui tyrannis adulando serviunt, dum favendo placent, velut cibos exhibent.

Focarias: quae focis coquunt quae reges comedunt, [seu] quae per obsequia favoris carnali praeposito accendunt tumorem cordis, ut eo audacius favores excipiant quo velut delicatiores sibi cibos ignis excitatae devotionis parant.

Panificas: quia dum reprobam vitam laudant, carnalem mentem tyranni ad exercendam pravitatem roborant.

6058 Poi li buoni.

1 Reg. 8,14: *Agros quoque vestros tollet.*

Agros vestros: [Agri sunt] bonorum devotae mentes subditorum, quae dum eorum verba libenter audiunt, bonorum operum uberem fructum reddunt.

Et vineas, ibi: [Vineae sunt] mentes [bonorum] eorum ita imitatione proficentium, ut etiam aliis verbum vitae praebeant, et quos loquendo in amorem Conditoris accedunt, velut potando ebrios faciunt.

6059 *Et oliveta*, *ibi*: [Videlicet] corda auditorum, qui bonorum exemplo et exhortatione proficiunt in opus misericordiae.

Sed dum rex constituitur: *agros vestros tollet, v. 14:* Quia dum carnales

perveniunt ad culmen regiminis, nonnulli bonorum auditores exempla suscipiunt pravitatis cum nuper devota corda seducuntur, quando ex nequitiae semine fructum reddunt in maligna conversatione.

6060 *Tollet et vineas et oliveta, ibi:* Cum exemplo mali praepositi misericordiae opera, et sanctae praedicationis verba exhibenda et loquenda dèserunt.

Et dabit servis suis, 8,14:

Servis: qui dominorum juri semper subditi, evadere nequeunt jura dominationis. *Servis suis* [seu] regis, qui per abundantem iniquitatem sic se tyrannorum voluntatibus obligant, ut ab eis ulterius recedant.

Et dabit servis suis, ibi: Quia reprobi fautores praelatorum carnalium, dum decepta corda in propositum transferunt pravi operis, velut lectorum agris, vineis et olivetis, titulum imponunt tyrannicae potestatis.

6061 Dei quali altri periscono affatto, altri in qualche modo si macchiano. *1 Reg. 8,15*: *Sed et segestes vestras, et vinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis.*

Cum mali praesunt, difficile valde est, ut qui eis subjicitur nulla religionis damna patiatur. Aliorum namque mentes omnino pereunt, sed ii quos pervertere penitus nequeunt, dum incessanter et verba et opera eorum prava conspiciunt, qualicumque sorde maculantur.

6062 *Sed et segestes vestras et vinearum redditus addecimabit, ibi*: Quasi dicat: Sub pastore reprobo electorum etiam bona integra non sunt. Sed quod bonis dèmitur, [pravis datur]:Ut det eunuchis et famulis suis: [Sunt autem] ejus auditores hypocritae.

In apparenza, tutti li diretti da cotesti novatori sono santi.

Eunuchis, quia saeculares voluptates se abjecisse ostendunt, sed regis sunt famuli (*famulis suis*): quia per omne quod de virtutibus se habere simulant, in se reproborum praepositorum jugum portant.

6063 *Sed et segestes vestras, et vinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis, 8,15*: Quia hypocritarum virtus leviter non agnoscitur. In quo dum sancti etiam viri possunt dècipi, quod perdunt illis adscribitur, quorum fraude capiuntur.

6064 MEDITAZIONE 28.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 8,16-22: *Servos etiam vestros, et ancillas, et juvenes optimos et asinos auferet,*

et ponet in opere suo.

v. 17: Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.

v. 18: Et clamabitis in die illa a facie regis vestri quem elegistis vobis: et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem.

v. 19: Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam, rex enim erit super nos,

v. 20: et erimus nos quoque sicut omnes gentes: et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis.

v. 21: Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini.

v. 22: Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, et constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Jsrael: Vadat unusquisque in civitatem suam.

6065 [Preludio 2]. Seguita il fedele ministro di Dio a descrivere i danni che provengono da un reprobo pastore. Ha notato pur i danni nel clero e nel popolo: fa ora vedere i danni che intentano pure agli eletti. E come, pienamente conforme al divin beneplacito, egli ubbidisce perfettamente alla volontà di Dio significata in tutte le sue risposte, così ancora nel modo del suo operato.

6066 [Preludio 3]: Doce me facere voluntatem tuam, *Ps. 142,10*. Samuele, ubbidiente ai precetti di Eli, meritò di poter ubbidire ai lumi di Dio. Perché Dio doceat, bisogna esser docibiles Dei. *Io. 6,45*: L'ubbidienza a' superiori addestra a questo. Bisogna esser miti: Docebit mites vias suas, *Ps. 24,9*. Non bisogna resistere a' suoi comandi.

6067 Danni intentati agli eletti.

1 Reg. 8,16: *Servos etiam vestros et ancillas*, [scilicet] sanctorum; qui eis temporalia necessaria subministrant; quia dum eis corporum necessaria tribuunt, in eodem opere misericordiae alii aliis robustiores sunt.

Et juvenes optimos, ibi: Quia et qui multum et qui parum possunt, dum omne quod praevalent in opere misericordiae expendunt, veluti electi juvenes divina servitia valenter operantur.

6068 *Et asinos, ibi*: Electorum, quibus ferenda onera obedientiae imponuntur, ut eorum fragilitatem adjuvent, dum ea cum eis portant, quae sine eis portare nequaquam possent.

Auferet, et ponet in opere suo, ibi: [scilicet] regis. Qui ponuntur in opere regis [quia] diebus constitutis debitum persolvunt angariae juri publicae potestatis.

Conseguenza dello scisma d'Inghiterra [fu] levar li fondi. Levar loro i sostegni temporali, e staccando da loro prima il partito.

6069 *Servos... et ancillas, juvenes optimos ponet in opere suo, ibi:* Quia praeminentibus carnalibus, et electorum ministri et devote obedientium corda plerumque maculantur. Nam dum reproborum eorum vitam indesinenter aspiciunt, paulatim sic dècidunt, ut aliquid de eorum factis imitentur. Ex longo quidem usu electis serviunt, sed dum saepe vident eorum excellentiam culminis, serviri sibi ab

aliis quandoque àppetunt per impulsum elationis. Sua quoque misericorditer tribuunt, sed tyrannorum saepe exemplo aliena tollunt.

6070 [Gli] eletti, umili, per poco [rimangono] ingannati: ad tempus.

Sed quia servi sanctorum sunt, de jure eorum exire non possunt. Ad horam quidem possunt dèseri, sed ab errore in quem decidunt, per divinam misericordiam facile sublevantur. Quia ergo per exempla pravorum corruunt, qui cito resipiscunt velut per angariam ponuntur in regis opere, in quo diu non pèrmanent per continuam servitutem.

6071 *1 Reg. 8,17*: *Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.*

Quasi dicat: Dum pastor vobis carnalis praeponitur, non solum vestris, sed etiam vobismetipsis virtutum praedae inferuntur.

Greges vestros, [seu] electorum, [sunt] turbae virtutum spiritualium. Quia vero et ipsae spirituales virtutes exemplo pravorum dissipantur.

6072 Addecimat, quando is qui carnaliter praeeminet in sanctorum cordibus aliquas virtutes pèrimit, quia dum mentis integritatem dissipat, virtutum numerum imperfectum relinquit. Denario quippe numero perfectio designatur.

Cos'è questo? Poco male! Cosa di disciplina, dicea Novaziano per una ordinazione. Question di fatto contro il Pontefice.

6073 Unde et cum lapsae humanitatis nostrae damna Dominus aperta comparatione ostenderet, mulierem quae de decem drachmis una perdiderat in medium ducit, *Luc. 15,4* ut per hoc quod denarius numerus periisse ostenditur, superna illa societas quae novenario numero remansit in Angelis, sine reparatione conditionis nostrae imperfecta esse doceatur.

6074 Diminuiscono anche ad altri le loro virtù.

Et quia decimae per annos singulos exiguntur, apte qui decimas offerre non dèsinunt "servi" esse regis perhibentur: eis quippe per annos singulos serviunt, quorum exemplo saepe pejores fiunt.

Possunt et per hoc quod post datas decimas servitus ista asseritur, mali profectus ostendi; nam qui paulatim deficiunt, quotidie agunt unde ad iniquitatis profunda deducantur.

[È il caso dei] virtuosi, [ai quali basta] fallir il principio [per cadere in] conseguenza ab absurdo, e [anche di] altri [i quali] di quindi scadono sino al peccato.

6075 *Greges vestros addecimabit, vosque eritis ei servi, 1 Reg. 8,17*.

Quasi dicat: malorum exemplo paulatim decidetis; sed cadendo agitis ut ab eorum imitatione nunquam recedatis. *2 Petr. 2,19*: A quo quis vincitur, ejus servus efficitur. Quia enim per imitationem pastoris reprobi in peccati servitutem incidunt, etiam ab ejus jugo quando volunt solvi non possunt.

6076 *1 Reg. 8,18*: *Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis*

vobis, et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem.

Quasi dicat: In notitiam pravae imitationis ejus paulatim defluitis, sed pravitatis ejus ex empla quibus vos sponte submittitis, relinquere non potestis. *Jo. 8,34*: Omnis qui facit peccatum servus est peccati. Quibus ergo peccata dominantur per se ab eorum jugo liberari nequeunt.

6077 Nam saepe ad dominum cum precibus veniunt, libertatem petunt, sed exaudiri non possunt; divino siquidem judicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala vitare cum possent, non possint vitare cum volunt; et qui sponte incurrunt mala praecognita, fugere non possint experta.

Laccio insolubile. Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego, *Ps. 149,10.* In errorem inducantur, si fieri potest... *Matth. 24,24.* Era eletto Pietro, eppur cadde; gli Apostoli fuggirono. Non li esaudirà permettendo loro ad tempus la loro caduta, per farli rientrare in se stessi.

6078 Quare et causam insinuans qua exaudiri prohibeantur, ait: *Quia petistis vobis regem, 8,18*.

Quasi dicat: Quia illud vobis dari postulastis, in quo haec omnia futura, me praedicente, cognovistis.

Haec, ut supra dixi, in typo praelatorum carnalium de futura regis conversatione praedicuntur, ut ab ejus petione quiescerent in quo tanta mala cognovissent.

Sed habent corda reproborum ut malum cito proponant, et a malo proposito non celerius resipiscant.

6079 Modo del suo operare.

1 Reg. 8,19: *Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam, rex enim etc*.

Mores subditorum carnalium hic [exponuntur]; quia, dum exteriora àppetunt, interiora damna etiam exposita non attendunt. Sed qui carnaliter praesunt, ipsa ostensione temporalis potentiae subditis sibi minoribus magnam spem dant tutelae. Dum ergo dicunt: Rex enim erit super nos, et erimus nos quoque sicut omne gentes, et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos et pugnabit bella nostra pro nobis, *8, 19 sq*, reproborum subditorum mores [insinuant], qui humiles et spirituales praedicatores despiciunt, ut temporaliter a carnalibus adjuventur.

6080 Quod certe nullatenus agerent, nisi prius lumen cordis amisissent. Nam si spiritualium virorum humilitatem foris despiciunt, sed qua potestatis sublimitate intus emineant cernere non merentur. In illis quoque externam potestatis tyrannidem vident, sed qua infirmitate intus deprimantur non vident. Isti quia Deo adhaerent, cum volunt etiam in exterioribus potentes sunt; illi qui a Domino recedunt, spem quam promittunt de potentia saeculari, exhibere non possunt fortitudine operationis.

6081 Nam, ut de vicino exempla capiamus, Saul ad pugnanda bella regem

postulantium fortis et potens eligitur, ita ut, sacra hac historia teste, ab humero et sursum universo populo emineret. A Deo igitur ad regni gubernacula electus, cum bonus existeret et de filiis Jsrael aliquis melior illo non esset, tamen cum tantus ac talis vir, carnali fortitudini relinquitur, bella perdidit quae pugnaturus acceperat, et vitam pariter amisit.

6082 Samuel autem, qui saeculi potentia sublimis non extitit, qui humiliter non solum Deo sed etiam hominibus ministravit, de exterioribus quoque bellis trophaea potenter exhibuit. Nam, *1 Reg. 7,9 sq*: Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino; et clamavit Samuel ad dominum pro Jsrael, et exaudivit eum Dominus. Factum est autem cum Samuel offerret holocaustum Domino, Philisthaei inière praelium contra Jsrael. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos, et caesi sunt Philisthiim a filiis Jsrael. Dicat ergo: Noluit autem populus audire vocem Samuelis, *8,19:* Ut in eorum inobedientia, superborum corda designentur sic divinae aequitatis judicio projecta, ut magna mala immineant quae incursuri sunt, sed tamen ea videre non possint.

6083 *1 Reg. 8,21*: *Et audivit Samuel omnia verba populi*.

Hoc profecto Samuel audivit quod populus locutus est, sed ipsum populus non audivit. Populo enim reprobo loqui et non audire, fuit verba contra Dei voluntatem pròmere, sed poenam pravae locutionis minime praevidere.

Audivit Samuel verba populi, quia spirituales viri, dum superbiae locutionis voces audiunt, futurae in eis divinae ultionis meritum recognoscunt; quia Sancti ac spirituales viri quidquid carnales superbe foris ìnsonant, quale sit in divino judicio intus pensant.

6084 Sed quia dum carnalium subditorum damnabilem vitam reperiunt, pro delendis eorum criminibus intercedunt, sequitur:

Et locutus est ea in auribus Domini, 8,21. In eorum auribus loquimus, apud quos magnae familiaritatis gratiam habeamus. Sancti autem viri, quia omnipotenti Deo in magni amoris vinculo conjuncti sunt, ei in auribus loquuntur; quia divinae propitiationis ejus auditum tanto fiducialius exposcunt, quanto apud ejus misericordiam impetrandi locum sublimius acceperunt. Peccata vero populi loquuntur pro humilitate confessionis, sed in auribus loquuntur Domini, quia cum magno affectu precis, januam pulsant dominicae propitiationis.

6085 *Et locutus est ea in auribus Domini, ibi*: Forte quia dum sancti viri pro peccatoribus òbsecrant, preces quas pro eis Domino òfferunt, hominibus non revelant. Unde et in Evangelio Dominus pròhibet discipulos, *Matth. 6,5*: Cum oratis, nolite fieri sicut hypocritae tristes, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Verba ergo, sive opera populi loquuntur, cum delicta locutionis et operis, orationibus delenda Domino exponunt.

6086 Preghiera per li popoli.

Locutus est ea in auribus Domini, [et similiter boni pastores] ut dum hominum testimonia orantes fugiunt, ab eo qui occulta respicit celerius audiantur. Dum ergo Samuel locutus ea in auribus Domini, modum insinuat quo quis auditum mereatur divinae dignationis. Nam pervenire ad Deum oratio nequaquam potest, quae ex intentione pròmitur ut ab hominibus agnoscatur.

6087 Unde et qui in auribus Domini locutus asseritur, responsa ejus etiam percepisse perhibetur; nam sequitur: *1 Reg. 8,22*: *Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, et constitue super eos regem.*

Notandum [quia] Samuel verba populi quibus regem petierat, in auribus Domini locutus est, et Dominus se abjectum asserit in eo quod populus regem petit. Dum igitur oranti respondet, et regem facere orantem jubet, insinuat quod devota viri oratio nunquam est infructuosa. Nam si populi correctionem non obtinuit, eruditionis suae bonum obtinuit, cum abjectum populum pro mala petitione cognosceret, sed et nihilominus sciret quid facere projectis ipse debuisset.

6088 Audiri ergo propheta potuit e non audiri; quia orando qualis esse deberet novit, sed a populo reproba postulanti duritiam cordis non abstulit. Sed hoc ille obtinere potuit qui in auribus Domini obsecrant, divinae propitiationis auxilio muniuntur, ut eorum criminibus nequaquam polluantur, quorum sordes delere precibus nequeunt. [Sequitur]:

6089 Audi vocem eorum, *ibi:* Cum supra dictum sit, *v. 21*: Audivit Samuel omnia verba populi. Sed verba populi audierat ut sciret quae dicebantur, non ut quae petebantur concederet. Dum ergo ei a Domino dicitur: Audi vocem populi et constitue super eos regem, favère voluntati populi prophetam jussit. Et ecce, ut palam est, propheta orans non auditur, populus Deum objiciens regemque petens auditus est; quia miro et tremendo divinae incomprehensibilitatis judicio, sancti viri pro reprobis orantes exaudiri nequeunt, in adimplendis vero suis pravitatibus, audiri ipsi reprobi delinquentes possunt; ut illis libera iniquitas aeternae vindictae meritum augeat, et istis ex affectu compassionis merces perpetuae retributionis accrescat.

6090 Il reprobo pastore quantunque verrà, non è però subito. Adesso è una pecora, ma diverrà presto un lupo. Bisogna vedere di non fallire un passo, un gradino: come una proposizione nel raziocinio.

Et statim eum ordinem quo ad ejusdem regis constitutionem eventum sit osterndere incipiens, ait:

Et ait Samuel ad viros Jsrael: Vadat unusquisque in civitatem suam, 8,22.

6091 Cum spiritualia discutere volumus, necesse est ut ab intentione nostra carnalia removeamus, quia mens interna non penetrat, quam exteriorum actuum pulvis caecat. Dum igitur propheta Domini omnem populum abire ad propria loca

praecipit, a se utique tumultum carnalium repellit, ut eo spiritualia quae disponenda sunt clarius videat, quo mentis ejus aciem terrenorum actuum intentio non obscurat. Sed qualis sit...

[Spunti per il colloquio]: Augstinus *in Ps. 82*:... In Petro unitatem commendavit. Multi erant Apostoli, et uni dicitur: Pasce oves meas.

Ritiro e solitudine.

6092 MEDITAZIONE 29.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 9,1-6: *Et erat vir de Beniamin, nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore.*

v. 2: Et erat ei fiius vocabulo Saul, electus et bonus, et non erat vir de filiis Jsrael melior illo: ab humero et sursum eminebat super omnem populum.

v. 3: Perierant autem asinae Cis patris Saul: et dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, et consurgens vade et quaere asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim,

v. 4: et per terram Salisa et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant; sed per terram Jemini, et minime repererunt.

v. 5: Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum qui erat cum eo: Veni et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et solicitus sit pro nobis.

v. 6: Qui ait ei: Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur sine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus.

6093 [Schema]. Casa - vocazione - Conversazione buona e mala.

Conversazione mala di alcuni ministri - Elezione legittima - Ingresso e princìpi buoni - Esito infelice, o mala corrispondenza, o riprovazione.

Elezione: nel divino decreto - nella umana cognizione.

[Nel] divino decreto: dispensazione [di] giustizia.

Nella umana cognizione: del supremo Pastore - dell'eletto - del popolo.

Le vie - Il compimento.

6094 Ora su questa lettera diciamo che, sendo il nostro scopo di mostrare a voi, venerabili Chierici, la maniera di conversazione nella casa di Dio, secondo il divisamento dell'Apostolo, *1 Tim. 3,15*; ut sciatis quemadmodum oporteat in domo

Dei ambulare, ed avendovi a questo fine in primo luogo fatto prendere cognizione di questa casa, nelle persone principali che la compongono, nelle qualità delle persone che la compongono, cioè dello sposo, Cristo, e della sposa, ch'è la Chiesa, e della prole, che sono i fedeli, e nell'economia ammirabile del governo;

6095 avendovi in secondo luogo disegnata la vocazione necessaria per entrare legittimamente a ministrare in questa casa, nelle disposizioni che la precedono, nell'ordine con che si manifesta e si eseguisce, e nell'effetto che l'accompagna, resta ancora, secondo le premesse [poste] a principio, a mostrarvi la conversazione buona d'alcuni altri egualmente chiamati e introdotti a ministrare in questa casa, a fine di schivar quella e seguir questa.

6096 Considereremo pertanto l'elezione legittima ugualmente in tutti, i principi similmente buoni, l'esito finalmente buono e cattivo, secondo la differente corrispondenza.

Cominciando dalla elezione legittima de' cattivi, ossia di coloro che cominciando bene finiranno male, per difetto di corrispondenza, contempleremo questa elezione sotto [un] doppio rapporto: e nel decreto di Dio - e nella umana cognizione.

6097 Contemplando la elezione di quelli ecc. nel decreto di Dio, è da considerare prima la dispensazione o fine: secondo la giustizia di questo decreto.

1 Reg. 9,-2: *Et erat vir de Beniamin, nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore.*

v. 2: Et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus; et non erat vir de filiis Jsrael melior illo: ab humero et sursum eminebat super omnem populum.

6098 - Cum ordinandi regis persona exponitur, cur patrum ejus nomina describuntur?

- Ut regnum ejus durabile non sentiatur. Nam de regno quod futurum praeviderat Moyses [dicit] Gen. 40,10: Non deficiet sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. Quia ergo tribus Juda ad regni diuturnitatem praevisa extiterat, Cis generatio memoratur, ut regia dignitas quae condebatur in filio, aperte sciretur esse dispensatoria, non mansura.

6099 Decreto dispensatorio: finché [gli eletti] conoscano l'assurdo. Omnia propter electos.

Et erat vir de Beniamin, nomine Cis, filius etc. 9,1: Sed qui carnalem regem generat, [vocatur] nomine Cis, [latine] durus, fortis robore.

Nunc quoque plerique carnales intra sanctam Ecclesiam sunt, qui magna agere videntur; carnales vero sunt, quia Sancti Spiritus gratiam non habent. Fortes robore

sunt, quia omne quod magnum videntur agere, corporale est.

6100 Nam et Cis, pater Saul, ideo dicitur fortis robore, ut vires corporis magnas habuisse sentiatur. Cis filius, fortis robore, *ibi*: Fortis robore durus est, quia qui magna carnaliter exhibet, cor molle per compassionem in fraterna caritate non habet. Valenter agit, quae non imitari homines foris possint, sed intus conjungi fraternis mentibus nescit per affectum dilectionis. Fortia agit quae Deus reprobat, et affectum caritatis quem approbat, exhibere non curat.

6101 Durus ergo est, quia dum superbo corde corporalia agit, ejus mentem gratia Sancti Spiritus non emollit. Quo contra sanctus vir gloriatur, *Job. 23,16*: Deus mollivit cor meum, et omnipotens conturbavit me. Et saepe qui talium mores imitantur, Dei judicio rectores fiunt; unde et apte Saul Cis filius fuisse memoratur:

Et erat ei filius vocabulo Saul, 1 Reg. 9,2.

6102 Decreto giusto, ovvero giustizia del decreto.

Electus et bonus, ibi: Qui duri filius [est] dicitur. Sed electus, non secundum gratiam, sed secundum judicium. Bonus, ut divinae aequitatis dispositio commendetur. Nam et mala quae pro peccatis nostris saepe patimur, quia per divinam justitiam nobis irrogantur, bona sunt. Bonum [est] quidquid est justum.

6103 Per justitiam quippe Dei, pastores reprobi ad regimen sanctae Ecclesiae ascendere permittuntur; sed qui mali sunt per iniquitatem, boni sunt divina dispositione; et occulta nunc ordinatione Dei, electi sunt qui ultimo erunt universali judicio reprobandi. Pastor ergo reprobus, quia ut sit, Dei indignatione decernitur, dicatur electus; et quia juste permittitur, dicatur bonus.

6104 Item quia ad exequenda divina judicia ceteris utilior providetur, [sequitur]:

Et non erat vir de filiis Jsrael melior illo. Ab humero et sursum eminebat super omnem populum, 9,2: Quia qui carnalium mores vivendo sequitur, valde nititur ut ea agat quae agere alter non valeat. Carnalis enim rector ab humero et sursum eminet super omnem populum, cum in exterioribus fortis est sine comparatione.

6105 Elezione nella umana cognizione del supremo Pastore - Vie alla cognizione del supremo Pastore. Contemplando la elezione nella umana cognizione, cioè del supremo Pastore che lo deve instituire, dell'eletto medesimo che deve esser iniziato, del popolo che deve esser soggetto, cercheremo le vie, o segni, o caratteri, con che si arriva a cognizione, e il compimento di questa cognizione.

Prima pertanto le vie o segni con che l'elezione di questo ministro arriva a cognizione del supremo Pastore.

6106 Potest etiam *electus et bonus*, intelligi dum asseritur non qualis in futuro praevidebatur. Electus et bonus dicitur, ut talis a Domino sentiatur electus, qui per inobedientiam postea fuit reprobandus. Quare et ipsa ratio exigit ut quae de electo

et bono usque ad reprobationis tempora dicuntur, et in bona parte sentiamus.

6107 *1 Reg. 9,3*: *Perìerant autem asinae Cis patris Saul, et dixit Cis ad Saul filium suum: tolle tecum unum de pueris, et consurgens vade et quaere asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim, v. 4: et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant; sed et per terram Jemini, et minime repererunt.*

6108 *Cis patris Saul*, *ibi:* [Hic est] Christus, [quo] nemo sibi durior [fuit]. *Isai. 51*: Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Mori enim mortalibus non est pati, [qui sunt] passibiles [et] damnatae naturae. Ille ergo sibi durus vehementer extitit, qui in se unde pateretur non habuit, sed ut nos patiendo liberaret in quo sibi durus esset et pati posset, dignanter assumpsit.

6109 Asinae Cis, [sunt] animae peccatrices; [et] quia etiam in fide Redemptoris regeneratae sunt, durae esse dicuntur. Perierant autem, quia per immunditiam ab ejus sunt servitio separatae.

Hinc est enim, Matth. 21,7, quod ad passionem tendens, absolutae asinae et pullo insedit, ut patenter ostenderet quia ad hoc pati venerat, ut peccatoribus subveniret. Pereuntes namque asinas se quaerere fatebatur, *Luc. 19,10*: Venit filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.

6110 1. Zelo delle anime [e] nella scienza divina.

Has asinas et per semetipsum quaesivit, et adhuc praedicatores ad quaerendum mittit. *1 Reg. 9,3: Et dixit Cis ad Saul filium suum*:... quaere asinas, quando electorum cordibus spirituali inspiratione Redemptor imperat ut in praedicationis ministerium pergant.

6111 2. Spirito nelle opere virtuose.

In Praedicationis autem officio pergentes, quia solum spiritalem sensum [secum ducere debent, dicitur]: *Tolle tecum unum de pueris, ibi*: [Hoc facit] qui dum ad praebendum aliis formam vivendi pergit, in omne quod agit spiritualis est. Unum namque de pueris tulit, de quo praedictum est, *Luc. 1,17*: Ipse praecedet illum in spiritu et virtute Eliae.

6112 Unum puerum secum tulerat, qui ait, *1 Cor. 2,12:* Non habemus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est. *Ibi, v. 16*: Nos sensum Christi habemus. *Ezech. 1,12*: Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. Quaerens ergo asinas unum de pueris tollit, quando is qui noviter animarum lucra quaerere incipit, quae agere putat, omnia spiritualiter agere disponit.

6113 Invenire autem asinas, [est] peccatores in luce sanctitatis conversos aspicere. Nam velut perditae asinae non inveniuntur quando in peccatorum tenebris reproba corda se obruunt. Et quia per quinque sensus corporis ad easdem peccatorum tenebras dècidunt, quinque regionibus non inveniendae requiruntur.

Qui cum transissent per montem Ephraim, et per terram Salisa et non

invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant; sed et per terram Jemini, et minime reppererunt, *1 Reg. 9,3 sq.*

6114 Unusquisque enim ubi per peccatum projicitur, ibi occultatur; et quasi perditus, ubi sit nescitur, quando justitiae lucem in qua eum Deus posuit, derelinquit. Hinc est quod in paradiso post peccatum primum hominem quaerit, *Gen. 3,9*: Adam, ubi es? Quasi dicat: Quid te in luce qua posui non invenio, demonstra te ubi posuisti. Hinc de mortuo Lazaro exquirit, *Luc. 11,34*: Ubi posuistis eum? Sed quem quasi perditum quaerebat, ut inveniret progredi imperabat: *Jo. 11,34*: Lazare, veni foras.

6115 Perditur ergo homo cum peccat, invenitur cum peccatum adversum se jam poenitendo pronuntiat. Quia enim per sacra eloquia peccatori praecipitur, *Isai. 43,26*: Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris, dum ille qui peccavit confitendo justificari incipit, in luce jam cernitur, ubi jam positus invenitur.

Saul autem qui asinas quaerens non ìnvenit, eruditi quidem praedicatoris personam designat, sed noviter incipientis; quem profecto omnipotens Deus praedicationis fructum afferre non patitur, ne vilem peccatorum conversionem aestimet, dum leviter convertere eos ad Dominum potest.

6116 3. Diffidenza di sé e timor di Dio.

Differtur ergo conversio ut conversi diligantur, et eos praedicator tanto amplius amet, quanto clarius videt quia eos lucrari cito non praevalet. Sed dum sancti viri de praedicatione sua alios convertere non possunt, de se vehementer timere incipiunt, ne inde omnipotenti Deo displiceant, unde se ei vehementer placere cogitabant; et plerumque agitur ut sic novorum praedicatorum corda terreantur, ut jam proponant ejusdem praedicationis officium deserere et Deo per silentium vacare.

6117 4. Prudenza e orazione.

1 Reg. 9,5: Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum qui erat cum eo: Veni et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et solicitus sit pro nobis.

Revertamur ad patrem, ait qui postposita intentione praedicationis, Deo vacare appetit in secreto silentii. Reverti quidem dicitur qui missus ante perhibetur; quasi enim coram patre sunt filii, quando electi viri immorantur in secreta contemplatione Redemptoris: revertuntur itaque, quando a publico sanctae praedicationis veniunt ad rimanda gaudia aeternae claritatis.

6118 Sed quia sancti viri nihil agunt inconsulti, Saul de reversione ad patrem puerum consuluit. Dixit Saul ad puerum:... *Veni et revertamur, 9,5*. Tunc namque puerum consuluit, quando intenta mente providemus ut quod tentamus disponere a spirituali sensu non debeat differre. Ad patrem quippe reverti disposuerat qui dicebat, *Ps. 38,1,* Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.

Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator contra me. Adversus praedicatores peccator consistit, quando ad praedicationem eorum, statum suae iniquitatis non deserit.

6119 Et quia tunc praedicator ei silere et Deo vacare proponit, ut ad patrem redeat, obmutescit. Sed quia per silentium voluntatem Dei melius dìdicit, [sequitur] ibi, *Ps. 38,4*: Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignit: et exardescente igne internae meditationis, locutus est. Quod hoc etiam in loco ostenditur, quia consultus puer consulenti se consilium impendit.

6120 *1 Reg. 9,6*: *Qui ait ei: Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur sine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra propter quam venimus.*

Qui ait ei: Ecce vir Dei, [seu] Samuel, [sive] praedicatores sanctae Ecclesiae, pro reverentia sanctae conversationis. Omne quod loquitur sine ambiguitate venit, quia quidquid minatur de aeternis suppliciis, quidquid de aeterna laetitia promittit justi, ita ut denunciat, et impii abibunt ad poenam, et electi ad gloriam.

6121 *Est in civitate hac*: quia electus pastor in communi subjectae plebis custodia semper vigilare cognoscitur. Est in civitate, quia cum custodit alios, in se munitus est.

Isai. 33,15: Qui ambulat in justitiis et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et èxcutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum, v. 16: iste in excelsis habitabit; munimenta saxorum sublimitas ejus; panis ei datus est, et aquae ejus fideles sunt.

6122 *v. 17: Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe.*

v. 18: Cor tuum meditabitur timorem. Ubi est litteratus? Ubi legis verba ponderans? Ubi doctor parvulorum.

v. 19: Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguae ejus, in quo nulla est sapientia.

v. 20: Respice Sion civitastem solemnitatis nostrae; oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri pooterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur.

6123 *v. 21: Quia solummodo ibi magnificatus est Dominus noster: locus fluviorum rivi latissimi et patentes. Non transibit per eum navis rémigum, neque trieris magna transgredietur eum.*

v. 22: Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse salvabit nos.

Nam quo altius in aeternorum civium visione suspenditur, eo et sibi fortior, et proximis utilior invenitur.

Vir nobilis: quia superna conversatione conspicuus est, et de mundanae vitae rusticitate nihil habet. Inde enim nobilis cernitur, unde civis.

6124 5. Obbedienza e soggezione al Romano Pontefice, ex corde: non colla lingua, e poi diventar spergiuro! (Martene, Sismond. *Sinodo Cost. 4°*, S. Bonifacio, *Conc. Trident*. Pio V., *Assemblea 1685*).

Saecularium quippe hominum, quia nulla est morum compositio, quasi in exterioribus locis nutriti, rustici sunt. Ex consueta namque animi inhonestate, turpes proferunt motus corporis; et velut valde degeneres, urbanae consuetudinis gestum nesciunt, dum per omne quod agunt, vitae suae speciem vilitate terrenae obscuritatis operiunt.

6125 Quo contra viri Dei nobiles sunt, qui dum fortiter ea quae divina sunt, agunt, in omni suo opere superna luce resplendent; et nihil degenerositatis habent, qui in magna luce omnis suae conversationis radios proferunt coelestis originis.

1 Reg. 9,6: Nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis.

Ad hoc ergo a puero Saul ducitur ut instruatur; quia qui in arce praelationis ponendi sunt, spirituali sensui perfectorum praedicatorum magisterio subjici monentur. Ab hoc puero nos duci admonet qui dicit, Gal. 5,18: Si spiritu ducimini non estis sub lege.

6126 Quaerendum [est] cur dubitative dicatur: *si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus, 9,6.* Sed quia spiritualia discere appetit, quia ingentia dona gestit accipere, utrum eisdem donis sit dignus scire non potest. Dubitare ergo incipit, qui tam magna promereri se suis meritis non praesumit. Quae nimirum dubitatio electis oritur ex virtute humilitatis.

6127 6. Umiltà e riverenza.

Quare et comitantis pueri voce Sauli dicitur: *Si forte indicet nobis de via nostra*, *9,6.* Quia nimirum spiritualis sensus non alta nobis sapere suggerit, non audacter de omnipotenti Deo praesumere, sed ejus dona cum summa sancti timoris reverentia postulare. Merito ergo "puer" dicitur, qui humilia semper docere praedicatur.

6128 Dum ergo dicit: Eamus illuc, et repente subjungitur: *si forte indicet de via nostra*, *9,6*, aperte indicat quia in sensu electorum Dei spiritus operetur, dum ad spiritualia dona expetenda, et devote eos facit accedere, et de largitoris omnipotentia magna cum reverentia formidare. Unde et qui a spiritu ducitur, inopiam meritorum suorum respicere [perhibetur], cum subditur...

6129 MEDITAZIONE 30.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 9,7-10: *Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus. Quid feremus ad virum Dei? Panis defecit in sitarciis nostris, et sportulam non habemus ut demus homini Dei, nec quidquam aliud.*

v. 8: Rursum puer respondit Sauli et ait: Ecce inventa est iun manu mea quarta pars stateris argenti: demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram.

v. 9: Olim in Jsrael sic loquebatur unusquisque vadens consulere deum: Venite et eamus ad Videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.

v. 10: Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem in qua erat vir Dei.

6130 Vie per le quali la Provvidenza rende a cognizione del supremo pastore l'elezione della persona.

Umile colle virtù.

Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus. Quid feremus ad virum Dei? Panis defecit in sitarciis nostris, et sportulam non habemus ut demus homini Dei, nec quidquam aliud.

1 Reg. 9,7: *Dixitque Saul ad puerum suum...*

Qui a spiritu ducitur, inopiam meritorum suorum respicere perhibetur.

Habent proprium mentes humilium ut spiritualia dona habeant, se in iis quae habent se non attendant. Quia enim a Spiritu Sancto virtutum dona percipiunt, ideo sanctus Spiritus qui dona tribuit, ea eis ab aestimatione tollit, ut in virtute conversationis haec habeant, in tumore elationis non habeant. Bene ergo de Saule dicitur, *1 Reg. 9,2*: *Ab numero et sursum eminebat super omnem populum.*

6131 *Dixitque Saul ad puerum suum*:... *Panis defecit in sitarciis nostris, et sportulam non habemus, 9,7*: Quia electi viri et ad disponendum sanctae Ecclesiae culmen idonei, in eo etiam se per humilitatem parvos aspiciunt, in quo per virtutem magni sunt. Et panem quidem, ad refectionem fidelium animarum, habent in sapientia verbi; sportulam vero in memoria internae meditationis. Cum enim ea quae in secreta meditatione colligunt servant in memoria ad eruditionem fidelium, velut panem in sportula reponunt.

6132 De his enim sportis, in evangelio *Matth. 15,37*, *Marc. 8,8*, [dicitur]: Impleverunt septem sportas de fragmento. Cum in mensa domini panes abundant, sportae impleri praecipiuntur, quia cum electi anima in superna Redemptoris contemplatione reficitur, in eadem contemplatione veritatis eruditur, ut verbi alimonia, quae in se excrescere cernitur, in memoria ad eruditionem fidelium reponatur. Aliud etiam, praeter panem et sportulam, abundanter habent, qui cum

virtute contemplationis et doctrina verbi, abundant copia sanctae operationis.

6133 Ut ergo humilitas sanctorum in ordinandi regis locutione resonet, dicit: *Panis defecit in sitarciis nostris, et sportulam non habemus ut demus homini Dei, nec quidquam aliud, 9,7,* quia Sanctus Spiritus eos qui ad ecclesiastici culminis regimen praeparantur, magnos facit in virtute interni muneris, sed omnino parvos in respectu proporiae aestimationis: Prete piccolo.

6134 Dicat ergo puer: *Eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, 9,6*. Saul autem vacuum se inspiciat; quia Spiritus Sanctus, dum sensus honeste viventium instruit, audaces modo, modo timidos reddit: audaces ut praesumant, timidos ne superbiant; impellit ut necessaria postulent, retrahit, ne nimis praesumendo vitium incurrant temeraritatis.

6135 Et quia quos pavidos facit, per robur fiduciae ad praesumendum erigit:

1 Reg. 9,8: *Rursum puer respondit Sauli, et ait: Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti: demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram.* Quasi puer bona loquitur sensus electi hominis, quando ad loquendum impellitur nutu Spiritus Sancti.

Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, 9,8.

Quarta pars stateris argenti:

Argenti: [Argentum sunt] divina eloquia.

In manu mea, [seu] pueri, sermo divinus [est] in virtute sciendi.

6136 Sermonem quidem aliud est posse dicere, aliud est posse sentire. Nam divina eloquia etiam reprobi eloquuntur: sentire autem nisi electi non possunt; sentitur enim ea res, cuius virtus agnoscitur. Nam et aegri pisces comedunt, sed vis aegritudinis tollit eis experimentum saporis, ut quod videntur comedere prohibeantur et sentire. Sic, sic nimirum carnales quique, dum coelestia loquuntur quae non diligunt, velut aegri rebus utuntur quas sentire prohibentur.

6137... Inventa est in manu mea, [seu] pueri,... argentum, *9,8,* quando per humilitatis meritum sancti viri coelestia quae loquuntur in magno affectu caritatis excipiunt, ut valde dulce sit eis superna dicere, eo quod dulciter ac valde dulcius per amorem saturantur. Unde etiam scriptum est, *Ps. 21,27*: Edent pauperes, et saturabuntur. Quia enim cibus animae est sermo Dei, pauperes edunt et saturantur, divites saturari non possunt; quia nimirum electi viri qui superna diligunt, quoties haec audiunt ad haec ferventius incalescunt; reprobi superna loquuntur et audiunt, quae in nulla dulcedine ad mentis suae refectionem suscipiunt.

6138 Dottrina e orazione, e scienza e sapienza.

Quarta pars stateris argenti, 9,8, [dicitur] pro qualitate temporis. Nam ut alias partes hujus stateris videamus, Prophetae, Apostoli, Martyres intuendi sunt. Quia enim pro qualitate temporis singulis ordinibus distributa est sonoritas

praedicationis, velut singuli quartam partem stateris habent. Quartam ergo partem stateris illi exhibuerunt, cum synagogae adventum Redemptoris promitterent. Apostoli partem suam dederunt, cum Judaeis eum qui promissus fuerat jam venisse praedicarent. Martyres etiam partem suam tribuerunt, cum infideles ad fidem Redemptoris adducerent.

6139 *Quarta ergo pars stateris* remansisse cognoscitur, quia per episcopos et doctores sanctae Ecclesiae, verbum fidei usque ad mundi finem electis fidelibus exhibetur. Sed ab his verbum fidei bene praedicatur, quibus per manus pueri subministratur: quia nimirum illi debent superna praedicare qui in mentis suae dulcedine meruerunt eorum suavitatem cognoscere. Haec namque pars stateris datur, ut viam quis rectae praedicationis plenius mereatur agnoscere, quia summi doctores sanctae Ecclesiae auctoritatem praedicationis aliis non committunt, nisi eis quos sciunt coelestia diligere quae loquuntur.

6140 Quibus verbis, simpliciores ad litteram admonendi sunt, ut viro Dei pravitatem avaritiae suspicari non audeant, pro hoc [quod dicitur]: *Ut demus homini Dei, et indicet nobis de via nostra.* Nam si propheta venalem sermonem haberet, homo Dei non esset, et ipsius prophetiae spiritum habere nequaquam posset. Hoc ergo cum dicitur, non exponuntur mores hominis Dei, sed devotio accedentis; quia in magna eum Saul habebat veneratione, in cujus cospectu apparere vacuus erubescebat.

6141 Et quia ad ejusdem viri Dei venerationem eos fama celebris invitabat, adjungit: *1 Reg. 9,9*: *Olim in Jsrael sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite et eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.*

Vocabatur... publica relatione dici [putandum est].

6142 Videns [est] qui interna etiam respicit, quae mens carnalium non attendit. Unde et de sanctis animalibus dicitur, *Ezech. 1,18*: In circuitu et intus plena sunt oculis. Qui in exterioribus circumspecti, et intrinsecus providi sunt. Quo contra carnalium doctorum praesumptionem in evangelio Dominus arguens, ait, *Matth. 15,14*: Si caecus caeco ducatum praestat, ambo in foveam cadunt.

6143 Scienza vera, fedele osservanza de' sacri canoni.

Videns etiam dicitur cui remota et absentia praesentia sunt. Quod sanctis praedicatoribus bene convenit, qui per cognitionem tanto sunt praesentes spiritualibus quanto in exterioribus intentionem figere dedignantur. Velut enim occulta patientia et remota praesentia habent, qui ea quae carnales scire nequeunt, semper intelligent. Talis namque esse pastor sanctae Ecclesiae debet, in via coelestis patriae ad praebendum lumen subditis constitutus est. Semper ergo spargat radios lucis, ut fideles subditi ex illuminationis suae experientia, alios ad

illuminationem trahant. Sequitur:

6144 *1 Reg. 9,9*: *Olim in Jsrael sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite, et eamus ad videntem*.

Vadens consulere Deum: [Deum consulimus] quando ad eruditos praedicatores pergimus, ut saluti nostrae consilium inveniamus. Sed quia modo tam perfectorum virorum raritas est, dum antiquorum temporum florem religionis attendimus, defectum ejus in praesenti tempore defleamus. De miseria praesentis temporis et calamitate compuncti, florem elapsi temporis cum pulchritudine santitatis emarcuisse suspiremus.

6145 Dum ergo pastores Ecclesiarum cernimus terrenis inhaerere, labentia quaerere, nulla spiritalis vitae insignia proferre, dum nulla nobis praelatorum nostrorum lux infunditur, ad laborem compunctionis illa quae praeierunt memorantes, dicamus: *Olim in Jsrael sic loquebatur ununquisque vadens consulere Deum: Venite, et eamus ad videntem, ibi*.

6146 In Jsrael: [Jsrael, latine est] videns Deum, sive in quo est Deus. Quod certe nomen sanctae Ecclesiae convenienter aptatur, cujus populus dicitur. Nam et in evangelio *Matth. 28,17*, [dicitur]: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Quae nimirum, quia in priori tempore pastores habuit spiritali conversatione floridos, magna scientia eruditos, qui magno despectu terrena vilipenderent, coelestia cogitarent, ad lumen quod in eis videbat populus, se invicem exhortari poterant, dicentes: Eamus ad videntem, *ibidem*.

6147 Si ergo eundum est ad videntem, pariter est divertendum a coecis; quia reproborum praelatorum exempla non debemus imitari, sed fugere; ab eis autem qui conversationis merito spiritualia cognoscunt, semper aedificationis nostrae eruditionem postulare. Et quia hoc nonnisi viri spirituales faciunt, sequitur:

6148 *1 Reg. 9,10: Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus: Veni, eamus. Et ierunt in civitatem in qua erat vir Dei.*

Optimus sermo, quo melior audiri nequaquam potest. Quoties nobis ergo salutis nostrae consilia spiritualiter suggeruntur, intus nobis sermo fit, quo melior invenire non possit. Optimus sermo tuus. Pueri ergo sermonem laudamus, quoties nobis in spiritualis sensus nostri proposito complacemus.

Veni, eamus: Cum eo ire promittimus, quando spiritualibus cogitationibus consentimus.

6149 *Et ierunt in civitatem in qua erat vir Dei, 9,10.* [Exprimitur ita] consensus per opera, usque ad sanguinem.

Civitatem: Ibi munimur ab insidiis diaboli: ibi fluminis impetus laetificat civitatem Dei. *Ps. 45,5, ibi v. 1*: Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis. *v. 3*: Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris. *v. 4*: Sonuerunt et turbae sunt

aquae erorum: conturbati sunt montes in fortitudine ejus. *v. 5*: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. *v. 6*: Deus in medio ejus non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo.

6150 La fede romana è la fede della Chiesa cattolica. Ubi Petrus, ibi Ecclesia. *S. Ambr. Enarr. in Ps. 50, 30, t. 1,879 F.* Dov'è la testa, là vi è tutto il corpo. Un corpo senza testa non è un corpo: egli è un tronco. Il tronco non ha lo spirito: ma solo il corpo unito alla testa. Chi sta appoggiato sull'errore vacilla, traballa, cade; chi sta sulla verità divina è immobile e tranquillo.

Non abbadare a chiunque, né dottori, né sapienti, né altri qualunque. Non sono state le podestà terrene che hanno fondato la cattedra di Pietro: non sono stati i concili, ma Verbum quod creavit coelum et terram.

6151 MEDITAZIONE 31.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 9,11-13: *Cumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, et dixerunt eis: Num hic est videns?*

v. 12: Quae respondentes dixerunt illis: Hic est: ecce ante te; festina nunc, hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso.

v. 13: Ingredientes urbem, statim invenietis eum, antequam ascendat excelsum ad vescendum: neque enim comesurus est populus donec ille veniat, quia ipse benedicit hostiae, et deinceps còmedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum.

6152 Segno di vocazione: la imitazione degli uomini santi veramente.

Docebit mites vias suas, *Ps. 24,9.*

Osservar la tradizione e gli usi della Chiesa romana. Così le Gallie, come abbiamo da un capitolare di Carlo Magno, si fecero una gloria di prender le consuetudini della Chiesa romana.

1 Reg. 9,10: *Et venerunt in civitatem in qua erat vir Dei. v. 11: Cumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, et dixerunt eis: Num hic est videns?*

6153 *Et venerunt in civitatem in qua erat vir Dei*. Qui virum Dei quaerunt, in civitatem veniunt, quia plerumque fit ut vita atque doctrina praelati in subditorum conversatione requiratur. Sic nimirum et arbores saepe requiruntur, quarum species non in foliis, sed in fructu inveniuntur. Plerumque autem suborta fructeta magnis

arboribus admiscentur, et fructus suos earum arborum quibus sunt mixtae esse mentiuntur. Qui ergo fructum discernere vult, prius discernat et ramos, ut ex qua arbore fructus procedat, agnoscat. Sic, sic nimirum est in conversatione fidelium, quia in electa plebe boni praedicatoris, dum plures mali admixti sunt, velut intra bonas arbores spinae oriuntur.

6154 Conversatio itaque electi praedicatoris non est exploranda in omnibus subditis, sed in solis electis: in quelli che si sono attaccati con vero amore alla santa Sede. Tunc quidem velut ramos bonae arboris cum discretione secernimus, quando in plebe rectores illos velut electa poma imitamur; qui magistri sui exemplo proficiunt, et illos velut vepres fugiunt, qui antiqui hostis fraude reprobantur.

6155 Spirito ecclesiastico - Studio d'imitar i buoni pastori: S. Carlo Borromeo, con S. Ambrogio e Giberti. Ma noi abbiam il Pastor apostolico da imitare: Imitatores mei estote, sicut et ego Christi, *1 Cor. 4,16*.

Et venerunt in civitatem... Cumque ascenderent clivum civitatis, 1 Reg. 9,10 sq: quia nimirum perfectio sanctorum virorum cum in subditis quaeritur, non imperfecta membra, sed electa atque perfecta requirenda sunt. Cercando ne' buoni sudditi: Nei sudditi: perché non sono mica tutti santi, come là tra i Giansenisti!

6156 Nam et artifices opera sua prius inchoant, deinde comunt. Pictor etiam cum pulchros colores aut aurum superducere appetit, prius viliorem colorem sternit. Qui ergo judicare de peritia artificum vult, non inchoata eorum opera, sed perfecta respiciat.

Ascendat clivum civitatis, ut qui invenire appetit videntem, reperiat.

Clivus, infimus et defossus locus est; in qua nimirum parte civitatis, illi signantur qui adhuc in altiorem conversationem minime profecère. Ascendimus clivum, cum planitiem infirmorum auditorum ad exemplum nobis proponere vitamus.

6157 *Invenerunt puellas egredientes ad hauriendum aquam, 9,11*: Quia pulchritudinem sanctarum mentium in perfectiori conversatione respicimus.

Puellae: [Sunt] mentes electorum, integrae per innocentiam, decorae per virtutum claritatem. Et quia in secretiori vita pulchritudinem suam conservant, videri nequeunt, nisi cum ad hauriendam aquam egrediuntur.

6158 *Invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, ibi*: Hauriunt aquam quando electae animae ex profundo dolore praesentis exilii fluenta lacrymarum fundunt. Hauriunt aquam, quia dum se projectas in hac valle lacrymarum lugentes memorant, quasi ad profundum funem cogitationis mittunt, a quo cum labore aquas lacrymarum trahunt.

Invenerunt... egredientes: Egressae videntur quia quae quales sunt intus latent, apparent tamen in oculis, et quantum diligant Conditorem indicant, quae tanto dolore praesentis saeculi vitam sustinent. Ab istis ergo quaerendum est: Ubi est vi-

dens?

6159 *Et dixerunt ad eas: Num hic est videns? ibi:* Quia locus perfectorum tunc bene cognoscitur cum ab eis nobis ostenditur, qui per profectum vitae, eorum conversationi vicini sunt.

Sed habent praedicatores loca diversa. Alium quippe locum habent pro se, alium pro subditis; quia nimirum in seipsis in altissima contemplatione morantur: pro subditis ad doctrinae montem descendunt. Per contemplationem vero in coelo sunt; et quia alta sunt quae docent, et descendunt cum docent et sublimia loquentes in alto se retinent. Perfectiores igitur auditores, vicini suo rectori sunt, non cum in summa contemplatione est, sed in inferiori monte doctrinae. Quare et puellae:

6160 *1 Reg. 9,12: Quae respondentes dixerunt illis: Hic est. Ecce ante te: festina nunc: hodie enim venit in civitatem.*

Quasi dicant: Ideo locum ejus indicare possumus, quia illuc venit ubi eum videre solebamus. Nam si in suae sublimitatis arce resideret, eum nemo tibi ostenderet.

Hodie enim venit in civitatem. Est in civitate doctor quando per ministerium praedicationis moratur in eruditione populi subjecti. Est in civitate, quando relinquit propria, ut communia disponat: facendo stima che la sua perfezione è assai maggiore di quella de' sudditi. Quia enim boni praedicatoris plebes per ejus exhortationem munitae ac fortes sunt, [ideo] quando in eorum ministerio moratur, in civitate esse cognoscitur.

6161 Item quia in subjectae plebis multitudine alii simplices, alii sapientes sunt, puellae subjungunt: *Festina nunc, hodie venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso. 8,12, v. 13: Ingredientes urbem statim invenietis eum, antequam ascendat excelsum ad vescendum; neque enim comesurus est populus, donec ille veniat, quia ipse benedicit hostiae, et deinceps comedunt qui vocati sunt*.

6162 Cum in civitatem venit Samuel, ascendit in excelsum, quia electus praedicator in eruditione subditorum modo plana verba, modo alta pronuntiat. Quando igitur plana et intelligibilia praecipit, in civitate est: quando sublimia et quae vix intelliguntur, in excelso. In civitate est, quando simplicibus proponit exempla: in excelso autem, quando perfectis verborum spiritualium alta pronuntiat. Quasi enim in civitate erat qui dicebat, *1 Cor. 2,2*: Nihil judicavi me scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Item in civitate erat, quando infirmis remedia demonstrabat, *ibi 7,2*: Propter fornicationem vir suam uxorem habeat, et uxor suum virum habeat.

6163 Sed in excelsum ascendit, quia non multo post subdit: De virginibus autem praeceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam etc., *1 Cor. 7,25:* Vellem autem omnes homines esse sicut me ipsum, *ibi, 7,7*. In excelso etiam

verborum se saepe ascendere fatetur, quia dicit, *ibi, 2,6*: Sapientiam loquimur inter perfectos.

6164 *Festina nunc; hodie venit in civitatem, 1 Reg. 9,12*.

Raro videbatur in civitate, tarde veniens, cito recedens. Quo nimirum magisterio, santae Eclesias doctor instruitur, ut videlicet raro sit in publico, frequens in secreto: ut quo tardius aspicitur, devotius veneretur. Tunc quidem quasi coelestis excipitur, quia quo amplius in secreto contemplationis latuit, verbi Dei thesauros ad eos qui se expectant, ditiores trahit. Ille enim potest multa bona in infimis dicere, cui per secretum mentis intuitum conceditur summa videre.

6165 Et quia dulcis videntur illa quae dicuntur, puellae dicunt: Festina. Quasi dicant: Si id pro quo in civitatem venit expleverit, videre in secreto suo repositum non potestis.

S'informano diligentemente della loro condotta di vita secreta, ossia ordine di azioni.

Quod profecto verbum, jam ad litteram non verbum sed exemplum religiosorum est. Nam sanctus vir tantae erat districtionis, ut statutas dies et horas haberet, in quibus eum qui cuperet videre potuisset.

6166 Dicunt ergo: Festina, quasi dicant: Si statutum tempus transierit, in horis suae quietis, verbis aut actionibus non intendit.

Qui ergo remotae vitae ordinem sumpsimus, hoc observare attentius debemus. Statuendae nobis sunt horae ministerii, ut breviter persistamus in opere, festinanter redire valeamus ad contemplationis arcem. Ipsae autem secreti silentii nostri morae, tanta lege districtionis custodiendae sunt, ut ipsi etiam qui accedere soleant, sciant quia contra propositum nostrum ad nos accessum non habeant.

6167 Quia vero haec spiritualiter explanare coepimus, contra simplices hoc dici convenienter intelligi potest. In civitate quippe is qui videtur extraneus Samuelem alloqui posse putatur, in excelso autem non putatur; quia quos simplices esse credimus, plana non alta eruditione eos indigere existimamus? Tunc ergo praedicatores sanctos audire debent, quando plana simplicibus loquuntur quae intelligunt, non quando dicunt alta quae intelligere nequaquam possunt.

6168 Dicunt ergo: *Festina nunc; hodie venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso, 1 Reg. 9,12*, quasi dicant: Quia multi sunt qui summa audire desiderant, nunc tu debes festinare, quando ille similes tui simplices videtur instruere.

Sacrificium... populi: [quod est] devotio plebis; quae nimirum devotio, quia verbo praedicationis in electorum cordibus excitatur, quasi a Samuele perficitur.

6169 Sacrificium... populi in excelso [est], quando corda fidelium subditorum alta verba sanctae praedicationis devote audire concupiscunt. Unde et apte dicitur: *Neque enim comesurus est populus, donec ille veniat: quia ipse benedicit hostiae,*

9,13; quia perfectiores auditores, dum ad summam virtutum perfectionem pervenire desiderant, verbum scientiae per quod ad desiderata perveniant, in magno desiderio expectant.

6170 Quo in loco notandum est, quia oblatum sacrificium nondum erat, et tamen dicit: *Sacrificium est... populi in excelso*. Si enim sacrificium antequam offerri incipiat non est, quomodo erat sacrificium quod non erat?

Sed quia nos spiritualia sequimur, nondum erat sacrificium et erat: quia cum electi fideles altius erudiri appetunt, jam quidem magnam devotionem audiendi habent, quam post auditam praedicationem valde majorem habent. Non est ergo adhuc oblatum sacrificium, quia illa magnitudo devotionis quae nascitur in corde electi de verbo praedicationis, ante praedicatoris vebum in corde non est.

6171 *Sacrificium est... in excelso, 9,12,* quia de expectatione verbi, magna jam est in corde audire volentis vis devotionis. Quare et apte bene dicitur:

Neque enim comesurus est populus donec ille veniat, quia ipsae benedicit hostiae, 9,13. Quia enim summa inhianter diligunt, donec eadem summa percipiunt, non quiescunt.

6172 Si enim hostia mentis, ejus devotio est, benedicit hostiae, quando ad vocem praedicationis sanctificatur, ut quo purior efficitur divina susceptione acceptior habeatur. Quod enim in Dei sacrificio benedicitur, mundum quidem est cum offertur, et materiale: oblatum vero, tanto est mundius quanto non solum materiale sed spirituale; quantum non solum mundum, sed etiam mundans est. Hostiarum quippe oblationibus mundari peccata, quis dubitet?

6173 Sic namque, sic est mentis devotio. Nam cum bona audire gestit, munda est; sed cum sanctae praedicationis accepta et benedicta manibus fuerit, tanto ardentior et sacratior redditur, quanto clarius didicit quem amare dulcius notum possit. Munda quidem ante, velut praeparatio sacrificii fuerat, quae bonum nosse cupiebat, et tamen materialis erat apparatus, quia nondum novit quae discere appetit: sed munda valde et spiratilis, cum jam doctrinae sanctificata vocibus, non jam appetit audire quod sciat, sed audita delectatur experiri quae amat.

6174 Tunc etiam non solum munda est hostia sed mundans, quia quo ferventiori coelestium amore succenditur, ab ea negligentiae carnalis tenebrae potentius effugantur. Scriptum quippe est, *1 Petr. 4,8*: Caritas operit multitudinem peccatorum: quia nimirum carnalia nostra destruimus, cum ardenti devotione ad coelestia sublevamur.

6175 S'informano del modo e frutto di loro predicazione.

Et deinceps comedunt qui vocati sunt. Comedunt: devotionis affectus, mentis est cibus. *Deinceps comedunt*, cum hostiae benedicitur, quia cum ad praedicatorum vocem devotio nostra in amorem Conditoris extollitur, anima quae ad dulcedinem Conditoris pervenit, habet jam cibum suum. Tunc ergo comedunt qui ante benedic-

tionem hostiae comedere noluerunt. Nam qui summa intentionis expectatione ad divinae dulcedinis perceptionem se praeparant, dum mala desideria per appetitum nulla recipiunt velut jejuni, refectione devotionis avidius replentur.

6176 Velut enim benedictionem hostiae ad refectionem expectant qui cuncta illicita desideria fugiunt, ut de visione internae gloriae per devotionem satientur. Scriptum quippe est, *Matth. 5,8*: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Qui enim in corde inepta non recipit, dum superna desiderat, mundus corde est; et dum per bonum praedicationis ad divinae contemplationis dulcedinem ducitur, quasi benedictionem hostiae habet in animae saturitate.

6177 Deinceps comedunt qui vocati sunt jejuni, dum praedicator foris loquitur, qui a pravis desideriis mentem custodiunt, et per gratiam Spiritus sancti ad internae dulcedinis experientiam trahuntur: vocati enim tunc erant invitati qui venerant. Vocati ergo jejuni tunc comedunt, quando in spiritualis gratiae devotione pascuntur, qui ad eam percipiendam se magna mentis suae custodia paraverunt.

6178 *Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum, 1 Reg. 9,13*.

Sed dum electi bona praedicatorum laudant, auditorum corda magna luce irradiant. Coelestis namque illa conversatio boni praedicatoris quam praedicant, dies est. Hodie reperietis eum: eo namque die praedicator invenitur, quando non est minor vita quam fama, quando electorum voce laudatur; sed qui laudes audiunt, omne quod audiunt, in ejus laudabili conversatione inveniunt atque cognoscunt.

6179 Quo contra, pharisaeos increpans, Dominus, *Matth. 23,27*: Vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, qui similes estis sepulchris dealbatis, quae foris videntur hominibus pulchra, intus autem plena sunt ossibus mortuorum. Hinc iterum vanae gloriosos infidelibus comparat, *Io. 5,44*: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?

6180 In die quidem laudantur qui ejusmodi sunt, sed eo die non reperiuntur, quia qui eorum laudes audiunt, quasi candorem sepulchri a foris aspiciunt; sed cum laudatas virtutes quaerunt, intus peccatorum noctem, quasi tristia atque putentia mortuorum osse inveniunt. Dicant ergo pro significanda vera gloria justi: *Hodie reperietis eum, 1 Reg. 9,13*, quia cum justi laudantur, in veritate conversationis habent, quidquid lucidum emicant de eis voce laudis.

6181 MEDITAZIONE 32.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 9,14-17: Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis,

apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum.

v. 15: Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis, ante unam diem quam veniret Saul, dicens:

v. 16: Hac ipsa hora quae nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, et unges eum ducem super populum meum Jsrael: et salvabit populum meum de manu Philisthinorum: quia respexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me.

v. 17: Cumque asperxisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi: iste dominabitur populo meo.

6182 Preludio 2.

Preludio 3. Ora su questa lettera etc. diciamo che siccome le vie per cui il Signore fa venire a cognizione del supremo pastore la elezione di alcun ministro sono i segni e caratteri che questo offre nella sua vita e costume, così egli compie e conferma questa cognizione con i lumi di cui fornisce il prelato medesimo nella orazione. Così egli [il prelato] confronta i lumi interni dello spirito nelle inspirazioni e rivelazioni, coi lumi quasi esterni della ragione, nelli caratteri o note di vocazione ravvisati. L'un modo accerta l'altro, e si fa certa e sicura così nella umana cognizione del supremo pastore la elezione d'un ministro alla prelatura.

6183 [Preludio 4.] Beatus vir quem tu erudieris, Domine, *Ps. 93,12*. Fateci molto cara, o Signore, la scuola della orazione, in cui insegnate per voi stesso. La umana ragione, la scienza, è troppo timida e incerta: ci occorre nel ministero il vostro lume.

[Quia] tanti viri festina devotione quaerendi sunt, [sequitur]:

6184 *1 Reg. 9,14*: *Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum.*

Et ascenderunt in civitatem: [Ascendimus] cum sanctorum virorum praeconia audimus, quia illic eos quaerimus ubi descendunt, non ubi sunt. Sed, ut superius dixi, praedicatorum locus quem pro se habent, secreta divinitatis contemplatio est: locus autem pro subditis, praedicatio. Aliquando vero plana, aliquando alta loquuntur: habent ergo communem locum pro omnibus, habent sublimem specialemque pro quibusdam, habent secretum pro se.

6185 Haec nimirum tria spiritualia loca signantur [quando dicit]: Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel *egrediens*: [Quia] antequam appareret, erat ubi latebat. Egredi [enim dicuntur] sacerdotes quando a secreto meditationis ad praedicandum veniunt. *In medio urbis* apparuit Samuel: [Quod similiter sacerdotes faciunt] quando planiora ad agendum vel intelligendum dicunt. Ascendere in excelsum [dicuntur sacerdotes] quando sapientibus aut fortia praecipiunt operis, aut revelant alta mysterii.

6186 Ordinatus ergo ascensus noster ostenditur, per hoc quod Saul in civitatem

ascendere perhibetur. Nam nobis pastorum nostrorum loca, in quibus orare aut secreti esse consueverunt, veneranda, non adeunda sunt. Quod non solum exemplo, sed etiam divina cohortatione cognoscere possumus. In Cantico quidem canticorum, sponsus denuntiat, Cant. 3,5: Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Mentes enim perfectorum sponsae sunt, quia dum secreto divini amoris se velut in thalamo collocant, ibi per visionem inveniunt cui ineffabili amore junguntur.

6187 Cum ergo sponsa dormit in thalamo, conjungitur sponso: quia dum electa praedicatoris anima in secreta contemplatione reconditur, quasi in sponsi thalamo collocatur. Qui ergo hanc suscitat, sponso tollit, quia nimirum requies electae animae non solum sua sed etiam delectatio sponsi est. *Isai. 62,5*: Gaudebit sponsus super sponsam. Merito ergo Jerusalem filias sponsus adjurat, ut ab eis sponsa quamdiu dormire voluerit, non excitetur; ne dum illa surgit a quiete thalami, ipse perfruitionem perdet amoris.

S. Francesco Xavier nel campanile.

6188 Egressus ergo Samuelis expectatur, quia viri in secreto sui silentii venerandi sunt, inquietandi non sunt. *Et ascenderunt in civitatem, 9,14:* Quia electus doctor in communi loco doctrinae tanto lucro suis videtur, quanto ut prosit exire cognoscitur. Quo in loco notandum [est] quia de Samuele non dicitur: Hodie ascendit in civitatem, sed: Hodie venit in civitatem; de Saulo autem et puero, non venerunt, sed ascenderunt dicitur. Ille enim velut per planum venit, iste velut in alta conscendit; quia plana quae loquuntur praedicatores, nobis plana non sunt.

6189 In civitatem ergo non venimus, sed ascendimus, quando aut plana praedicationis difficulter aspicimus, aut parva quae praecipimur cum labore portamus.

Sed quia stare in civitate, munitum esse est, idcirco ascendimus quia cum nos summi viri parva bona agere docent, malignorum spirituum consiliis acquiescere vehementer prohibent. Et quia valde laboriosum est omnia tentamenta vincere, ad verba doctorum quae hoc nobis praecipiunt quasi per ascensus laborem conamur pervenire.

6190 Sed quia scriptum est, *1 Cor. 3,8*: Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, quod nimirum non solum de aeterna retributione accipitur sed etiam de praesenti, omnipotens Deus pro merito operis electis suis tribuit augmenta virtutis. Nam et Abrahae filio non parcenti, dicitur, *Gen. 22,16*: Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum. Plerumque enim qui fideliter laborant in faciendis iis quae sciunt, per divinam gratiam majora quae agant cognoscere merentur. In quorum typo, bene

Saul in civitate prius ascendere dicitur, in excelsum postea a Samuele ductus perhibetur.

6191 *Apparuit Samuel egrediens obviam eis, 1 Reg. 9,14*: [Quod] est per eamdem viam venienti occurrere. Cum ergo a sanctis praedicatoribus salutis viam discere volumus, nobis quidem obviam veniunt, quando cum verbo salutis quod quaerimus occurrunt. Quasi enim eadem via veniunt cum id nos docere festinant, quod nos proposuimus discere. Hoc profecto morale est omnium. Si enim ea quae spiritualiter quibusdam competunt indagemus, obviam venit, quia ordinandum regem ad se venire praecognoscit.

6192 Un pastore, un uomo di orazione non fa che andare incontro alle cose, secondo che il Signore le dispone colla sua Provvidenza. Non previene, non precede: tutto è ordine, tutto tranquillo. Non è precipitato, non affrettato: aspetta il tempo, le circostanze: tutto questo seguendo Dio.

Per aver questi lumi che accertano, confermano, compiono la cognizione circa le divine elezioni, [è] necessaria ne' prelati grande orazione.

6193 Unde autem cognoscat adjungitur: *9,15*: *Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis, ante unam diem quam veniret Saul, dicens:*

v. 16: Hac ipsa hora quae nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, et unges eum ducem super populum meum Jsrael: et salvabit pupulum meum de manu Philisthinorum.

Exiit ergo ei obviam ut in excelsum ducat; quia is qui ad sanctae Ecclesiae regimen quaeritur, et divino munere demonstrandus est, et ad sublimen conversationem vocandus.

6194 Auriculam Samuelis, diminutive [dicitur] humilis intelligentia doctoris spiritualis! Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis, *ibi*:

[Quod fit] quando humilis intelligentia praedicatoris a Spiritu Sancto instruitur, ut quae facturus est audiat, et audita disponat.

Sed subtiliter est intuendum quod dicitur: *Ante unam diem quam veniret Saul*, *ibi.*

6195 Dies [est] vita justi. *Eph. 5,8*: Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Quando autem vita electi ostenditur, dies latens revelatur. Nam homo videt praetextum boni operis, Deus autem lucem cordis. Quia ergo electi et reprobi intentione cordis absconditi sunt, *ante unam diem*, *1 Reg. 9,15,* Dominus venientem regem insinuat, quando per ejus gratiam sancti praedicatores agnoscunt, in eis qui promovendi sunt, testimonium boni operis praecedere puritatem intentionis. Nulla enim est lux operis, quam non praecedit rectitudo intentionis.

6196 Recte ergo ante unam diem rex ordinandus agnoscitur. Sed subsequentem quidem diem non aspiciunt, nisi ex praecedente nascatur, ut diem ante diem, intentionem ante operationem considerent; et a Deo missum in luce sanctae

operationis aspiciant quem lucere per propositum cordis divina gratia demonstrat.

Hac ipsa hora quae nunc est cras mittam virum, 9,16; eadem hora quae promittitur exhibetur, quia perfectus debet esse qui eligitur, non solum corpore sed mente. Nam quando Deus loquitur sanctis viris plena lux diei est.

6197 Habet namque originem dies, habet et finem. Juxta finem peccatorem arguit, *Gen. 3,9*: Adam, ubi es? Et quia nec qui bona incipiunt, nec qui a bono opere torpescunt promovendi sunt, hora perfectae locutionis praedicator mittitur, quando talis exhibetur qui plena fulgeat luce boni operis, et pleno resplendeat fulgore veritatis.

6198 Virum... de terra Beniamin, *9,16,* venire describitur. Virum, pro operis fortitudine. De terra Beniamin, pro recta fidei confessione. Beniamin [seu] filius dexterae, [est] ille qui, *Marc. ultimo capitolo 19*: Ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Terra Beniamin [est] sancta Ecclesia. Quia ergo haeretici ab hac terra expulsi sunt, de terra Beniamin venit rex, quando non aliqua haeresi pollutus, sed fide catholicus sanctae Ecclesiae primatum suscipit.

6199 [Si richiede la] professione della fede nella ordinazione.

S. Leone IX, [a] Pietro Antiocheno - S. Hormisda, [ad] Epifanio di Costantinopoli - Hallier - Damaso, Siricio, Sisto, Leone 1° [al] Vicario di Tessalonica, di Francia (Arles), di Spagna, di Africa.

Qui viri praeconio fruitur si fide firmus est, operatione fortis.

6200 *Et unges eum regem super populum meum Jsrael, 1 Reg. 9,16.*

Hinc nimirum super populum Domini dux ungi praecipitur, quia exteriora sacramenta sacerdotibus illis prosunt qui eorumdem sacramentorum donis indigni non sunt. Vel sacerdotes unguntur, quando per ordinantium se ministerium gratiarum spiritualium incrementa percipiunt. Unde:

6201 *Et salvabit populum meum de manu Philisthinorum, ibi:* Velut uncti salvare alios possunt, quia spirituales gratias abundantius perceperunt. Nam qui populum salvant super populum uncti sunt, quia qui a Domino ad regendos alios ordinantur, spiritualium charismatum dona, quibus eis prodesse possunt, accipiunt, et eis quos ordine praecedunt superiores sunt.

6202 Retta intenzione, vera perfezione, cattolicità. Per discernere ci vuol il lume di Dio, e questo Dio lo dà a Samuele, cioè al supremo pastore. Questi sono degni della prelatura: questi salvano i popoli.

Et quia plerumque bonus pastor merito bonae plebis eligitur, bene subjunctum est: Quia respexi populum meum, *9,16*. Item, quia magnis precibus a Domino bonus pastor quaerendus est, subditur: *venit enim clamor eorum ad me, ibi*.

6203 Sed fortasse nonnulli moventur, quia contrarium videtur quod hic dicitur, et quod superius dicebatur. Ibi enim ait, *1 Reg. 8,7*... Non... te abjecerunt sed me, ne regnem super eos. *v. 8*: juxta omnia opera sua, quae fecerunt a die qua eduxi eos

de Aegypto, usque ad diem hanc. Nunc autem, *9,16*: Unges eum ducem super populum meum Jsrael, et salvabit populum meum de manu Philisthinorum; quia respexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me. Superius quasi ab irato rex ordinari permittitur, nunc quasi a pio et benigno ordinatur. Hujus etiam benignitatis verba, quis non videat quantum a sententia illa dissentiant, quae eidem a Samuele illata fuit, 1 Reg. 15,1: Quia projecisti sermonem domini, projecit te Dominus, ne sis rex.

6204 Quod profecto celeriter solvimus, si ipsam verborum vim subtiliter intueamur. Nam omnia haec divinae benignitatis verba populi meritis adscribuntur: Salvabit populum meum,... respexi populum meum... venit clamor eorum ad me, *9,16*. Pro illis ergo rex ordinandus decernitur, quorum clamor exauditur. Nam etsi pro futura nequitia repellendus a regno erat Saul, tamen habebat in se donec regnaret, unde populo sibi subdito prodesse potuisset. Futurus certe erat bello strenuus, mente elatus; habiturus erat unde sibi caderet, et unde aliis staret. Illud ergo unde prodesse subditis poterat Dominus providens, dicit: Salvabit populum meum de manu Philisthinorum, et venit... clamor eorum ad me.

6205 Adhuc tamen valde contrarium videtur, ut ejus populi clamorem exaudire credatur, qui eum abjecisse reprehenditur. Ad quod respondendum est, quia erant in illo Dominum reprobi arguuntur: hic electorum desideria ad omnipotentis Dei aures perveniunt. Quia saepe electis bonum est, quod mali rectores ordinentur. Non ergo mirum est si Deus quasi de abjectione sua irascitur, et regem ordinat; quia ipsa dignitas futuri regis et mala erat et bona. Mala denique quia superba: bona vero quia in defensione suditorum strenua.

6206 Quod totum et in sancta Ecclesia nunc fieri cernimus; quia plerumque ille ejus primatum suscipit qui verbo utilis est aliis, mente tumidus sibi; praedicando virtutes, velut stando, vitia destruit, sed alta de se sentiendo cadit. Hic itaque, praedicando populum Dei salvat, sed semetipsum tumendo praecipitat; quasi rex potens verbo, populi Dei occultos adversarios atterit, sed elatione a regni sublimitate cadit. Non ergo pro se, sed solum pro populo rex constituitur, quando ille in sancta Ecclesia praeesse permittitur qui bona quae praedicat, superbiendo aut nequiter vivendo, conculcat.

6207 Quo in loco notandum est, quia cum in sancta Ecclesia pastor eligitur, aliquando ordinatur pro se et populo: aliquando nec pro se nec pro populo: aliquando pro se, non pro populo: aliquando pro populo, non pro se. Pro se et populo, quando electus praedicator electis subditis datur; quia unde subjectorum multitudo ad aeternam patriam ducitur, bono pastori meritorum dona cumulantur.

Nec pro se nec pro populo, quando reproba plebs reprobum pastorem habere permittitur; cum sic ille praeest, sic illi obediunt, ut ad aeterna bona nec ille qui docet, nec illi qui docentur pervenire mereantur: de quibus per Oseam Dominus

dicit, *Os. 13,11*: Dabo tibi regem in furore meo: quando [scilicet] malis pejor praeesse decernitur. Talis quippe pastor tunc datur, cum talis populus regendus suscipitur qui pariter aeterna poena damnetur.

6208 Pro se, non pro populo, quando bonus malis praeponitur, sicut ad Ezechielem Dominus dicit, *Ezech. 2,3*: Mitto ego te ad filios Jsrael, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me: quando etsi auditores suos electus praedicator convertere ad Dominum non poterit, ipse tamen laboris sui aeterna lucra non perdit.

Pro populo autem non pro se, quando bonis subditis pastor tribuitur qui dona habeat per quae illis prosit, et sibi non prosit. Tales quidem erant de quibus Dominus discipulis praecipit, *Matth. 23,3*: Omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim et non faciunt. Quasi dicat: Quod utile pro vobis acceperunt, ab eis quasi vestrum tollite: et in eis quasi suum dimittite, quod non habent ad lucrum vestrum, sed ad interitum suum.

6209 Saul ergo, abjecto Domino eligitur, et tamen populum Domini de manu Philisthinorum liberaturum perhibetur: quia omnipotens Deus saepe suis bonis fidelibus per illos praelatos prodest qui de officio ejusdem praelationis sibi non placent.

Per distinguere li occulti disegni della Provvidenza circa l'elezione de' prelati, ci vuole il sommo pastore.

6210 *1 Reg. 9,17*: *Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi: iste dominabitur populo meo.*

Hoc namque in sequenti die actum est, quod praecedenti Dominus repromisit: *Hac ipsa hora quae nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, et unges eum ducem super populum meum Jsrael, 9,16*: Aspicitur ergo in secundo die qui primo promittitur; quia praedicatores sanctae Ecclesiae, virtutes electorum in secreta eorum vita perquirunt: hi enim qui promovendi sunt, dum bona proferunt aliquid magnum ex se repromittunt.

6211 [Il sommo pastore] confronta i lumi dello Spirito coi lumi della ragione: per cui da quello che gli promettono le opere giudica che sia degno della prelazione.

Primo igitur die rex promittitur, quia magna electorum opera praedicatores aspiciunt, et quasi Domino loquente intus agnoscunt quos ordinare sanctae Ecclesiae rectores volunt. Aspicit ergo Samuel in sequenti die, quando praedicator eum qui promovendus est in magna lucis conversatione videt. Et tunc quidem quasi indicante Domino ordinandum regem cognoscit, quia eum qui in alta arce sanctitatis praeeminet praeferre aliis dignum videt.

[SPUNTI PER IL COLLOQUIO]: Parasti in conspectu meo mensam. *Ps. 22,5.*

[O Signore], congiungeteci alla verità: trasformateci nella verità. Se l'ameremo, se la confesseremo in terra, la vedremo, la godremo su in cielo.

6212 MEDITAZIONE 33.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 9,18-20: *Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portae, et ait: Indica, oro, mihi ubi est domus videntis.*

v. 19: Et respondit Samuel Sauli dicens: Ego sum videns. Ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, et dimittam te mane: et omnia quae sunt in corde tuo indicabo tibi.

v. 20: Et de asinis quas nudiustertius perdidisti ne solicitus sis, quia inventae sunt. Et cujus erunt optima quaequae Jsrael? Nonne tibi et omni domui patris tui?

6213 Preludio 2. Ora su questa etc. diciamo, che vista la elezione divina del novello pastore nella umana cognizione del supremo pastore a cui tocca confirmarla, abbiamo a veder la divina elezione nella umana cognizione dell'eletto medesimo. Riscontreremo qui pure le vie ammirabili e il compimento di questa cognizione.

Preludio 3. Domine, ut videam, *Luc. 18,41*, i lacci onde temerli. Oculi mei semper ad Dominum, et ipse evellet de laqueo pedes meos, *Ps. 24,15*.

6214 *1 Reg. 9,18*: Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portae, et ait: Indica, oro, mihi ubi est domus videntis.

Si in civitate tunc est praedicator cum plana et communia loquitur quae intelliguntur, porta civitatis hujus [est] humilitas. Nam divini verbi cognitio superbis absconditur, humilibus revelatur. *Matth. 11,25*: Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Sapientes [dicit] superbos et alta de se sentientes: parvulis: [qui sunt] humiles; quorum certe alia Scriptura meminit, *1 Petr. 5,9*: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Resistit superbis, ne aeterna bona intelligant: humilibus dat gratiam.

6215 Via [è] l'umiltà, di conoscere la divina elezione, di cui anche ella è un segno e carattere.

In medio portae, *1 Reg. 9,18*: Ut eadem bona aeterna, ipso revelante cognoscant. Electi ergo, quia ad spiritualem sententiam per humilitatem veniunt, ad audiendos praedicatores quasi per portam vadunt. Electus etiam praedicator, quia spiritualia humiliter dicit, Samuel Sauli in eadem porta occurrit.

Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portae, ibi: Quasi enim ambo in porta sunt, quando ea quae electus praedicator loquitur, ab electo alio humiliter audiuntur.

6216 Sed qui noviter venerat, quam quaerebat invenerat, et ignorabat.

Indica, oro, mihi ubi est domus videntis, ibi.

Hoc namque proprium magnorum virorum est, ut a minimis difficile cognoscantur. Carne quidem despecti sunt, sed mente sublimes; foris contemptibiles apparere appetunt, sed agere venerabilia non desistunt. Quia ergo valde proficere per eorum exempla appetunt, eos non solum in exterioribus, sed in intimis admirantur.

6217 Vident ergo in eis exterius quod possit a carnalibus despici, sed et pariter attendunt, quod intus spirituales viri magna admiratione debeant venerari. Quos dum fama sublimes audiunt, in altitudine suae conversationis agnoscere concupiscunt. Secundum historiam ergo Saul Samuelem videbat et non cognoscebat, ut quod in figura contingebat illis, nobis spiritualia designaret.

6218 *Indica mihi, ibi*: Nam cum parvuli sumus, quasi videmus perfectos viros dum eorum virtutes a referentibus audimus; sed quos videmus non cognoscimus, quia hoc quod auditu percipimus, in cordis oculis tenemus. Quando igitur ab eis conversationis ejus secreta ad imitandum requirimus, eos nimirum quasi de propria domo interrogamus.

6219 Domus: Eorum conversatio est. Hanc domum scire volebat discipulus Joannis, quando Dominum interrogavit dicens, *Jo. 1,38*: Magister, ubi habitas? Qui nimirum, quia ad familiaritatem illius quasi domesticus perducendus erat, audivit: Veni et vide. *Jo. 1,39.* Hanc domum visam Philippus non cognoscebat, cui dicit, ibi 14,9: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me videt et Patrem meum.

6220 Via e ricorso umile alli Prelati santi.

De Domino etiam scriptum est, *Ex. 33,11*, quia loquebatur Moysi sicut cum amico suo. Sed idem Moyses videns et non cognoscens, interrogabat dicens, *Ex. 33,13*: Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo ostende mihi faciem tuam.

Oro: Spiritualis autem conversatio Sanctorum, quia nonnisi devotis hae supplicibus panditur, domum Samuelis Saul indicari sibi similiter deprecatur.

6221 Sancti etiam praedicatores, cum de se magna audiunt, per humilitatem se

dejiciunt, non inflant. Sciunt se petentibus magna quae imitentur ostendere; sciunt inter magna quae ostendunt, magni per jactantiam non apparere. Quare subditur: *1 Reg. 9,19: Et respondit Samuel Sauli dicens: Ego sum videns. Ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, et dimittam te mane.*

6222 Ego sum videns: [Quod] se sicut in oculis videbatur humilem demonstrare est. Quasi dicat: Tu in aestimatione tua magnum habes quam quaeris; sed parvus est ille quam vides. Hoc namque in verbo, videns non praedicatur, sed ego. Quasi dicat: Videns ille est ego: non quod aestimas, sed quo cernis.

Sed qui humiliare se novit, novit dare dona non humilis, sed sublimis. Quare et praecipit:

6223 *Ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, 9,19.*

Ascende... in excelsum: [Ascendit] qui ad scienda altiora mentem erigit; [quod est] cor ad altiora intelligenda praeparare. Unde et Petrus in monte assumitur ut gloriam transformati Redemptoris videre mereatur. In illo enim ascensu montis, sublimis praeparatio mentis exprimitur, quia alta videre non poterit, qui per intentionem animum in sublimibus non ponit.

6224 Sublimis praeparatio mentis. Salita a virtù magnanime ed eroiche, per consiglio de' prelati.

Quia ergo sublimia praeparati melius intelligimus, [sequitur]:

Ascende ante me in excelsum, 1 Reg. 9,19.

Quasi enim ante praedicatorem in excelsum ascendimus, quando nos prius ad alta scienda animum intendimus, et ipsi nobis, ea ad quae intendimus, postmodum loquuntur.

6225 *Ut comedatis mecum hodie*, *ibi.*

Quando praedicatores sancti coelestia loquuntur, electorum suorum auditorum corda reficiunt: testante enim veritate qua cibus animae est verbum Dei. *Matth. 4,4*: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Panis alimentum [est] corporis: verbum, mentis. Qui vero corpus sine mente reficiunt, mente mortui sunt, carne vivi.

6226 Quare et de delicata vidua Paulus, *1 Tim. 5,6,* dicit: Vivens mortua est. Nam per ciborum delicias non moreretur vidua, si animam verbi Dei cibo satiaret; cum ipse Paulus dicat, *ibi* 4,4: Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione suscipitur. Sed vivens vidua moritur quando cibo corpus nutrit, animam fame interficit. In solo ergo pane homo non vivit, quia cum ex anima et corpore constet homo, sicut aliter per corpus vivit, ita et necesse est ut alimentis diversis singula nutriantur.

6227 *Ascende ante me... ut comedatis, 1 Reg. 9,19:* [Ascendimus] quando ad alta divini verbi mentem erigimus, ut ejus coelesti sapore per devotionem satiemur. Etquia ipsi praedicatores valde amant coelestia quae loquuntur, quasi simul

comedimus (ut comedatis mecum) cum devote illi loquendo proferunt quod nos devote audiendo in ventre animae locamus. Simul enim comedimus, quia verbum Dei pariter audimus.

6228 Praedicatoribus namque Veritas dicit, *Matth. 10,20*: Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Quod et Paulus probat, cum suos auditores interrogat dicens, *1 Cor. 13,3*: An experimentum quaeritis ejus qui in me loquitur Christus? Quia ergo in sanctis praedicatoribus Christus et ejus spiritus loquitur, ipsi praedicatores tanto clarius loquentem audiunt, quanto ei viciniores sunt, cujus sedes esse merentur. Tanto ergo plenius de verbi alimento poterunt refici, quanto jam intra se habent cellam refectionis. Amici enim sponsi sunt, et stant, et gaudio gaudent propter vocem sponsi, *Io. 3,29*.

6229 Cum ergo divina loquuntur sancti praedicatores, audiunt; sed quia certa experientia norunt quando in eis loquitur Spiritus, audiunt se, sed non in se; quia et ipsi loquuntur, sed in se locuti loquentem alium venerantur. In eo igitur quod audiunt et loquuntur, et reficiunt et reficiuntur. Reficiunt quidem auditores dum verbum proferunt voce sua: reficiuntur ipsi, dum verbum quod proferunt profertur eis revelatione divina. Ipsi tamen devotius saturantur, qui in locutione spiritus, mentis delicias experti sunt.

6230 Annon experientia loquentis spiritus est, inconsultos et impraemeditatos se cernere, subitoque consultos etparatos esse? Scire quae nescierant, habere quae non habuerant, torporem mentis amittere, repente mira divotione fulgere, plenitudine scientiae statim ac mirabiliter repleri, mira verbi facundia intellecta proferre?

6231 Habent ergo electi praedicatores experientiam spiritus in se loquentis, in repentina revelatione veritatis. Habent in plenitudine scientiae, habent in facundissima verbi praedicatione. Nam et subito instruuntur, et repente fervescunt, et in momento replentur, et mirabili eloquii potestate ditantur. De illa namque repentina experientia Dominus dicit, *Matth. 10,19*: Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. De illo autem subitaneo fervore caritatis, Cleophas dicit, *Luc. 24,32*: Nonne cor nostrum ardens erat in via, dum loqueretur et aperiret nobis Scripturas?

6232 De repletionis quoque et facundiae experientia Lucas meminit, *Act. 2,2*: Factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. In eodem quippe spiritu repleti et locuti sunt, ut hoc quod asserimus designarent; quia videlicet loquendo aliso pascunt, qui de eo quod dicunt audiendo pascuntur. Et quia sonum vehementis spiritus ardorem, sive locutionem aut repletionem cognoscunt, tanto dulcius in donis spiritualibus epulantur, quanto ad ejus recubitum dignius assumpti sunt. Dicit ergo:

6233 Ascende ut comedatis mecum hodie, *1 Reg. 9,19*: Quia bonus doctor dum

dulciter quae dicit in devotionem mentis accipit, se et eos qui audiunt simul pascit. Quo contra doctores reprobi, quia quae dicunt non amant, cum alios verbo pascunt, jujunant. Nam cum animae refectionem verbum Dei esse Dominus dixerit, *Matth. 4,4*, verbum vero Dei in mente, plena sit eruditio, plena devotio, verbo Dei non pascuntur qui devote quod loquuntur non audiunt.

6234 Apostolus quidem, quasi jam illa verbi dulcedine repletus, ait, *Jo. 1,16*: De plenitudine ejus omnes accepimus. Alia quidem est plenitudo verbi, alia libri. De plenitudine quidem verbi accipere nonnisi electi possunt: de plenitudine vero Scripturae possunt et reprobi. Liber namque beati Joannis Apostoli, et liber beati Pauli Apostoli plenitudines quidem sunt quae de eis habentur. Eorum nimirum verba paulus sive Joannes scripsit; sed quod quisque scripsit, loquens in eis verbum inspiravit.

6235 Qui ergo verbum Scripturae accipit non in amore sed in scientia, de plenitudine accipit non verbi sed libri. Et quia rem mortuam accipit, in ejus ipse acceptione non vivit. Sed qui dico Scripturam mortuam? Non est mortua tantum, sed interficiens. Nam scriptum est, *2 Cor. 3,6*: Littera occidit, spiritus autem vivificat. Hoc quidem facit omnis divina littera. Nam littera corpus est: hujus verto corporis vita, spiritus. Vificatum quippe et vivificans corpus accipit, qui literam legit et in amorem intelligentiae mentem reficit.

6236 Reprobi ergo qui Scripturas rimantur quas non amant, qui audacter foris loquuntur cujus saporem intus non intelligunt, dum refectionem Scripturarum quas exponunt alii devota mente percipiunt, quasi de eo quod ipsi dant alii saturantur, non ipsi.

Dicat ergo Samuel: *Ascende ut comedatis mecum hodie, 1 Reg. 9,19*: Quia eo quod subditis de verbo electi doctores tribuunt, et pariter audiunt, et pariter saturantur. Ecce enim in eodem ipso verbo, quod dicimus demonstratur. Nam, quis dubitat quod hanc Scripturam quam exponimus Samuel scripserit? Et tamen ipse qui scripsit, haec dicit:

Et respondit Samuel, *ibi*: Ut profecto ostenderet quia quod ipse scribebat alius impertiebatur.

6237 Quia ergo Spiritus Sanctus qui per eum loquitur, per eum de eo dicit: Et respondit Samuel Sauli dicens... *Ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, ibi*: Hoc dicit quod audit, et simul audit et dicit. Dum ergo magna veneratione amoris audit et loquitur praedicator electus, [dum] magna devotione auditores boni quae dicuntur excipiunt, Saul et Samuel pariter in excelso comedere dicuntur. Item quia praedicatores auditoribus in ejusdem verbi refectione, digniores atque ferventiores sunt, non Samuel cum Saule, sed Saul cum Samuele comesturus asseritur.

6238 *Ut comedatis mecum, 9,19*: Sed et quia tam splendida mentis eruditio in

magna luce spiritualis vitae est, non dicit ut comedatis mecum hac nocte, sed hodie. Quem etiam mane dimittit: Et dimittam te mane, *ibi*.

Mane [est] initium diei sequentis. Sequens dies [autem est] serena lux sanctae conversationis.

6239 *Dimittam te mane, ibi*: Mane quidem ab excelso dimittitur qui cum ad altioris scientiae lumen proficit, in magna luce boni operis se proponit immorari. Vel mane dimittitur qui verbum magnae scientiae, quod praedicationis ore didicit, praedicare aliis intendit. Quando enim bona proponimus, quasi mane in initio diei sumus, quia boni claritatem jam aspicere coepimus quam sequamur.

6240 Grande scienza, non solo materiale ma spirituale, imparata secondo la dottrina e tradizione della Chiesa Apostolica Romana, Mater et Magistra omnium Ecclesiarum, *Denz. 946,* e desiderio e intenzione di predicarla.

Sed hoc mane in plenum diem crescit, quando is qui magna bona agere, aut alta aeternitatis gaudia praedicare proposuit, id quod proposuit in magna exhibet luce virtutis. Mane ergo Saul ab excelso dimittitur, quia auditores praedicatorum bonorum, quod ab eis sublime audiunt, exercere sublimiter non morantur.

6241 Sed electi viri, bona quae habent et abscondere et manifestare sciunt. Abscondunt, ne per elationem pereant; sed ne infrugifera remaneant manifestant. Dum absconderunt tunc custodiunt: dum manifestant proferunt fructum.

Et omnia quae sunt in corde tuo indicabo tibi, 1 Reg. 9,19.

Celare se quidem praedicatores qualiter studeant, superius in verbo Samuelis ostenditur, ubi dicitur: Ego sum videns, *ibi.* Nunc autem, quia dicit: Omnia quae sunt in corde tuo indicabo tibi, [ostendit quod] saepe viri sancti virtutes quas habent et abscondunt et proferunt.

6242 Sed, ut dixi, abscondunt ne in magnis virtutibus magni videantur; proferunt eas ut electi imitentur. Verbo itaque sapientiae, aut prophetiae spiritu se pollere asserunt, non ut venerentur, sed ut audiantur. Quare et psalmista, verbi gratiam se habere insinuans, *Ps. 118,99,* [dicit]: Super omnes docentes me intellexi. Certus ergo de peritia spiritus, confidentes nos invbitat *Ps. 33,11*: Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.

6243 Prophetam namque se affirmabat Michaeas, *Mich. 2,11*: Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer. Hinc Elisaeus de Naaman Syro dicit, *4 Reg. 5,8*: Veniat ad me, et sciat esse prophetam in Jsrael. Hinc Paulus, *2 Cor. 11,22*: Hebraei sunt, et ego; Israelitae sunt, et ego; semen Abrahae sunt, et ego; v. 23: ministri Christi sunt, (ut minus sapiens dico) plus ego.

6244 E contra autem Amos dicit, *Amos 7,14*: Non sum propheta, et non sum filius prophetae, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros. Hinc etiam Paulus, cum se vult abscondere ad custodiam, *1 Cor. 15,9*: Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Hinc interrogatus Joannes

Baptista, *Jo. 1,21*: Non sum propheta. Non erat quippe ad elationem, sed erat Propheta, et plusquam propheta, *Matth. 11,9*, ad ministerium.

6245 Samuel ergo ut se custodiat ait: *Ego sum videns, 1 Reg. 9,19*, et ut se ad lucrum exhibeat dicit: *Omnia... indicabo tibi*, *ibi*. Quod si aliquis vult, eodem modo intelligere potest; quia cum dicit: "Ego sum videns" si videntem se asserit, ad hoc dicit ut bonum quod habet cum electis communicet. Ut ergo quod asserit probet, subsequitur: *Omnia... indicabo tibi, ibi*. Quod sanctae Ecclesiae doctores agunt, quia dum virtutes mentium intuentur et vitia, et mederi vitiis et promovere virtutes evidenter sciunt.

Omnia quae sunt in corde tuo indicabo tibi, *ibidem*: [Indicat] quando virtutis viam quam bonus auditor cupit tenere, ipse documento manifestae eruditionis dignatur exponere. Quod si magnus est, et bona non solum agere, sed etiam praedicare disposuit. Omnia quae sunt in corde (ejus) indicant praedicatores, quando eorum mentibus aperiunt quidquid cupiunt de doctrina.

6246 Approvato lo spirito dal supremo pastore.

Quia vero ei cui loquitur eum significat qui ad lucra praedicationis innititur, subdit atque ait: *1 Reg. 9,20*: *Et de asinis quas nudiustertius perdidisti ne solicitus sis, quia inventae sunt.*

Hoc superius in persona Saul qualiter rudibus praedicatoribus conveniat expositum est.

6247 Asinis quas... perdidisti, [quia] peccatores quibus vebum vitae praebuit ad poenitentiam nequaquam traxit. Inveniret quidem si ii qui in nocte pravitatis absconderant, ad lucem justitiae redirent in qua viri invenire potuissent.

Inventae sunt, 1 Reg. 9,20: Saepe in eis summi viri salutis bonum facile inveniri posse considerant, de quorum vita ineruditi desperant. Nam et periti medici corporum illos saepe curare praesumunt, de quorum salute imperiti praesumere non possent. Sic nimirum et ab eruditis doctoribus saepe ad poenitentiam et satisfactionem peccatores trahuntur, qui trahi ab ineruditis rudibus nequiverunt.

6248 Quia igitur, tam praedicatione quam exemplo perfectorum, illi ad Dominum poenitendo redeunt qui converti per aliorum ministerium nequiverunt, bene Samuel: Inventae sunt asinae, ait, quas Saul invenire non potuit.

Potest etiam hoc dictum pro profectu ordinandi rectoris intelligi, quasi dicat: Dum eruditione et vita proficis, illos etiam lucrari Domino poteris quos nondum potuisti. Tam certa quidem virtus perfectionis est, ut fructus ejus qui nondum constant in re, constent in spei certitudine.

6249 Conforto e speranza di frutto data dai prelati [al candidato, il quale] è animato ad assumere il carico.

Et quia his verbis ad perferendos labores sanctae praedicationis invitatur, quae

mercedis lucra expectare debeat, exponit dicens: *1 Reg. 9,20*: *Et cujus erunt optima quaeque Jsrael? Nonne tibi et omni domui patris tui?*

Israel [seu] videns Deum [significat] aeternorum civium illam beatam societate, qui ex labore vitae hujus, ad aeternam omnipotentis Dei visionem pervenerunt.

6250 [Il candidato alla predicazione è] animato alle fatiche colla sublime aspettazione della gloria.

Optima Jsrael [sunt] aeternae retributionis dona. Paulus quidem dicit, *1 Cor. 3,8*: Ununquisque mercedem accipiet secundum suum laborem. Hinc, *ibi 15,41*: Alia est gloria solis, alia lunae et stellarum: stella enim differt a stella in claritate. Omnium ergo fidelium retributiones et praemia, bona sunt Jsrael.

6251 Quia vero electorum praedicatorum merces summa est, eorum sunt *optima* Jsrael: *Et cujus erunt optima... Jsrael? 9,20*.

De his quippe Jsraelis optimis, Dominus fideli servo suo repromittit dicens, *Matth. 24,47*: Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Qui enim non "in omnibus" sed "super omnia" constituitur, non tantum bona Jsrael, sed etiam optima habere declaratur.

6252 Dicat ergo Samuel: *1 Reg. 9,20*: *Et cujus erunt optima quaeque Jsrael? Nonne tibi et omni domui patris tui?* Quasi dicat: Et magnus est labor praedicationis, tanto devotius ferri debet quanto majora lucra mercedis habet. Sollicita ergo mente doctor sancta Ecclesiae pensare debet quia Jsrael non bona tantum sed etiam optima ejus sunt, ut majora et excellentiora afat semper, qui tam summa et optima expectat. Eadem quippe summa non summo ordini debentur, sed summo labori. Nam et doctor egregius non dixit, *1 Cor. 3,8*: Unusquisque mercedem accipiet [non] secundum suam dignitatem, sed secundum suum laborem.

6253 Cum ergo praedicatorum aeternae vitae optima referuntur, magnus eis in hac vita labor injuntigur, quia nimirum meliora ceteris habere non praevalet, qui melior esse non studet. Et quia hoc omnium praedicatorum sanctae Ecclesiae commune est, non solum Saul sed omni domui patris sui optima esse referuntur: *Nonne tibi et omni domui patris tui? 1 Reg. 9,20*.

Quasi enim ex patre filii nascuntur, quando in ordinem praedicatorum noviter alii aliis eadem nobilitate sanctitatis splendidi subrogantur.

6254 Domus praedicatoris [est] spiritualis ejus conversatio.

Omni domui patris tui optima Jsrael sunt, quia ubicumque sacerdotalis conversatio est, illa nimirum est et tam summa est, ut ex celsitudine meriti in aeterna vita, sua sint optima retributionis. In hoc ergo se subtiliter praedicatores aspiciant, quia non solum sibi, sed omni domui ejus optima erunt Jsrael; quia si de domo exeunt, optima non habebunt. Nam si solam praedicationis sublimitatem tenent, optima non habebunt, quia altitudinem vitae non tenent.

6255 # MEDITAZIONE 34.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 reg. 9,21-23: *Respondens autem Saul ait: Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Jsrael, et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Beniamin? Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?*

v. 22: Assumens itaque Samuel Saulem et puerum ejus, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati. Erant enim quasi triginta viri.

v. 23: Dixitque Samuel coco: Levavit autem cocus armum et posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit: pone ante te et còmede, quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa.

6256 Preludio 2. Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, *Matth. 11,29*. Docebit mites vias suas. *Ps. 24,9*.

Preludio 3. Ora, in questa lettera etc., diciamo esser oggi a vedere come si compia, si confermi, si perfezioni la cognizione della divina elezione nell'animo dell'eletto medesimo.

6257 Sed electus quisque dum de se magna audit, infirma sua ad memoriam ducit, ut se ab elatione custodiat, ne bona quae habet amittat.

Benché così chiari siano i segni della divina elezione, l'umiltà e il basso sentimento di sé, fa che quasi non creda a quel che vede, contro quel che sente di sé, e abbisogna perciò di conferma.

1 Reg. 9,21: Respondens autem Saul ait: Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Jsrael, et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Beniamin? Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?

6258 Quasi dicat: Quare mihi tam magna adscribis, cum sim nihil?

Filius Jemini [est] qui negligentes imitatur in cura sua et in exemplo proximi. Geminus quippe est, quia dum curam sui negligit, exempla boni operis aliis non impendit.

De minima tribu Jsrael: Quia ultimus ordo sanctae Ecclesiae conversorum peccatorum est, [et ipse] fatetur se esse peccatorem. Questi alle volte sono più utili alle prelature, perché hanno più animo a patire degli altri.

6259 Et cognatio mea novissima: *Matth. 5,19*: Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines minimus vocabitur in regno coelorum.

Inter omnes familias de tribu Beniamin: Beniamin, [seu] filius dexterae, [est] sanctae Ecclesiae populus, qui dum in fide Redemptoris nascitur, per bona opera

ad coelestis patriae bona praeparatur. Dextera quidem Dei, illa aeternae vitae fortitudo est.

6260 Cognationes... de tribu Beniamin: [Sunt] diversae conversationes electorum; nam velut ab uno generationis principio diversae cognationes veniunt, quando ab una origine orthodoxae fidei, conversationes fidelium plures oriuntur. Sancti ergo viri, cum se per humilitate dejiciunt, quia peccatores se esse fatentur, et tamn recte in Deum credere, quasi se et Jemini filios asserunt, et de novissima Jsrael cognatione. Sed quia quanto plus se humiliant, juxta Veritatis vocem, amplius exaltantur, Luc. *14,10,* [sequitur]:

6261 *1 Reg. 9,22*: Assumens itaque Samuel Saulem et puerum ejus, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati.

Assumens Samuel Saulem: [Assumit] quando praedicator sanctae Ecclesiae electo auditori suo alta praedicationis aperit; assumitur subditus, quando per verbum doctoris in cognitionem coelestium elevatur.

6262 Vide Concilium Florentinum, *Denz. 694*: Diffinimus sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenère primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in beato Petro, pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

6263 Et puerum ejus: Quia non carnali intentione spiritualia scire appetit. Quasi enim sine puero in imis remanserat qui dicebat, *Ps. 37,11*: Cor meum dereliquit me. [Quod accidit] quando sic a carnalibus concupiscentiis vincimur, ut intentionem cordis, in terrenis et carnalibus atque corporeis, et non in coelestibus et spiritualibus ponimus. Hunc puerum perditum invenerat qui dicebat, *2 Reg. 7,27*: Invenit servus tuus cor suum. [Cor invenìmus] quando per intentionem cordis spiritualia quaerimus: quando hanc a terrenis avèllimus ut ad coelestia dirigamus.

6264 Electus ergo praedicator, iis qui adhuc carnales sunt, nec fortia imperat, nec spiritualia manifestat. *1 Cor. 3,1*: Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tamquam parvulis in Christo *v. 2*: lac vobis potum dedi, non escam. Quasi dicat: Idcirco vos ad excelsum non duxi, quia spiritualem sensum vobiscum, velut Saul puerum, non habebatis. Quare et causam insinuans, ait, *ibi:* Adhuc enim estis carnales. Bene ergo dicitur:

Assumens Samuel Saulem et puerum ejus, *1 Reg. 9,22:* Quia doctores sanctae Ecclesiae illis fortia imperant, illis alta manifestant, quos spirituales esse considerant.

6265 Introduxit eos in triclinium, *ibi*:

Ponitur ibi qui per id quod altum dìdicit, moratur in latitudine caritatis.

Introducit: Introitus in triclinium amor est.

Triclinium: [est] pulchritudo spiritualis vitae. *1 Jo. 3,14*: Qui non diligit manet in morte: ille qui diligit in vita manet.

Introducimur in triclinium quando in affectum supernae conversationis surgimus per affectum caritatis.

6266 Il giudizio del supremo pastore persuade e conferma che sia stato uno eletto da Dio, in quanto che lo assicura a riconoscere in sé, senza timor d'inganno, quelle virtù e qualità così alte che si ricercano al governo e alla prelatura nella Chiesa; le quali erano nella persona, ma l'umiltà e il timor del proprio giudizio facea che non si considerassero; e anche veggendole facea paura di non essere forse ingannati dall'amor proprio.

6267 *Et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati, 9,22:*

In hac nimirum mansionis latitudine, superiorem locum sancti praedicatores obtinent, quia beatus Joannes evangelista dicit, *Apoc. 4,4*: Et in circuitu sedis sedilia vigintiquatuor, et super sedes vigintiquatuor seniores.

Seniores [sunt] sancti praedicatores, maturi sensu, moribus graves, qui thronum Dei juxta positis sedibus ambiunt; quia qui prae ceteris Conditorem diligunt, per altissimam conversationem ei vicinius requiescunt.

6268 Bene itaque Saul cum puero suo locum in capite eorum qui invitati fuerant sortitur, quia in eis eligendorum pastorum typus ostenditur. In capite quidem rector statuitur, quando per vim magni amoris supernae vitae singulare propositum accipit: cum [scilicet] fidem catholicam cum ceteris communem tenet, sed prae ceteris virtutem sublimem.

6269 *Erant enim quasi triginta viri, 1 Reg. 9,22*: Ter decem [sunt] triginta. Ternarius numerus fidem sanctae et individuae Trinitatis insinuat: denarius, per decem praecepta legis, boni operis perfectionem designat. Tricenarius [ergo] eos designat qui eam fidem tenent, quae per dilectionem operatur.

In horum capite Saul ponitur, quando per divinam gratiam is qui futurus est pastor Ecclesiae, sublimior fit merito, quibus debet esse superior dignitate. Hunc sublimen locum Samuel tribuit, quia qui tantam vitae meretur celsitudinem, ad eam majorum proficit institutione.

6270 Cui nimirum quia jam magna quae agat, et non minima demonstrantur, subditur: *1 Reg. 9,23*: *Dixitque Samuel coco: Da partem quam dedi tibi, et praecepi ut reponeres seorsum apud te. v. 24 Levavit autem cocus armum, et posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit: pone ante te et comede, quia de industria servatum est tibi quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa.*

6271 Levavit autem cocus armum pectoris, [quo] fortitudo signatur actionis.

Dixitque Samuel coquo: Da partem quam dedi tibi: [Quod fit] quando a summis praedicatoribus [fortitudo minoribus] demonstratur.

Coqui [sunt] sacerdotes, quia dum electis fidelibus in fervore spiritus loquuntur, cibos mentis velut per ignem coquunt.

Et praecepi ut reponeres seorsum apud te: Quia fortitudo boni operis in praedicatore debet esse singularis.

6272 *Levavit autem cocus armum et posuit ante Saul, 9,24*: Quando ordinandum pastorem sanctae Ecclesiae quantae fortitudinis esse debet, considerare praecipit. Sed et de eo quod coquus apposuit.

Dixitque Samuel: Ecce quod remansit: pone ante te, *ibi.*

Remansit: Quia non omnia nostra Christus explevit: per crucem quidem suam omnes redemit; sed remansit ut qui redimi et regnare cum eo nititur, crucifigatur.

6273 Hoc residuum viderat, 2 Tim. 2,12: Si compatimus et conregnabimus. Quasi dicat: Quod explevit Christus non valet, nisi ei qui id quod remansit adimplet. Hinc 1 Petr. 2,21: Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Hinc Col. 1,24: Adimpleo ea quae desunt passioni Christi in corpore meo.

6274 Sed notandum quod: Levavit cocus armum et posuit ante Saul; dixitque Samuel: Pone ante te, *1 Reg. 9,24*.

Ponere ante discumbentes dàpifer in mensa ferculum solet, quod dum is qui discumbit trahit ad se, illud ponit ante se vicinius quod paulo longius erat ante se: quia hoc quod novo praedicatori injungitur de fortitudine operis boni, velut ad se propius debet trahere per studium considerationis.

6275 Ascoltare la parola di Dio è porla avanti in tavola. Empierne gli orecchi, la fantasia, l'intelletto, è guardare il piatto. Considerarla attentamente, è trarla vicina. Sentirne gli effetti è trinciarla. Proporre efficacemente l'opera è mangiare.

Pone ante te et comede, ibi: Postquam ad se traxerit, còmedit, quia diu consideratum agere disponit.

Comedere armum [est] quod exterius de forti actione praecipitur per propositum in mente recondere. Quasi enim armum ante se ponere et manducare, electo cuilibet suadebat *Prov. 23,1*: Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quae apposita sunt ante faciem tuam. Secundum unam lectionem: quia similia oportet te parare.

6276 [Dicendo]: In mensa principis [seu] potentis, virtutem armi significavit. [Dicendo] diligenter attende quae apposita sunt ante faciem tuam: armum ante se eum cui dixit, ponere docuit. Sed manducare eum debere insinuavit, quia dixit: Similia oportet te praeparare. Quia dum fortia quae audimus proponimus agere, velut comedentes in cordis ventre reponimus cibos vitae.

6277 Sed ipsis summis doctoribus, vas electionis sub unius discipuli eruditione

imperat dicens, *1 Tim. 5,22*: Manum cito nemini imponas. Quia enim magna retractatione consilii eligendi sunt qui in culmine sublimentur, apte subjectum est: *Quia de industria servatum est tibi quando populum vocavi, 1 Reg. 9,24.*

Quasi dicat: Pone ante te, quod antequam apponeretur ego posui ante me. Considera quod ego consideravi.

6278 *De industria servatum est tibi, ibi*:

[Servata est] pars armi, quia fortissima praedicatoris actio illi bene committitur, qui a summis viris magna consideratione dignus tanto ministerio iudicatur. De industria servatum est tibi quando populum vocavi: quia cum ad suscipiendum praedicationis ministerium subditi fideles veniunt, bonis praedicatoribus non infirmis infirma, sed fortibus fortia injunguntur.

6279 Sed qui bene proficiunt in sublimi sua conversatione, ante omnia tenere student bonum obedientiae. Bene itaque subjunctum est:

Et comedit Saul cum Samuele in die illa, 1 Reg. 9,24: Comedere, promovendo doctori, ut jam dixi, [est] hoc quod sibi de virtute praecipitur, se ad faciendum praeparare.

6280 *Et comedit Saul cum Samuele, ibi*: Quia cui ii qui noviter veniunt magna agere proponunt, in virtute boni operis summi viri ferventiores fiunt.

Potest etiam in ista comestione illa signari de qua superius repromisit dicens: *Ascende ante me, ut comedas mecum hodie, ibi:* Saul ergo cum Samuele comedit, quia cum intus praedicator coelestem verbi Dei suavitatem audit, quod, loquente ipso, subditi foris audiunt, de divina refectione utique satiantur.

6281 Resta la cognizione della divina elezione compiuta e confermata nella mente del novello pastore, dal giudizio e dalle parole del sommo prelato, che lo accerta del dono della fortezza, corrispondendo alle parole di fuori il conforto dello Spirito Santo di dentro: onde sentesi subito efficacemente mosso a proporre cose forti.

Euntes docete omnes gentes, *Matth. 28,19*. [Ecco l'] elezione. Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto, *Luc. 24,49*. [Ecco la] confirma.

6282 [Colloquio): Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, *Ps. 67,29*, affinché ricevendo noi, mediante li Vescovi cattolici, da quell'unico fonte la missione, e partecipando la giurisdizione da quell'unico sommo sacerdote e fonte d'ogni giurisdizione nella vostra Chiesa, possiamo noi pure partecipare della sua fermezza.

6283 MEDITAZIONE 35.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 9,2527: *Et ascenderunt de excelso in oppidum, et locutus est cum Saule in scolario, stravitque Saul in solario et dormivit.*

v. 26: Cumque mane surrexissent et jam elucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario, dicens: Surge, et dimittam te. Et surrexit Saul. Egressique sunt ambo, ipse videlicet et Samuel.

v. 27: Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero ut antecedat nos et transeat: tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini.

6284 Seguita a confermarsi nella mente dell'eletto la cognizione della divina elezione, per l'autorevole indirizzo del sommo pastore.

[Preludio 2]. Voi che per vostra misericordia ci avete posti e fondati sulla confessione salutifera di questa Pietra, deh, Signore, confermateci in modo che nessun urto di mondana o diabolica tentazione ne smova, onde possiamo in questa fede perseverare a salute delle nostre anime, e in edificazione della vostra Chiesa, di cui or siamo membra, e siamo per divenire sostentacoli in parte e sostegni.

6285 *Et descenderunt de excelso in oppidum, et locutus est Samuel cum Saule in solario. Stravitque Saul in solario, et dormivit, 1 Reg. 9,25*: Quicumque ad celsitudinem curae pastoralis assumitur, in eadem ordinis sui sublimitate, habere debet et vitae propriae altitudinem, et alienae infirmitatis compassionem. Ascendat ergo Saul cum Samuele, descendat in oppidum.

6286 Et descenderunt de excelso in oppidum: Sciat rector quae agat alta, sciat quae disponat communia. Dicat cum Paulo, *Rom. 7,24*: Nostra conversatio in coelis est. Dicat nobiscum, *Rom. 7,24*: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *v. 23* Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.

6287 In excelso est rector, cum sapientiam loquitur inter perfectos, *1 Cor. 2,6*.

Descendit in oppidum, quando carnalia disponit: *1 Cor. 7,2*: Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquaeque virum. *v. 3*: Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro. - In excelso est, quando dicit, *Rom. 8,39*: Nulla creatura poterit nos separare a caritate.

Descendit in oppidum, *1 Cor. 9,22*: Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.

6288 Samuel ergo Saul ad excelsum tulit et in oppidum deposuit, quia summi viri cum sanctae Ecclesiae culmen ordinant, illos quos in eodem culmine ponunt, docent sublimiter vivere, plana praedicare; sibi esse rigidos, sed subditis temperatos; sic attendere propriae saluti, ut cum infirmis possint infirmari: infirmari dixerim per affectum mentis, non per languorem internae aegritudinis. Nam si per mentis languorem doctor jacet, curare aegros et jacentes erigere non potest.

6289 Bene ergo cum Samuele Saul in oppidum descendisse et in solario locuti esse referuntur: *Et locutus est Samuel cum Saule in solario, 1 Reg. 9,25*: Oppidum quippe in plano est, solarium vero in alto. Ad excelsum quoque solarium planum est: ad oppidum non planum sed altum. Sic nimirum electi praedicatores, quando minoribus membris compatiuntur, quasi excelsum deserunt, sed in oppidum descendentes in solario sunt; quia ab alto quidem veniunt, sed infirmitatem subditorum miserando et consolando, non agendo et infirmando, assumunt.

6290 Si conferma la cognizione della divina elezione nella mente dell'eletto per l'anteriore indirizzo del supremo pastore, che dall'opere di fortezza lo guida a mano, e lo instruisce della piacevole condiscendenza e compatimento, dandogli esempi di altri pastori cattolici: e quivi trova pure corrispondenza nel suo spirito, che vi trova quiete e riposo.

6291 Infirmis namque compatientes, uxorem ducere praecipiunt: nec tamen ipsi infirmando uxorem ducunt. In oppido ergo descendentes in solario sunt: quia etsi plana jubent, in se ipsi infirma non retinent. Quia vero non "esse" in solario sed "loqui" cum Saul Samuel dicitur, hoc profecto significat quia futurus doctor doceri debet sic infirmis subditis compati, ut ipse tamen teneat alta conversationis.

6292 Et quia ad haec agenda multa consideratione novus praedicator indiget, [sequitur]: *Stravitque Saul in solario, et dormivit, 9,25*.

Dormivit in solario: [In solario dormire] novo praedicatori [est] in sublimi sua consideratione disponere, qualiter subditorum onera debeat portare. Nam si ad saeculi intentionem vigilat, hoc profecto agit ut tantae discretionis bonum in intimis non requirat. Dormire igitur debet ut saecularia nulla cogitet, quia spiritualia disponere oppressus saecularibus nunquam potest.

6293 Sed et dormire non poterit qui sibi non sternit:

Stravitque Saul, *ibi*: Quia nimirum, si bonorum exempla sive dicta non cogitat, impossibile est ut ab exterioribus requescat. Velut mollia quidem nobis subjicimus, quando electorum doctrinam aut vitam cognoscimus. In iisdem quoque stramentis dormimus (stravitque Saul... et dormivit), quia quiescere tunc bene consideratione possumus, quando in rebus spiritualibus occupamur.

6294 In casa del sommo prelato: nella Chiesa cattolica solamente si trovano questi esempli, e si può sopra di loro dormire.

Dicat ergo: Stravitque Saul... et dormivit: Ut electae menti insinuet quia si negligenter ad exteriora se occupat, intimae quietis gratiam non acquirat. Sed qui spiritualia bene vult considerando disponere, donec ea intus perfecte ordinet, ad ea quae foris sunt evigilare non debet.

6295 *9,26*: *Cumque mane surrexissent et jam elucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario dicens: Surge et dimittam te.*

Mane... elucesceret: [Mane elucescit] quando quietae menti veritatis splendor

se aperit. Humana etenim mens per ignorantiam tenebrosa, et per illustrationem veritatis lucida fit. Ignorans, in nocte est; cum illustratur, in die.

Cumque mane surrexissent: [Mane surgit] qui dormit nocte, quando ad agenda se erigit ea quae per considerationem ordinavit.

6296 Et quia ordinandi regis negotium tractabatur, [didicit]:

... Mane surrexissent, *ibidem:* Surgit summus praedicator, ut auditorem suum ad ministerium ejusdem praedicationis ordinet: surgit qui ordinandus est, ut tam sublimen ordinem imo cordis affectu recipiendum esse non speret. Pariter quidem surgunt, quia sublime officium datur, sublime recipitur.

6297 Notandum [quia] ambo prius surrexerunt, (Cumque mane surrexissent, *ibi*) deinde: *Vocavit Samuel Saulem in solario, dicens: Surge, et dimittam te, 1 Reg. 9,26*.

Sed ad historiam si ambo surrexerunt, a somno Saul quia consurgere praecipitur, ad opus praeparari admonetur. Quia vero tam summi sacerdotes, quam ille qui ad ordinem praedicationis assumitur tanti ministerii onus considerant, quasi pariter dormiunt, pariter consurgunt.

6298 Sed qui noviter ordinandus est surgens a somno, ad opus item surgere jubetur, quia ad altitudinem ordinis quamquam pensare meditando studuit, pertingere debet per meritum conversationis. Surgens ergo surgere jubetur, ut sublimen ordinem quem subire deliberat, aequare meritis proponat. Unde et in solario vocatur:

Vocavit Samuel Saulem in solario, ibi: Quia ad alta conari praecipitur. Qui etiam dicit: *Dicens: Surge, et dimittam te, ibi:*

6299 Surgit quippe ut dimittatur, quia ille liber esse in ministerio praedicationis poterit, qui in altitudine magnae conversationis excrevit. Surrexit quidem qui surrexerat, quia qui considerando dicit altitudinem dignitatis, in eadem dignitatis altitudine erigere se curavit per sublimitatem vitae. Unde et subditur: *Et surrexit Saul; deinde: egressique sunt ambo, ipse videlicet et Samuel, 9,26.*

6300 Pastor egreditur, quando a secreto meditationis venit ad publicum operis. Quando enim disponit quae vult agere, intus est: quando autem ea agit foris quae cogitavit, exit. Exiit etiam Saul, quia in exteriori dignitate is qui promovetur, illud suscipit quod ad esset suscipiendum diutius cogitavit.

Egressique sunt ambo, ibi: Quia ambo fuerunt intus, dum ille sollicita mente praeviderit quid aut cui daret: ille item attentius cogitaret, qualis esset qui tam summa praeciperet.

6301 Quia ergo ministerium sanctae praedicationis cum summa discretione tribuendum atque recipiendum est, dum rex Jsraelis ungitur, et propheta uncturus eum egressi perhibentur. Plerique autem codices habent: Cumque mane surrexissent antequam dilucesceret. Mane est antequam dilucescat, quando quodammodo

aspirare dies incipit, et tamen lux plena diei non est.

Il giudizio del sommo prelato non conferma in grazia, ma accerta dell'idoneità e del dono presente: onde [l'eletto] è invitato a sorgere col merito d'una santa conversazione, che non si renda indegna di ascendere e di perseverare nel posto sublime.

6302 Praedicatores autem sanctae Ecclesiae, dum eorum bonam conversationem considerant quos ordinare disponunt, mane est, sed antequam dilucescat. Quod bene in ejus ordinatione dicitur, qui omnipotenti Deo postea displicuisse memoratur. Quasi enim mane antequam dilucesceret propheta vidit hunc, qui ei in luce bonae conversationis apparuit; sed plena diei claritas nondum erat, quia in eo futuras tenebras per praesentem cognitionis lucem videre non poterat. Quod nimirum toties sanctae Ecclesiae agitur, quoties boni sunt qui eliguntur in praesenti, sed in eodem bono perseveraturi non sunt. Quasi enim mane et ante lucem egreditur qui lucem boni operis praesentem monstrat, caliginem vitae futuram coelat. Sed qui inde actum sit, sequitur:

6303 *1 Reg. 9,27*: *Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero ut antecedat nos et transeat: tu autem subsiste paulisper ut indicem tibi verbum Domini.*

In extrema parte civitatis rex ducitur et ungitur. Extrema pars civitatis [est] ultima pars populi subjecti. Qui ultimum locum tenent in sancta Ecclesia [sunt] conversi peccatores; nam justi quique in superiori vel prima parte sunt.

6304 Aut [fortasse] primum locum tenet virginitas, secundum continentia, tertium conjugalis vita, ultimum conversio peccatorum.

In extrema igitur parte civitatis rex ungitur, quia sanctae Ecclesiae rector ordinatur pro peccatoribus, non pro justis. Hinc enim per semetipsam Veritas dicit, *Matth. 9,13*: Non veni vocare justos sed peccatores ad poenitentiam. Ibidem v. 14: Non opus habent sani medico, sed male habentes.

6305 Dic puero: [Puer est] spiritualis sensus.

Ut antecedat nos: [Antecedit] quando hoc agitur quod a spirituali sensu nobis suggeritur non quod a motu carnali imperatur.

Et transeat: [Quia] quosdam praecedit et transit, quosdam praecedit et non transit. Non transit praecedens puer arrogantes, transit humiles: nam dum arrogantes magna et spiritualia agunt, in oculis suis magni sunt. Quasi enim secum habent puerum quem sequuntur, qui in spiritualibus quae agunt, spirituales se esse gloriantur.

6306 Quibus propheta exprobrat, *Isai. 5,21*: Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.

Più sapienti di Agostino e di Tommaso: i quali pretendono d'esser più d'Agostino e di Tommaso: ma alla fine s'inganneranno, perché permetterò che

sieno sbeffati da popoli più abbietti ma veri cristiani: e li assisterò colla mia grazia nel mantenerli [in] una fede stabile.

6307 Electi ergo, in omnibus quae agunt esse quidem spirituales curant, et tenere se spirituales vitant. Magni quidem sunt merito, humiles aestimatione, quia semper magna agunt, sed in eisdem magnis se magnos numquam aspiciunt. Quasi ergo puerum quem praemittunt transire faciunt, cum spiritualem sensum praesentem habent in opere, sed longe ab aestimatione.

6308 *Tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini, 1 Reg. 9,27*: Subsistit paulisper, praemisso puero, qui ad horam se proprio arbitrio substrahit, et alienam voluntatem facit. Transire ergo facit puerum et paulisper subsistit qui ad praeceptum majoris, illa etiam quae putat spiritualia deserit: deserit ut ea quae sibi injunguntur efficere convenienter possit.

6309 Si conferma la cognizione della divina elezione nella mente dell'eletto, per l'autorevole indirizzo del supremo pastore, che porta a docilità, rinunzia al proprio giudizio anche nelle cose spirituali. Quando un animo è così docile ai superiori, anche a fronte del proprio giudizio, allora è sicuramente condotto dallo spirito di Dio. Qui vos audit, me audit, *Luc. 10,16*. E però la docile sommessione al sommo pastore effetto dell'autorevole suo indirizzo, è l'ultima conferma che la elezione a cui siam mossi è da Dio.

6310 Quod certe ordinando praedicatori convenit: nam duem pondus pastoralis curae considerat et infirmitatem suam, hoc sibi se praecedens spiritus dicit, quia tantum onus tam infirmus indigne suscipit. Praemittat ergo, non solum, sed transire faciat puerum, ut non arbitrium suum sequatur, sed illud suscipiat quod si meliore provisione decernitur.

6311 [COLLOQUIO]: Ah, Signore, chiudete le orecchie del nostro cuore alle voci del serpente: aprite le nostre orecchie alle voci di Pietro, onde non siano mai corrotti i nostri sensi e guasta la purità della nostra fede, ma possiamo esibire il nostro spirito quale una verginue casta a Voi, che siete lo Sposo delle anime fedeli.

6312 MEDITAZIONE 36.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 10,1: Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus, et deosculatus est eum, et ait: Ecce unxit te Dominus super haereditatem suam in principem, et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt. Et hoc tibi signum quia unxit te Deus in principem:

v. 2: Cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel, in finibus Beniamin in meridie, dicentque tibi: Inventae sunt asinae ad quas ieras perquirendas; et intermissis pater tuus asinis, solicitus est pro vobis, et dicit: Quid faciam de filio meo?

6313 Ora su questa lettera edificato etc. diciamo come, dopo essere confirmata la cognizione della divina elezione nella mente dell'eletto pastore dal giudizio e dall'indirizzo del supremo prelato, spesso ella viene confirmata ancora dalle testimonianze divine.

Preludio 2. Immaginare [la scena sopra descritta].

Preludio 3. Testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt nimis, *Ps. 92,5*.

Fateci umili affinché possiamo credere. Dobbiam credere per vedere. Non dobbiamo pretendere di vedere per credere.

6314 *Tulit autem Samuel lenticulam olei et effudit super caput ejus, 10,1*:

Il sacramento dell'Ordine, segno dell'interna grazia ed elezione divina della prelatura. Il timore di non esser eletto, era per timore di avere la grazia.

Hoc profecto hac unctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur, quia qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis.

6315 Quia vero ipsa unctio sacramentum est, is qui promovetur bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur. *cf. Cyprianus, Epist. 70, pc. 269 E*.

Ipsas ergo olei virtutes prius videamus attentius.

[Oleum] liquoribus aliis superfertur, ignem fovet, vulnera curat. Quia liquoribus aliis superfertur, misericordiae bonum significat. *Ps. 144, 9*: Miserationes ejus super omnia opera ejus. Quia ignem fovet, [per ipsum significatur] praedicationis gratia, quae electorum mentes illuminat. Quia vulnera curat, [significat] quod detergenda sunt vulnera peccatorum.

6316 *Et effudit super caput ejus, 10,1:* Quia spirituali gratia mens est implenda doctoris. Habeat [ergo doctor] in unctione sua oleum. Habeat misericordiam abundantem, quae sibi virtutibus aliis praeferatur; habeat oleum, ut dum ardorem Sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer aliis per verbum possit; habeat nihilominus oleum medicinae, ut sapienter disponat qualiter peccatorum foetores tergat, et aegras mentes saluti restituat.

6317 Lenticulam olei, *ibi*: Sed lenticula Saul ungitur, non pro praesignanda doctrina, sed ad exprimenda futura. Lenticula parvum est vas. [Cur autem] lenticula olei Saul ungitur, nisi quia in fine reprobatur? Nam qui obedire Deo postea noluit, a Samuele audivit, *1 Reg. 15,26*: Quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus, ne sis rex super Jsrael. Velut enim lenticula olei parum habuit, qui spiritualem gratiam projiciendos accepit.

6318 Quod in rectoribus quoque sanctae Ecclesiae convenienter accipitur. Ple-

rumque enim culmen praelationis accipiunt qui in caritate Dei et proximi perfecti non sunt. Quemdam namque affectum caritatis habent, sed plenitudinem ejus non habent. Illa rudis et imperfecta mentis affectio [est] lenticula olei. Nam dum ungit caput et non replet, tota quidem effunditur, sed parum exhibet. E contra, cum electus rex ungi praecipitur, eidem prophetae Dominus ait, *1 Reg. 16,1*: Imple cornu tuum oleo, et veni ut mittam te ad Isai Bethlehemitaem: providi enim in filiis ejus mihi regnum.

6319 Hinc est quod idem electus rex plenitudinem unctionis suae Dei laudibus imputans, *Ps. 22,5* [dicit]: Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam praeclarus est. Qui ergo gratiam unctionis non perseveraturus accepit, dispensante Deo, per illius vasis liquorem ungitur quo uncti defectio signaretur.

6320 Grazie sacramentali.

Et deosculatus est eum, et ait: Ecce unxit te Dominus super haereditatem suam in principem et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt. *Et hoc tibi signum quia unxit te Deus in principem, 1 Reg. 10,1*.

Ad culmen sanctae Ecclesiae rector ducitur ut hoc officium habeat quo inter Deum et homines pacem ponat. Peccando enim inimicitias Creatoris incurrimus: dum ergo ad peccatorum correptionem rector ponitur, illud de medio tollit quod Dei nos inimicos fecit.

6321 Bene ergo Samuel Sauli caput osculatus fuisse perhibetur: *Et deosculatus est eum, ibi:* Prophetae namque osculum defixum ille portat in capite, qui reconciliationis nostrae suffragium portat in mente: cum videlicet in se nulla gerit fomenta divinae discordiae, qui in mente paci reddere discordes studet.

Ecce unxit te Dominus super haereditatem suam in principem, ibi: Quasi rebus eum admoneat dicens: Qui te ad hoc positum nosti, ut peccati inimicitias debeas solvere, quod in aliis destruis in te non debes retinere.

6322 Nonnulli enim et unguntur et osculum non accipiunt; liberare populum Domini satagunt, sed se inimicorum jugo subjicere non pavescunt. Nam qui aliis bona praedicat quae non agit, quasi osculum dat quod non accipit. Amicos etenim Dei alios facere quaerit, et ipse inimicus esse non desinit: inimicitias peccati in se aedificat, quas in aliis destruere per verbum tentat.

6323 Quia ergo illi solum praeeminet utiliter qui per affectum magnae caritatis Dei amicus est, Samuel caput regis osculatus fuisse dicitur. Hinc ipsa Veritas prius osculatur quos ordinat, deinde ad liberandos alios mittit, *Jo. 15,14*: Vos amici mei estis. *Ibidem*, 20,23: Pax vobis: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt. Ut velut osculum pacis in eorum mente figeret, quos peccati odia solvere praecepisset.

6324 Osculatus ergo rex super haereditate Domini constituitur, quia electus doctor eligitur ut fidelibus subditis dignitate praeemineat, sed de praelatione sua

non suum, sed Domini lucrum quaerat. Quare ad hoc constitutus asseritur, ut qui sub eo sunt, de inimicorum manibus liberentur.

Haereditas Domini multitudo fidelium est. Omnis ergo saecularis intentio removetur, cum rex super haereditate Domini unctus asseritur. Unctionis ergo fructus est cultus divinae haereditatis. Ille ergo officium unctionis exequitur, qui sola quaerit lucra animarum.

6325 Super haereditate Domini in principem se unctum meminit qui hoc solum de terrena dignitate quaerit, quod per suum ministerium Christus quaesivit. Hoc igitur verbo negligentium rectorum intentio reprobatur. Audiunt namque quia super haereditate Domini uncti sunt, quia de terra Dominus nonnisi electos quaerit, norunt quod non terrae latitudinem, non auri copiam, non divitiarum affluentiam, sed fideles suos haereditatem suam dicit, et tamen terrenum quaerere, et quod perit congregare non desinunt. Ad id quod Dominus non quaerit tota sollicitudine intendunt, et quod solum quaerit quaerere negligunt.

6326 Dicitur ergo in quo se negligentes aspiciant, dicitur in quo boni meliores fiant: *Ecce unxit te Dominus super haereditatem suam, 1 Reg. 10,1*: Quasi dicat: Haereditatem suam tuam fecit: vide ut tu in ea aliter non regnes. Ergo: *Et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus qui in circuitu ejus sunt, ibi*: Grandis labor praedicatori praecipitur per hoc quod inimici in circuitu esse referuntur. Satis enim grave proelium esset, si in una parte malignorum spirituum saevitiam tolerarent. Hinc per Prophetam denuntians, dicit, *Ps. 11,9*: In circuitu impii ambulant. Hinc beatus Petrus adhortans ait, *1 Petr. 5,8*: Adversarius vester tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide.

6327 Inimici igitur nostri in circuitu nostro sunt, quia immundi spiritus cogitationi nostrae, verbo et operationi semper insidiantur. Nam dum prava nobis suggerere appetunt, ab una parte sunt; cum ad mala pertrahunt, eorum proelio ab alia parte pulsamur; cum ad mala opera invitant, ex parte reliqua bellum excitant. In circuitu ergo hostes habemus, qui in omni quod cogitamus, loquimur et operamur, malignorum spirituum bella patimur.

6328 Sed quia non a bello, sed de manibus inimicorum liberare populum dicitur, magna virtutis insignia praedicatoribus adscribuntur, quia non solum liberos ne capiantur debent protegere, sed etiam captos de eorum servituti liberare. Hoc autem tunc a regibus nostris agitur, quando illi per eorum praedicationem resipiscunt, qui per audaciam transgressionis subjecti sunt jugo diabolicae potestatis. Quod profecto agere illi solummodo praedicatores possunt, qui ad culmen regiminis divina ordinatione perveniunt.

6329 Nam quos omnipotens Deus ordinat, ad toleranda proelia antiqui hostis mittit; sed eos inter ipsa bella non deserit, qua milites suos protegit et victores facit. Sed cum sancti viri ad primatum sanctae Ecclesiae sustolluntur, vehementer

expavescunt ne onus tanti ordinis sibi judicio hominum sit impositum, non ordinatione Conditoris; ad robur ergo humilium dantur signa quibus se a Deo, non ab hominibus electos sciant. Quare et Samuel subjungens ait:

6330 *1 Reg. 10,1*: Et hoc tibi signum quia unxit te Deus in principem: *v. 2*: Cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel, in finibus Beniamin, in meridie, dicentque tibi: Inventae sunt asinae ad quas ieras perquirendas; et intermissis pater tuus asinis, solicitus est pro vobis, et dicit: Quid faciam de filio meo?

Quasi enim humili pastori, et de tanto officio trepidanti dicat: Tu idcirco trepidas, quia an sit ex Deo hoc quod de te actum est, nescis; sed quia hoc scire potes, trepidare non debes.

6331 Hoc igitur tibi signum, quia te non homo sed Deus in principem unxerit:

Et hoc tibi signum quia unxit te Deus in principem: cum abieris hodie a me, invenies duos viros, juxta sepulchrum Rachel, in finibus Beniamin, in meridie, dicentque tibi: *Inventae sunt asinae ad quas ieras perquirendas, ibi.* Quasi dicat: Si illos duos viros inveneris, et hoc tibi dixerint, scito quia te Deus principem, non ego constitui.

6332 Duos viros: [Sive] perfectos quosque sanctae Ecclesiae praedicatores. Duos, quia perfecti in utroque praecepto caritatis; viros, quia in sancta conversatione robusti; invenies... juxta sepulchrum Rachel, quia per contemplativae vitae studium, divisi sunt ab intentione saeculi; et dum animarum lucra quaerunt, non sunt sepulti.

6333 [Per] Rachel [indicatur] contemplativae vitae speciositas; [haec] venerabilium Patrum indubitata sententia est. Juxta sepulchrum Rachel: quia sic supernae contemplationi perfecti doctores vacant, ut sanctae Ecclesiae sollicitudinem gerant. Juxta stant, quia statum boni operis dirigunt per virtutem contemplationis, et qui nihil gerunt in opere, nisi quod contemplando disponunt. Et quia in ipsa altitudine supernae contemplationis non praesumptionem suam, se rationem sanctae Ecclesiae tenere student, [sequitur]:

6334 *Sepulchrum rachel in finibus Beniamin, 1 Reg. 10,2*.

Beniamin, [sive] filius dexterae, [est] Redemptor humani generis.

Finibus Beniamin: [quae sunt] regulae sanctarum Scripturarum, de quibus profecto finibus scriptum est, *Prov. 22,28*: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Quia ergo sancti praedicatores cum summa contemplando vident, a fidei regula non discordant, sepulchrum juxta quod stant, esse in finibus Beniamin, recte dicitur.

6335 *In meridie, ibi:* Quia saeculum non possunt contemnere, nisi qui plenam lucem et ardorem supernae caritatis habent.

Tunc ergo Saul unctum a Domino in principem se intelligat, quando isti sibi

dicent: Inventae sunt asinae quas quaerebas. Inventas quippe asinas Saul dicunt, quando ad colligenda animarum lucra idoneum cernunt. Quasi aliter dicat: Electum te a Deo in ministerium praedicationis non ab hominibus credas, si illi hoc de te indicant qui dum Dei spiritu pleni sunt, quae dicunt non humana sed divina esse sentiuntur.

6336 Quia ergo de nobis non nobis, sed nobis melioribus credendum est, apte Saul a viris, in meridie, se a Domino unctum in principem recognoscit. Sed alius est a quo ungitur, alii qui ipsam unctionem a Domino esse attestantur; quia omne negotium sanctae Ecclesiae, sicut collatione sanctorum Patrum magis probatur, ita et magis robustum est.

6337 Vocationem suae quae signa quaerierit Paulus.

Quasi enim signum suae unctionis beatus Paulus tunc quaesivit, quando videre Petrum Jerosolymam venit, et cum eo et ceteris Apostolis Evangelium contulit. Gal. *1,12*: Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: sed per revelationem Jesu Christi. Et tamen ministerium unctionis suae per coapostolorum suorum collationem probabat. *Gal. 2,2*: Contuli cum illis evangelium... ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.

6338 Praecursor etiam Redemptoris discipulos unxerat; sed ut signa suae unctionis agnoscerent, ad Christum mittebat dicens, *Matth. 11,3*: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Sciebat enim Joannes quem praedicaverat, quem baptizaverat; sed discipulos mittebat, ut visis signis quo firmius crederent, electionis suae indicia securius tenuissent. Qui ergo ad praedicationis ordinem idonei providentur, in signum suae electionis inventas esse peccatorum quas quaerunt animas recognoscunt.

6339 Et quia omnipotens Deus non solum praedicatione, sed etiam conversatione electi doctoris gaudet, subdit: *Et intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, et dicit: Quid faciam de filio meo? 1 Reg. 10,2*.

Pater tuus, Cis, durus [interpretatur. Similiter duri sunt] qui verbo et exemplo docent terrena despicere, et ad coelestem patriam per duram et asperam conversationem festinare.

6340 Hanc quoque coelestis vitae duritiam tam in verbo quam in vita nostri Redemptoris agnovimus. Si ergo ad summam nostrae eruditionis aspicimus, filii Redemptoris sumus. Pater ergo noster, intermissis... asinis, sollicitus est pro vobis, [sive pro] nobis; quia Redemptor noster sic vult nos quaerere salutem alienam, ut non negligamus nostram. Vult ut vocentur peccatores ad poenitentiam, sed non vult ut pereant hi qui ipsos peccatores vocant; vult ut conversus peccator justitiam quam non habuit, habeat, sed non vult ut justus eam quam habet justitiae palmam perdat.

6341 Intermissis... asinis sollicitus est pro vobis, [intellige] pro filio, quia

praedicatores suos vult ad horam ab aliorum sollicita intentione quiescere, ut sibi ipsis per quietem valeant melius providere. Et quia ipsa sollicitudo sanctae Ecclesiae a bono Rectore resumenda est, intermittitur quies nostra, quia praevenit hanc sollicitudo prior, comitatur posterior.

6342 Electus ergo praedicator vacet utilitati subditorum, vacet suae; sed sic suae curam habeat, ut statim ad eam quam deserit, alienam recurrat; quia tunc Conditor noster, nos quasi filios diligit, cum et subditos nostros tamquam fratres diligimus, et ipsum quasi patrem amamus; dum per affectum sollcitudinis istis jungimur, et ad illum per quietem nostram quam diligit, quasi ad patrem festinamus.

6343 Haec namque dilectio quietis nostrae exprimitur in hoc quod dicitur: *Quid faciam de filio meo? 10,2*. Hoc profecto pater dicit qui tenere filium diligit. Hoc igitur non dicitur de praesente filio, sed absente. Sed quia perditas asinas patris quaerit, ei valde dilectus est quia qui peccatorum animas convertere praedicando nititur, Redemptori nostro jam in magna caritate copulatur; qui certe per aliorum sollicitudinem ab eo quasi longe est, per quietem contemplationis et affectum orationis, prope.

6344 Quia ergo nos sibi vicinos esse et per contemplationem et orationem appetit, quasi diligens pater dicit: *Quid faciam de filio meo? ibi.* Quasi dicat: Quomodo absentem illum mihi praesentem exhibebo? Quia vero praedicationis nostrae sollicitudinem magni sanctae Ecclesiae viri laudant, sed sollicitudinis nimietatem vituperant, illi qui inventas patris asinas dicunt, sollicitum patrem pro filio asserunt.

6345 Segno divino di elezione [è] esser idonei per parole e esempi alla salute altrui, e per la quiete, studiosi della propria.

Signum ergo suae unctionis cognoscere electi possunt, quia nimirum tunc a Deo ad sanctae Ecclesiae culmen perducuntur, cum per verba et exempla idonei sunt ad salutem alienam, et per quietem studiosi ad suam: et cum peccatores ad coelum quaerunt, semetipsos ad saeculum non relinquunt.

6346 MEDITAZIONE 37.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 10,3-4: *Cumque abieris inde et ultra transieris, et veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres haedos, et alius*

tres tortas panis, et alius portans lagenam vini.

v. 4: Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manu eorum.

6347 In questa lettera etc. vedremo la seconda confirma della elezione divina per un'altra testimonianza pure divina, alla umana cognizione del novello eletto pastore.

Preludio 2. Immaginare [la scena sopra descritta].

Preludio 3. Mirabilia testimonia tua, Domine: ideo scrutata est ea anima mea, *Ps. 118,129*. Da Spiritum tuum, Domine, qui omnia scrutatur: etiam profunda Dei, *1 Cor. 2,10*.

6348 *Cumque abieris inde et ultra transieris, et veneris ad querculum Thabor, invenient te ibi tres viri, 10,3*.

Cum bene proficere in sancta conversatione volumus, necessarium nobis est ut electorum plurimorum nobis exempla colligamus; nam et apes componere mella nequeunt, si ea in floribus variis nequaquam legunt. Bene ergo Saul a viris aliis ad alios pervenit, quia exempla sanctorum quo copiosius cernimus, melius edocemur. Flores quippe aeternorum fructuum sunt opera sanctorum, quae dum superni amoris rore perfunduntur, ex eis carpimus unde ad nostram doctrinam et ad aliorum utilitatem repleamur. Inde enim abit et ultra transit Saul.

6349 Cumque abieris inde et ultra transieris: [Evenit hoc] quando rudis praedicator per electorum exempla proficit, et a conspecta virtute unius, ad explorandam alterius conversationem vadit. Quem saepe delectat, [ad esempio di] S. Antonio Abate, in aliis mirari laborem praedicationis, saepe in aliis fortitudinem boni operis; illos loquentes veneratur, istos operantes imitari nititur; illos aspicit qua pulchritudine foris fulgeant, istorum splendorem non in exteriori conversatione, sed in intima scrutatur.

6350 Unde et bene cum transit, ad quercum Thabor venit: *Et veneris ad quercum Thabor, ibi*: Quercus, umbrosa arbor et fortis, [est] secretior conversatio Sanctorum. Hujus namque conversationis viri, dum ad exteriora opera activae vitae non exeunt, quasi in umbra sunt, quia incendia tentationum sentire non possunt; quia enim in coelesti desiderio requiescunt, quo longius amoti sunt ab amore mundi, eo et quietiores manent in umbra refrigerii.

6351 Sed umbra haec, fortis est arboris, quia conversatione sanctorum tanto validius terrena despicit, quanto prius in amorem coelestium surgit. Fortis est etiam quia saeculi adversa potenter tolerant, qui sola coelestia quae vident, amant. Et quia in magno lumine interni splendoris sunt, qui terrena respicere per amorem dedignantur, quercus ipsa Thabor esse dicitur: Quercum Thabor.

6352 Testimonianza divina: Actione precipuus, prae ceteris in contemplatione suspensus. S. Greg. M. *Epist.1, 24 t. 2,458/2 C*. Episcopatus est ordo perfectivus.

Bene regunt qui prius religiose in coenobiis sub disciplinae obedientia didicerunt. - La religione [è] grande scuola di virtù.

San Girolamo: Siccome non ho trovati peggiori di quelli che sono divenuti cattivi in questa scuola, quia corruptio optimi pessima, così non ho trovati alcuni migliori di quelli qui in monasteriis profuerunt. S. Basilio, S. Gregorio.

6353 Thabor [latine est] veniens lumen. [Venit lumen] quando electae menti se interna Conditoris claritas aperit.

Quercus Thabor: quia secreta conversatio terrena despiciendo, agit quo intimam Conditoris lucem clarius aspiciat. Secreti namque sumus quando sensus nostros in Dei timore custodimus; et tunc quidem veniens lumen cernimus, quia cum bene reguntur membra corporis, menti nostrae refunditur gratia Conditoris.

6354 Veneris ad quercum Thabor: [Venit] qui a stantibus juxta sepulchrum Rachel, sollicitum pro se patrem esse sciebat; nam praedicatores sanctae Ecclesiae plerumque virtutes laudant, quibus ipsi vacare non possunt. Contemplativae quidem vitae secretum praedicant, sed dum solliciti sunt pro subditorum custodia, illius vitae adhaerere secretis vitant. Quasi ergo Samuel dicat: Viri illi tibi contemplationis studium laudant; sed quia quod laudant tenere non possunt, in aliis quaerendum est.

6355 Inde ergo ad quercum Thabor transimus: (Et cum veneris ad quercum Thabor, *10,3*) quando a sanctis praedicatoribus contemplativae vitae studium laudabile noscimus, sed perfectionem ejus in illis quaerimus, qui ad eam spiritaliter intendunt.

Invenient te ibi tres viri, ibi: Tres viri, qui unctum regem ad quercum Thabor inveniunt, qui in contemplativae vitae studio perfecti sunt.

6356 Invenient te: non invenientur a te; invenient te, quia absconditi sunt. Inveniunt ipsi nos, quia lucem suae secretae conversationis nobis aperiunt, cum dignantur. Non inveniuntur, quia vitam suam ab omni hominum testimonio auferunt, sed nos inveniunt quia per affectum caritatis, nobis ad imitandum aliquid suae lucis ostendunt. qui item imitandas virtutes suas non proferunt, nisi iis qui magno desiderio eas obtinere et exercere concupiscunt.

6357 Invenient te ibi: Prius ergo nos oportet ad quercum Thabor venire, ut a viris illis tribus valeamus inveniri. Nam velut jam in umbra venientis luminis sumus, quando magnis summae contemplationis desideriis inflammamur. Viri apparent tres, quia qui se nobis desiderantibus dignantur ostendere, in custodia locutionis, cogitationis et operis fortes sunt; nam secretioris vitae esse non possunt, si oculorum, cordis, et oris ostia aperta tenuissent. Quia ergo cor ab inepta cogitatione, os ab otioso sermone, totum corpus a prava operatione custodiunt, tres sunt.

6358 Viri: quia eamdem custodiam fortissime observant.

Tres viri nobis apparent, quia cum tales cernimus, in eis robur virtutis intuemur.

Et veneris ad quercum Thabor, et invenient te ibi tres viri, ibidem: Qui certe in umbra venientis sunt luminis, quia videre internam lucem Conditoris tanto clarius possunt, quanto studiosius mundum cor a mundi inquinatione custodiunt.

6359 Talibus quidem a mortuis resurgens apparuit Dominus; tales replevit Spiritus Sanctus. De illo etenim secreto dicitur, *Jo. 20,19*: Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausae ubi erant discipuli congregati propter metum Judaeorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. *v. 26*: Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus, januis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis.

6360 De alio etiam secreto dicitur, *Act. 2,1*: Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco. *v. 2*: Et factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. *v. 3*: Et apparuerunt illis dispertitae linquae tamquam ignis, seditque supra singulos eorum. *v. 4*: Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.

6361 Clausus quidem januas habent qui contra humani lapsus negligentiam officia corporis sub forti custodia stricat retinent. Intus etiam sunt, quia in interna dilectione supernae vitae requiescunt. Quibus profecto resurgens Dominus apparet, quia ejus gloriam tanto clarius aspiciunt, quanto per mundi contemptum passionis ejus mysterium strictius sequuntur. Hi etiam repleri Spiritu Sancto quasi in domo possunt, quia illi percipiunt abundanter gratiarum ejus dona, qui ad ea percipienda sese visibilia contemnendo paraverunt.

6362 *Ascendentes ad Deum in Bethel, 1 Reg. 10,3*.

Bethel [est] domus Dei, quam inhabitat lux inacessibilis, [scilicet] revelatio divinitatis ejus: lux, quia a mundis cordibus qualitercumque videri potest. Plenissima quidem in semetipsa replet omnia, sed abundanter replens universa, non capitur. Capitur quidem ut repleat, sed replens non capitur, quae repletis omnibus non expletur. Revelatio itaque Conditoris, quia tanta immensitas lucis est, ut illuminet omnia et angustetur in nullo, dum videtur et non comprehenditur, lux est inacessibilis.

6363 Viri ergo hi tres ascendunt ad dominum (ascendentes ad Deum), quia qui se in secretiori vita costodiunt, in divina lucis contemplatione sublimantur. Sed quia ad ipsam Dei omnipotentis speciem adhuc pertingere non possunt, [dicitur]: Ascendentes ad Deum "in Bethel".

Quidquid enim de omnipotenti Deo humana mens potest cogitare, Deus non est.

6364 Sed dum cogitando cuncta transcendit, dum quidquid potest intimae lucis, quidquid internae suavitatis et dulcedinis, quidquid spiritualis delectationis sibi fingere, minus illa esse creditur, ad quandam lucem tamen pervenit quae non est Deus, sed quam inhabitat Deus. Et quia tunc electi anima mirabiliter inflammatur, mirabiliter reficitur, ineffabiliter delectatione fruitur, cogitare compellitur quam

inefabilis lux, dulcedo et delectatio sit quae ipse est, si tam immensa lux est illa quam inhabiltat, et non est ipse.

6365 Ad Dominum quippe in Bethel Moyses ascenderat, quando cum eo in monte loquebatur. Sed qui ad lucem pervenerat quam inhabitat Deus, lucem quae ipse Deus erat, quaerebat dicens, *Ex. 33,13*: Ostende mihi faciem tuam. De quo etiam scriptum est, *ibi v. 11*: Loquebatur Moysi Dominus facie ad faciem, et tamen Dominum obsecrat ut faciem suam Dominus ostendat.

Facies Dei, cognitio ejus est. Cognoscitur autem Deus per speculum hic, *1 Cor. 13,22,* per semetipsum in coelo. Speculum vero est illa lux quam inhabitat Deus: Ipse autem lux illa quae ipse est.

6366 Perfectio electorum [hic] designatur, qui jam speculum illius summae lucis intuentur, sed tamen ad ipsam lucis veritatem; pertingere vehementer cupiunt. Ista quidem cognitio lucis electorum desideria satiare non novit, sed excitare: illa vero et satiare et excitare. Nam tam jucunda res est, ut ineffabiliter concupiscatur, et tam plena, ut qui jam semper hanc in magno desiderio viderunt, semper ineffabili plenitudine satientur.

6367 Viri ergo qui ad Dominum ascendunt, in Bethel ascendere dicuntur, quia cum multum in ista vita proficimus, videre ipsam lucem Conditoris per speculum possumus, in seipsam autem minime valemus. Et quia ad hanc sublimem visionem nonnisi humiles exaltantur, bene de iisdem viris dicitur: *Unus portans tres haedos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini, 1 Reg. 10,3*.

6368 *Unus portans tres haedos*: [Ille est] qui ore, corde, et opere se deliquisse poenitendo considerat. Haedos [enim dicit] peccatores: [et sunt] ii qui in extremo examine ad sinistram aeterni judicis statuendi sunt.

Portans tres haedos ad dominu, [est] qui peccata operis, verbi et cogitationis poenitendo considerare non desinit.

Unus [est] vir portans haedos, quia peccare fortiter cavet; sed quasi peccator non desinit satisfacere. Vir erat et haedos portabat qui dicebat, Jac. 3,2: In multis offendimus omnes.

6369 Et quia peccata quae confitentur delere poenitendo satagunt, [sequitur]: *Unus portans tres haedos, et alius tres tortas panis, 10,3:* Tortas panis ad afflictionem poenitentiae superius retulimus. Panis [enim] si aliquando delectationem praesentis vitae [significat], torquetur panis cum pro praeterita carnis delectatione cruciamur. Unde et rex Ezechias, cum poenitendo compungitur, delectationes regias se torturum promittit, *Is. 38,16*: Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animae meae.

6370 Nos [dicimus] dies multiplicatos. Quando carnalis mens in culpae delectatione resolvitur, diem habet [et] annos, [seu] dies multiplicatos; quia hoc quod agit laetanter videt dies mentis reprobae [sunt ergo] delectationes malae.

Recogitabo omnes annos meos, [dicit] peccator, quia cum per divinam gratiam resipiscit, satisfacere pro universis malis non desinit.

6371 Prius enim dicitur: Unus portans tres haedos; deinde: et alius tres tortas panis; ut electi cujusque virtus appareat, qui fortis est in bono opere, humilis per aestimationem, afflictus per contritionem poenitentiae. Et quia tantae perfectionis esse nequeunt nisi qui amore aeternorum bonorum temporalium obliti sunt, [sequitur]: *Et alius portans lagenam vini, 10,3*: [Scilicet] qui mentem replevit calore Spiritus Sancti, quo et anteriora fortiter currendo appetat, et ea quae retro sunt velut in magna ebrietatis oblivione derelinquat.

6372 Haedos portabat qui dicebat, *1 Tim. 1,15*: Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; tortas panis [portabat qui dicebat], *1 Cor. 9,27*: Castigo corpus meum et in servitutem redigo; lagenam vini, ebrius [ille qui dicebat], *Philipp. 3,13*: Quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quae sunt priora extendens meipsum, *v. 14*: ad destinatum prosequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Jesu. Tres [ergo sunt] viri ascendentes ad Deum in Bethel; unus portans tres haedos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini, quia remotioris vitae studiis dediti, ad contemplationem veri luminis surgunt ex merito humilitatis.

6373 Sed quales sunt in se, quales vero sint aliis exponit [dicens]: *1 Reg. 10,4*: *Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manu eorum.*

Salutant nos viri sancti, quando nobis bona aeternae salutis annuntiant.

Qui vero nos per corpus salutant, caput inclinant, ut reverentiam salutatis exhibeant. Viris autem spiritualibus caput inclinare est mentem a summa contemplatione deponere; nam si caput non inclinant, salutare non possunt, quia nos salutari eruditione non instruunt, si mentem a summa contemplatione coelestium non deponunt tunc enim nobis magnam reverentiam exhibent, quia eos pro quibus ab alto suo culmine descendere dignantur, parvos ese non tenent.

6374 Sed dum futurus rex salutatur, duo ei panes tribuuntur: *Dabunt tibi duo panes, ibi*: Ordinando praedicatori [duo panes dantur] quando pro peccatis suis affligitur; habet alium, quando subditorum peccata plangere conatur. Sed et hunc panem clarius insinuans [monet], *Ps. 126,2*: Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. *Ps. 79,6*: Cibabis nos pane lacrymarum, et potum nobis dabis in lacrymis in mensura. Panis ergo torta: panis doloris [est] et panis lacrymarum.

6375 Et forte idcirco ille vir unus tres panis tortus portabat, quia tres erant qui simul pergebant, ut cum inter se eos dividerent, singuli singulos panes haberent. Quod etiam de haedis intelligi convenienter potest.

Testimonio divino che conferma [l'elezione è il] dono delle lacrime: piangere per i proprj peccati, piangere per li altrui.

Nota quia remotioris vitae viri, dum singularem conversationem tenent,

sollicitudinem aliorum non habent.

6376 Unum ergo haedum et unum panem habent qui pro solis suis peccatis compunguntur, et alienis per pastorale officium non gravantur. Et quia qui ejusdem perfectae conversationis sunt in seipsis afflictionem carnis aemulantur, bene tres panes unus, et alius tres haedos, et tertius vini lagenam portat. Velut enim unus portat quod oblaturi aut comesturi sunt omnes, et omnes manducant vel offerunt quod portat unus, quando pia aemulatione eorum quisque succensus, in se habet bona exempla pro aliis, et bona quae habent alii non negligit imitari.

6377 Et quia feminino genere dicuntur tortae panis, [insinuat quod] qui ex consuetudine compungitur, ei nimirum ex lacrymis aliis aliae plures oriunur. Quasi enim in feminino sexu foecunda est poenitentis afflictio, quia quo saepius quisque compungitur, eo et largiora ei lacrymarum fluenta ministrantur.

Saul ergo non unus panis, sed duo dantur, quia flere praedicatori pro se solo non sufficit. Accipiat ergo de virorum manibus duos panes (Et dabunt tibi duos panes) ut flere exemplo perfectorum discat, sed fletum necessarium sibi et pro subditis recognoscat.

6378 *Et accipies de manu eorum, 1 Reg. 10,4*: Et quia in manu aliquando potestas accipitur, viri tres panes habent in manu, quia qui provecti sunt in arcem contemplationis, fletum habent in virtute potestatis. Quia enim nolunt vana laetitia dissolvi cum possunt, possunt merito flere cum volunt. Nos quippe infirmi et custodiam mentis nostrae negligentes, etiam cum compunti et flere pro peccatis nostris volumus, non valemus.

Quia enim ex magno fervore spiritus spirituales lacrymae producuntur, qui negligentiae nostrae frigore constringimur, incalescere cito ad lacrymas prohibemur. Bene ergo panes in manibus habere dicuntur qui ad querculum Thabor futuro regi apparere perhibentur, quia qui in contemplatione vitae privatae perfecti sunt, lucrum habent subditorum pro observatione virtutum.

6379 Notandum quia uncto regi Samuel praecipit: *Et accipies de manu eorum, ibidem:* Quia in sanctis viris afflictionem non libenter aemulamur; nam qui honorem praelationis et dignitatem ambiant innumeri sunt; qui vero laborem ministerii et afflictionem carnis de eadem praelatione appetunt, pauci. Libenter quidem volumus super alios sublimari, sed eorum plangere peccata vitamus. Tunc enim panes nobis oblatos videmus, sed de manibus offerentium recipere nolumus, quia in electis viris afflictionem cernimus quam non imitamur.

6380 Testimonio divino di conferma: Afflizione della carne e dono di lacrime.

Praecipiat ergo propheta: Accipies de manu eorum; ut qui idoneus esse appetit rector Ecclesiae, quod dictum est assumere nequaquam vitet. Bene quoque Saul prius ad viros juxta sepulchrum Rachel etc. ducitur, deinde ad eos qui panes,

haedos et vinum portant, ut rudis praedicator in aliis discat saeculi alta despicere, et in aliis carnis afflictionem et lacrymarum hostias pro se et subditis omnipotenti Deo offerre.

[COLLOQUIO]. Dateci, [o Signore], spirito di penitenza e compunzione, onde ci avvezziamo a buon'ora a piagnere. Beati qui lugent, *Matth. 5,5*.

6381 MEDITAZIONE 38.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 10,5: *Post haec venies in collem Dei, ubi est statio Philisthinorum: et cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes.*

Ora su questa lettera cominceremo ad osservare la terza testimonianza divina, onde nella mente del novello pastore la cognizione sia conferma della divina sua elezione:

6382 *Post haec venies ad collem Dei, ubi est statio Philisthinorum, ibi:*

Collem: [Collis Dei est] sancta intentio Scripturarum; quia jacet in plano litterae, sed nimis erecta est in spiritualium sensuum sublimitate.

Post haec venies ad collem Dei, ibi: Recto igitur virtutum itineri rudis innititur praedicator, si postquam publicos praedicatores et remotos anachoretas viderit, Scripturae altitudinem videat et agnoscat.

6383 Notandum quia in eo quod Saul ab humero et sursum supra omnem populum eminet, *1 Reg. 9,2*, eruditum et magnae conversationis virum signare diximus. Cur ergo ad collem Dei ascendit, ut ad Scripturarum altitudinem veniat, quam cognoscit? Sed simili modo de eo quaere potuit, quod ad videndos viros ad sepulchrum Rachel ierit, qui magnae conversationis esse dicebatur.

Ad quod dicendum, quod magnos viros designare ostensus est in conversatione, sed ministerio praedicationis rudes. Qui ergo per exempla meliorum proficere et in contemplationis puritate et in officio praedicationis potest; redire ad altitudinem Scripturarum debet, quia quo altiori vita proficit, sublimitatem sacri eloquii valde subtilius attendit.

6384 *Post hoc venies ad collem Dei, 10,5:* Quasi dicat: Cum perfectionem sanctorum virorum perfecta imitatione comprehendis, in tantam Scripturae sacrae intelligentiam proficies, ut planum jam esse videas quod in ea te sublimiter videre cogitabas. *Ubi est statio Philistinorum, ibi*: Quia qui superbiae potu de coelo

ceciderunt, Judaeis atque haereticis per Scripturas illudunt.

6385 *Ubi est statio*: Stant ergo in colle, quia eorum corda quae possident, in Scripturis decipiunt intelligentiae falsitate quoties ergo Judaei ad collem Domini ascendere praesumunt, a Philisthaeis ibi stantibus captivantur; dum enim Scripturae sensum se sublimiter intelligere aestimant, eis in ascensu suo daemones obviant et decipientes necant. Merito ergo Saul non statim sed prius visis viris ad sepulchrum Rachel et panes et vinum portantibus, ad collem Dei ire praecipitur, quia viri fideles magna et doctrina meliorum et exemplorum tutela muniuntur. Unde et eidem Saul dicitur:

6386 *Et cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, ibi*: Quasi dicat: Philisthinorum stationem timere tanto minus poteris, quanto ad securitatem obvios prophetas habebis.

Gregem prophetarum: [Qui est] magna defensorum nostrorum multitudo. Timeat ergo Judaeus, quia dum solus ascendit, interit.

Obvium habebis gregem prophetarum, qui dicunt nobis, *Eccle. 4,18*: Vae soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem se. Solus [est] qui a Deo relinquitur. Non habet sublevantem se, quia relictum a Deo Sanctorum aliquis non assumit.

6387 Electus ergo quisque securus ascendit, quia solus non est. Qui enim per nos loquitur nobiscum est; nam et repromittit dicens, *Marc. ultimo v. 20*: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Solus quippe non erat qui dicebat, *Jo. 8,16*: Solus non sum: sed ego et qui misit me, Pater. Solus item non erat qui exquirebat dicens, *2 Cor. 13,3*: An experimentum ejus quaeritis, qui in me loquitur Christus? Quod non solum de Domini spiritali praesentia, sed et materiali electorum doctrina intelligi convenienter potest; sancti quidem praedicatores in collem domini, ubi est statio Philisthinorum, ascendunt; sed quia prophetarum gregem habent obvium, ipsos Philistaeos nequaquam metuunt.

6388 Prophetarum: [Hi sunt] magni praedicatores sanctae Ecclesiae; [quia] prophetae ministerium [est] occulta revelare et futura praedicere: doctores autem Sanctae Ecclesiae, dum occultos Scripturarum sensus ad communem scientiam trahunt, secreta quae nesciuntur aperiunt, et dum aeterna gaudia praedicant, futura revelant.

6389 Obvium habebis gregem prophetarum: quia doctores sanctae Ecclesiae Scripturae Sanctae veritatem nobis ostendunt. Dum enim ea quae de sacro eloquio scire volumus nobis dicunt, per viam qua ad collem Dei pergitur, euntibus occurrunt. Ibi ergo per occursum prophetarum securi sumus, ubi Philisthaei sunt, quia per auctoritatem sanctorum praedicatorum Scripturae intellectum agnoscimus, in qua Judaei et haeretici errorum suorum gladio a daemonibus perimuntur.

6390 Ecce enim si ad legem Moysi recurrimus, collem profecto Domini invenimus: ibi certe de tabernaculo, ibi de magno pontifice, ibi de hircorum et

vitulorum simul et agni paschalis sanguine legimus. Judaei hoc suo spiritu juxta littera intelligunt, in quo quia nullum prophetarum secum habent, moriuntur. Ego si ad hunc montem ascendere volo, ante descendentes prophaetas video, et securus ascendo.

6391 Et ut novos interim deseram, Isaias ascendenti prium occurrit, Is. 53,7: Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum. Hinc Paulus ait, *Hebr. 9,11 sq*: Christus enim assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tebernaculum non manufactum, idest non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed quia per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Sed si plures habere volumus in isto colle, omnes prophetas requirentes invenimus, quia quod veteres doctores promiserunt, hoc in Redemptore nostro novi praedicatores impletum esse demonstrarunt.

6392 *Post haec venies in collem Dei*, *10,5:* Collis Dei [est] Redemptor humani generis. *Isai. 2,2*: Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium. *Collis*, pro sublimitate sanctitatis; Dei, quia summi est Filius Genitoris.

Ubi est statio Philisthinorum: Quia et in signum natus est cui contradicatur. Statio Philisthinorum [est] contrarietas haereticorum. *Statio*: [quia] stantes velut in colle, ad collem ascendentibus insidiantur, et dum Scripturas sacras male exponendo pervertunt, ad cognoscendum Redemptorem negligenter ascendentes perimunt.

6393 Electus ergo ne trepidet. Et cum ingressus... obvium habebis gregem prophetarum: quia ei ipsum Redemptorem annuntiant omnes praedicatores testamenti veteris et novi.

Descendentium de excelso: quia quae in terra praedicant, in coelo vident. Unde et Joanni, quasi vero ex electo grege prophetarum, a coelo dicitur, *Apoc. 4,1*: Ascende hunc, et ostendam tibi quid oporteat fieri post haec. Qui cum ascendisset, agnum quem Moyses occidendum figuraverat, et ipse in cruce oblatum viderat, jam regnantem conspexit et agnovit; et quantas gratias agerent ei ii pro quibus occisus erat, didicit.

6394 De excelso igitur praedicatores descendunt, quia quod minoribus praedicant, in coelesti contemplatione didicerunt.

Et cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum, 10,5: Quia summos praedicatores sanctae Ecclesiae illic videre possumus, ubi descendunt, non ubi sublimantur. Ea enim quae nobis parvulis dicunt, audimus; sed ea quae vident in coelestibus, quomodo videant, aut dulciter ament, non videmus.

6395 Paulus namque Apostolus, raptus est in Paradisum, et assumptus est in

tertium coelum; audivit etiam arcana verba quae non licet homini loqui. Quis ergo invenire tantum praedicatorem possit, in paradisum raptum aut ad tertium coelum assumptum? Sed ista de se coactus beatus Paulus dixit. Unde et in fine expositae sublimitatis se humiliat, *2 Cor. 12,11*: Factus sum insipiens: vos me coëgitis. Quanta ergo fuerunt illa quae dicere noluit, si ad haec manifestanda coactus venit? Nam et qui audivit et quae homini non licet loqui, vidit quae homini non licet scire.

6396 Dicas fortasse: Si vellet, humana tamen quomodo dicere posset locutione, illius tertii coeli pulchritudinem, intime illius claritatis lucem referre, Angelorum fulgorem, inenarrabilem et inacessibilem claritatem: quam dulciter de plenitudine illius electi et beati illi aeterni cives omnes accipiant, quam desideranter sumant, quam pleniter repleantur, quam suaviter divinae bonitatis dulcedinem gustent, quam delectabili plenitudine satientur: qui splendores sunt singulis de una ineffabili illa luce Conditoris, quae simul omnium de una illa gloria pulchritudo, qua excellentia dignitatis alii praeeminenant aliis, qua sunt boni melioribus, ineffabilis justitiae jucunditate subjecti?

6397 Ad hoc ergo excelsum Paulum sequi non possumus, sed urbem ingredimur, in qua velut ab alto descendens nobis obviam venit. Nam qui cernere non possumus alta quae praedicatores vident, venerabiliter audire debemus plana quae docent. Sed cum descendunt: *Et ante eos psalterium, et tympanum et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. Ange eos psalterium, 1 Reg. 10,5:* Quia regnum coelorum annuntiant; tympanum, quia praedicant mortificationem carnis; tibiam, quia flere jubent subditos pro acquisitione aeternae laetitiae; citharam, quia gaudere pios per certitudinem aeternorum bonorum edocent.

6398 Psalterium, qui a superiori parte resonat, etiam aeternorum gaudiorum praedicationem designat; quia dum superna amare suggerit, quasi a superiori parte suae dulcedinis sonum mittit.

Tympanum, quia de mortui animalis corio tenditur, in eo non inconvenienter carnis nostrae mortificatio figuratur.

Tibia, quia in mortuorum hominum exequiis haberi soleat, de Evangelio didicimus quia dum Dominus Archisynagogi filiam resuscitare vellet, *Matth. 19,25*, de domo illius tibicines ejecit, et turbam tumultuantem expulit; [tibia ergo] sanctorum luctus [exprimit]: nam dum se ab illa vita aeterna quam appetunt projectos aspiciunt, semetipsos quasi mortuos plangunt.

6399 Cithara valde laetum musicum est instrumentum, [quo] verbum solatii electorum apte figuratur: quia velut ad sonum citharae hilarescimus, quando nos electi praedicatores inter aerumnas praesentis exilii consolantur.

Psalterium ergo primus in promissione praedicatorum ponitur, quia ante omnia coelestis regni gloria praedicanda est; ut dum bonum cognoscimus quod amemus,

labore pro eodem bono adipiscendo cupiamus. Hinc est quod cum in Evangelio Matthaeus principia dominicae incarnationis assereret, dixit, Matth. *4,17*: Coepit Johannes praedicare et dicere: Poenitentiam agite: appropinquavit regnum coelorum.

6400 Sed quia dum coelestia noscimus, si ad ea pervenire volumus, necesse est ut passiones mortificemus, praedicatores sanctae ecclesiae velut post psalterium sonum tympani faciunt. Tympano [autem] mortificatio corporis [exprimitur, quae est] praeparatio aeternae beatitudinis. Coelestia ergo praeprari diligimus, et ardentissimis fletibus ea postulare jubemur. Tibia enim quasi mortuos plangimus, quando vehementer dolemus; quia adhuc in illa aeterna vita non vivimus.

6401 Post tympanum ergo praedicatores nostri tibiam habent, quando et membra nostra nos docent mortificare, et pro amore aeternae vitae ingemiscere. Citharam post tibiam ducunt, quia praecipiunt sic deflere aerumnas praesentis exilii, ut gaudeamus de promissione aeternae haereditatis. Nam psalterium insonabat Propheta magnus, *Jo. 10,27*: Oves meae vocem meam audiunt... et vitam aeternam do eis. Psalterium item percutiens, ait *ibidem 3,14:* Exaltari oportet Filium hominis, v. 15: ut omnes qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.

6402 Tympanum sonabat qui dicebat, *Col. 3,5*: Mortificate ergo membra vestra quae sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam. Tibiam sonabat, *Jac. 4,9:* Miseri estote et lugete, et plorate; risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem: Tympanum sonabat. *Ps. 43,22*: Propter te mortificamur tota die: aestimati sumus sicut oves occisionis. Tibiam vero ante se habeat qui item Deo loquitur, *Ps. 79,6*: Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura.

6403 Tibiam ante se habebat Dominus, *Jo. 16,20*: Amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos; mundus vero gaudebit, vos vero contristabimini. Sed velut citharae sonum subjungens: Tristitia vestra vertetur in gaudium. Citharam nobis sonabat, *Phil. 4,4*: Gaudete in domino semper. Iterum dico: gaudete. *v. 5*: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: dominus prope est. Citharam nobis sonat qui civitatis nostrae bona annuntians ait, *Is. 51,3*: Gaudium et laetitia invenietur in ea: gratiarum actio et vox laudis.

6404 Quia ergo praedicatores sanctae Ecclesiae coeleste regnum annuntiant, et pro eodem regno adipiscendo mortificare carnem, flere captivitatem, in spe futurae beatitudinis nos exultare praecipiunt, prophetae ab excelso descendentes, [dicuntur habere] ante se psalterium, tympanum, tibiam et citharam. Et "grex" quidem prophetarum dicitur, quia multi sunt pastores sanctae Ecclesiae, et pastorem unum habent Dominum Jesum Christum.

6405 Notandum: quia ante eos psalterium etc. [habent] ut electorum praedicato-

rum forma videatur. Reprobi namque, post se quae praedicant habent, quia dicunt et non faciunt, [et] negligunt bona agere quae cognoscunt. Unde et adhuc regi Saul, jam Domini mandata contemnenti, dicitur, *1 Reg. 15,35*: Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus ne sis rex. Hinc per prophetam de Judaeis Dominus queritur, *3 Reg. 14,9*: Projecerunt me post corpus suum.

6406 Sancti ergo doctores, quia iter supernae conversationis quod praedicant, continuo incessu boni operis servant, ante eos psalterium etc. [habent]. Possunt haec instrumenta ad praedicationem Redemptoris referri. Collem Dei, Redemptorem [esse jam diximus]; nunc organorum convenientia [intuenda est].

Psalterium sonat qui regni aeterni eum regem nominat; tympanum, qui disciplinam mortificationis nostrae in eo asserit; tibiam qui mortuum Redemptorem pro salute mundi denuntiat; citharam, qui eum a mortuis surrexisse et ad coelos ascendisse dicit.

6407 Sed ad tantorum organorum jucunditatem hilarescimus, si ipsum prophetarum gregem insonantem audiamus, *Ps. 18,7*: A summo coelo egressio ejus, et occursus ejus. *Ps. 71,11*: Adorabunt eum omnes reges terrae: omnes gentes servient ei. Velut enim psalterium in laudem Redemptoris tenuit, qui superiorem partem laudis obtinuit, et redemptoris adventum a summo coelo praedicavit. Tympanum mortificationis ejus Jsaias tetigit, *Isai 53,2*... Et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum. *v. 3*: Despectum, et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus: unde nec reputavimus eum.

6408 Tibiam mortis, *ibidem*, v. 7: Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet. Citharam resurrectionis, *Ps. 95,9*: Commoveatur a facie ejus universa terra. *v. 10:* Dicite in gentibus quia Dominus regnavit; etenim correxit orbem terrae qui non commovebitur. Citharam ascensionis, *Ps. 67,33*: Regna terrae cantate Deo: psallite Deo, *v. 34*: qui ascendit super coelum coeli ad Orientem.

6409 Prophetae descendunt de excelso, quando sancti praedicatores illa sacramenta nobis annuntiant, quae alta contemplatione didicere: Et psalterium etc., quia redemptorem nostrum aeterni regni Dominum asserunt, et per humana conditionem humiliatum et morte sua mundum redimere, et resurgendo coelestia reparare.

Et ante eos etc., *1 Reg. 10,5*, quia ea quae dicunt intelligunt. E contra vero Caiphas prophetare dicitur, et ea quae dixit ignorare, cum tibiam dominicae mortis tetigit, Io. 11,49 sqq., et non ut electus propheta haberet ante se, sed post se.

6410 Bene ergo de electis prophetis subjungitur: *Ipsosque prophetantes, 1 Reg. 10,5*, dum vident quae dicant, velut ante se habent instrumenta quae tangant; et dum praedicant, illud proferunt quod praevidendo cognoverunt. Saul ergo venit ad

collem Dei, quando electus et rudis praedicator spirituali scientia proficit, et Redemptorem humani generis non in plano humanitatis, sed in alta divinitatis ejus majestate cognoscit; et obvium habet gregem prophetarum etc., quia omnes Scripturas quae de ipso sunt, perfecte intelligit.

6411 Scienza eminente di Gesù. Cognizione amorosa e operativa e familiare per l'orazione.

Qui igitur viros ad sepulchrum Rachel vidit, qui haedos, tortas, amphoram vini portantes aspexit, qui per electorum exempla profecisse cognoscitur, ad culmen scientiae sublimatur, et Redemptorem sublimiter sciens, ineffabiliter diligit, a quo quid item scire de eo appetit, quasi familiaris amicus possit.

6412

MEDITAZIONE 39.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 10,6-8: *Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium.*

v. 7: Quando ergo evenerint signa haec omnia tibi, fac quaecumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.

v. 8: Et descendes ante me in Galgala (ego quippe descendam ad te) ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi quid facias.

6413 Le opere di Dio sono perfette. Confermando egli nella mente del novello eletto pastore la divina sua elezione per mezzo di tre chiarissimi segni, o prove o testimonianze, a perfezionare questa cognizione conferma con un nuovo segno o testimonio li anteriori segni e testimonj; e quali li riconferma e li suggella.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, *Ps. 92,5*. Beatus vir quem tu erudieris, Domine, *Ps. 93,12*.

6414 *Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis, 1 Reg.10,6.*

Insiliet Spiritus Domini: Quia electorum corda donis ejus subito replentur.

Et prophetabis cum eis: Quia qui divino Spiritu pleni sunt, Dei magnalia tacere non possunt. Vel: Prophetabis [dicitur illi] cui Samuel divini verbi gratiam pollicetur. Quasi dicat: Qui modo in illa abundantia in te supervenientis Spiritus loqui non potes; quando illa se tibi plenitudo infuderit, loquendi copia abundabis.

6415 Hunc quippe insilientem Spiritum discipulis promittens Dominus ait, J*o. 16,13*: Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; et quae

ventura sunt annuntiabit vobis. In eos quidem superveniens Spiritus insiliit, quorum corda repente veniens illustravit. Et illustrati prophetavere, quia Redemptorem humani generis omni lingua praedicaverunt.

6416 Quod certe in sancta Ecclesia etiam nunc fieri cernimus, quia saepe qui divina loqui appetunt ab eodem Spiritu subito docentur, et loqui optime ea etiam possunt quae praemeditatione nulla didicere. Pro custodia quippe mandatorum percipiunt gratiam verbi in sublimi revelatione Redemptoris, quid enim mirum si lucem scientiae percipere subito possunt, qui per vitae puritatem sedes Sancti Spiritus semper sunt?

6417 Sed quale esset sancti Spiritus donum, si scientiam daret, et affectum magnae caritatis non daret? Qui enim illo Spiritu replentur, coelestia praedicant, sed quae loquuntur amant. Apte [igitur] subjungit: *Et mutaberis in virum alium, 10,6*:

Amor electae mentis [est] immutatio vetustatis. Natura enim nostra per lapsum primi hominis sic damnata est, ut quotidie labendo deficiat, et deficiendo veterascat. Sed qui in nobismetipsis deficimus, cum in nos ille spiritus insilit renovamur, quia statim quod non eramus efficimur. Tepidus erat quis, sed repente visitatus a Spiritu, fervens efficitur. Incipit ardere per devotionem, fortiter exerceri in bono opere.

6418 *Mutaberis in virum alium, ibi*: Quia esse coepit quod ante insilientem spiritum in se esse non potuit. Jam bonae conversationis est aliquis; coelestia amat, terrena despicit; sed pro iis quae sursum diligit, et pro iis quae odit in infimis, flere non praevalet. Saepe vero flere appetit, et non potest, qui plura quae flere debeat commisisse recolit: sed cum subito ille Spiritus insilit, in lacrymarum fontes erumpit.

6419 *Mutaberis in virum alium, ibi:* [Mutantur] qui compunctionis gratiam per advenientem spiritum suspicit, quam ante adventum ejusdem Spiritus non habebat. Puritatem cordis quis obtinere appetit: coelestia cogitare, nullis curam saecularium occursionibus impediri; sed ad id quod per devotionem appetit, assurgere nequit per affectum puritatis. Repente autem raptus in virtute supervenientis Spiritus, esse carnalis desinit, potenter saeculi curas abjicit, et in aeternorum contemplationem mira puritate consurgit.

6420 Mutatur se tunc esse quod non erat: miratur se tunc non fuisse quod est. Nam cum in spiritualibus talem se vidit, miratur qui talis est, quod talis fuisse non potuit. In virum ergo alium mutatur, qui illud quod non fuit se videt esse, et illud quod fuerat non esse. Bene ergo de Saul dicitur: *Mutaberis in virum alium*: Quia praedicatores sanctae Ecclesiae cum gratiam divinae praedicationis accipiunt, non accipiunt solam scientiam verbi, sed virtutem amoris, ut per verbum aliis prodesse valeant, et per verbi amorem ipsi meliores fiant.

6421 Quando etenim loquuntur, mutantur in viros alios, quia cum per eos Spiri-

tus loquitur, ipsi mira caritate eidem Spiritui conjunguntur, et ab eius voluntate jam nec verbo nec opere dissentiunt. Talem namque virum sacra Scriptura colaudans, dicit, *1 Cor. 6,17*: Qui adhaeret Deo unus spiritus est. Deo namque adhaeremus quando Spiritus Sancti gratiam abundanter accipimus; et unus spiritus cum eo efficimur, quando divinae voluntati mente, ore et opere concordamus.

6422 Bene ergo propheta Samuel subjunxit:

1 Reg. 10,7: Quando ergo evenerint signa haec omnia tibi, fac quaecumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.

Signa haec [intellige] in quibus se praedicator agnoscat. Quando ergo evenerint, fac quaecumque invenerit manus tua; et tunc omne quod disponit agere, audeat, quia Dominus tecum est. [Audeat] cum certa experientia noverit quia in magna caritatis abundantia virtutem suscipit Spiritus Sacnti.

6423 Sed docere ea debet praedicator quae agit, sicut de Domino Lucas dicit, *Act. 1,1 sq*: Quia coepit Jesus facere et docere, usque in diem qua praecipiens Apostolis per Spiritum Sanctum quos elegit assumptus est. Rom. 15,18: Non enim audeo aliquid loqui eorum quae per me non efficit Christus, in obedientiam Gentium, verbo et factis.

6424 Samuel itaque uncto regi praecipit: *Fac quodcumque invenerit manus tua, 10,7*: Quasi dicat: Cum te divina gratia plenum videris, doce alios quidquid facis, quia ex praesidente tibi eadem divina gratia habes et optime vivere et utiliter praedicare. Sed tamen quia ante hae omnia observare debeat subjungit [dicens]:

1 Reg. 10,8: *Et descendes ante me in Galgala (ego quippe descendam ad te) ut offeras oblationem et immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis donec veniam ad te, et ostendam tibi qui facias.*

6025 Prius dicit: Fac quodcumque invenerit manus tua; deinde: septem diebus expectabis donec veniam, et ostendam tibi quid facias. Sed qui signa perceperat quibus se unctum regem a Domino sciret, probandus erat an ipsa signa cognosceret. Quod quidem magis spirituali quam historicae explanationi convenit. Nam venire in collem Domini, ad perfectam cognitionem et amorem Redemptoris pertinere diximus; prophetiae dono repleri, ad virtutem Spiritus Sancti. Dicit ergo:

6026 Quando ergo evenerint signa haec omnia tibi, fac quaecumque invenerit manus tua; quia quisquis certus est de intima inspiratione Spiritus Sancti, praesumere potest tam de proposito bono opere, quam de dispositione praedicationis. Dicit item: *Septem diebus expectabis me donec veniam, et ostendam tibi quae facias, 10,8*: Quia summi pastores sanctae Ecclesiae, dum de minorum perfectione dubitant, solliciti valde sunt ut hanc in eis certis indiciis recognoscant. Quae autem sunt indicia spiritus, nisi excellentia dona humilitatis? Sanctus enim Spiritus, quo majori luce virtutum electorum corda irradiat, eo et abundantiori dono humilitatis ditat. Quo enim celsiores sunt meritis, planiores sunt

per virtutem humilitatis.

6427 *Et descendes ante me in Galgala... Septem diebus expectabis, 10,8*.

Ei nimirum pro cognoscenda humilitate, obedientiae onus imponitur. Rectus quoque ordo electae conversationis est, ut obedientiam non injungat aliis, quam ipse impendere non curavit.

Expectabis, praecipitur, ut an sit vere humilis agnoscatur. Si ergo signum perfecti praedicatoris est repletio Sancti Spiritus, et virtus humilitatis signum illius plenitudinis, quid in laude humilitatis dicitur, nisi quia ejus dona sunt signa signorum?

6428 Sed qui immolaturus rex per propheta praeire jubetur, ea qua dicuntur melius cernimus, si ex ordine videantur.

[Galgala latine est] rota, [seu] vita obedientium. [Rota enim] volvendo graditur, et modo alta petit, modo inferiora. Sic vita obedientium; quia inferius agit quod sursum pertrahit, et sursum videt quod inferius exhibet, quasi ad alta sublevatur et ad ima deponitur.

6429 Nam quod obedientes inferius agunt, sursum tollunt; quia quando praelatorum jussis obediunt, terrena sunt quae operantur, sed de terrenis quae faciunt superna praemia praestolantur. Item quod sursum habent ad terram flectunt, quia ut bene terrena agant, coelestia contemplantur; et illud solummodo operantur quod summae illi felicitati convenire conspiciunt.

6430 Hanc profecto rotam flectere Moysi Dominus praecipiens, *Exod. 25,40* [dixit]: Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Qui enim in summis vidit quod fecit in infimis: nimirum superiorem rotae partem ad terram flexit. Inferiorem quoque partem ad superiora extulerat qui dicebat, *3 Reg. 17,1*: Vidit Dominus in cujus conspectu sto. In imo quidem stabat per humilitatem obedientiae, dum regi perfido exprobraret; sed planitiem operis in sublimitate erexit divinae contemplationis, ut velut currentem rotam optime volveret, dum in terreno opere quid coeleste mereretur aspiceret.

6431 Haec profecto forma est electae obedientiae, ut in omni quod foris agimus, ad potentiam Conditoris ubique praesentem respiciamus. Sic nimirum in subditione obedientiae nostrae habere possumus et rectitudinem operis et incrementa devotionis. Recti quidem sumus opere, quia pro eo quem cernimus nos in labore obedientiae exercemus; devoti etiam sumus, quia ei nos placere credimus, quem inspectorem nostrorum laborum attendimus, et largitorem aeternae retributionis.

6432 Et quia majorum imperia perfecta humilitate observanda sunt, bene Saul dicitur: *Septem diebus expectabis, 1 Reg. 10,8.* Propter dona septiformis Spiritus [septenarius numerus perfectus] est. Septem diebus expectamus doctores sanctae Ecclesiae, quando per virtutem septiformis Spiritus, tantam internae devotionis claritatem suscipimus, ut eorum praecepta nullatenus negligamus.

6433 Notandum [est] quia non dixit: Septem diebus eris in Galgala; [sed]: Et descendes ante me in Galgala... *Septem diebus expectabis donec veniam, ibi.*

Ante praedicatorem descendimus, quando hoc agimus quod ejus nobis judicio imperatur. Descendimus, quia mentes nostras eorum imperio subjungamus. Septem diebus expecatare, [est] bonum obedientiae omni luce cordis implere. Quod tunc certe agimus, quando majorum mandata nec dura nec levia praeterimus.

6434 Nullam quippe dierum ab hac luce vacantem Dominus esse volebat, Matth. 5,19: Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum. Et quia perfecta obedientia quam hominibus exhibemus munus est Creatoris, qui septem diebus expctat, oblationm offerre dicitur et pacificas victimas immolare.

6435 Ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas.

Oblatio quidem Domini est, quia hominibus pro Deo offertur; sed oblata hominibus a Deo suscipitur.

Victimae sunt obsequia obedientium; quia cum hominibus pro Deo subjicimur, superbos spiritus superamus. Ceteris quidem virtutibus daemones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt qui obediunt, quia dum voluntatem suam aliis perfecte subjiciunt, ipsi lapsis per obedientiam Angelis dominantur.

6436 Notandum quia Samuel ante se Saul in Galgala descendere praecipit, sine se autem eum offerre oblationem et victimas noluit: *Et descendentes ante me in Galgala (ego quippe descendam ad te) ut offeras oblationem et immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis me, donec veniam ad te, et ostendam tibi quid facias, 1 Reg. 10,8*.

Quid est hoc, nisi quia ipsa bona nostra et ignorare sapienter et scire aliquando utiliter debemus? Ignoranda quidem sunt, ne infirmis nobis elationem praebeant; sed a perfectioribus scienda sunt, ut per devotionem crescant.

6437 Unde et bene in Evangelio, de Elisabeth praegnante dicitur, *Luc. 1,24*: Et occultabat se mensibus quinque. Qui enim spirituales ac fortes esse nequeunt, adhuc per quinarium numerum designantur; quae autem noviter concipit, quinque se mensibus celat, quia per sensus corporis bona agit; sed quia spiritualis ac fortis in hoc bono opere nondum est, ea quae agit sapienter abscondit.

6438 Ille vero victimas Deo, ille oblationem offert, qui septem diebus expectans, venientem prophetam recipit, quia tunc Deo dignum est quod impendit, cum impendens, justus est virtute obedientiae, et divinae immensitatis consideratione timoratus; cum se alius esse non credit, nisi quod majorum probationem cognoscit. Quasi enim praesente propheta offerimus, quando illa solummodo opera nostra digna esse divina susceptione credimus, quae Sanctorum praedicatorum judicio comprobantur.

6439 Et quia coram propheta immolare dicitur, hoc profecto signat quia in

operibus nostris sapientibus atque spiritualibus viris credere debemus. Quia item septem diebus expectat Saul, praedicator sanctae Ecclesiae virtutem subjecti disponere sapienter debet, ut coram eo bona ejus non laudet, nisi quando laudis suae contemnere favorem potest. Unde et eadem oblatio, et victimae Deo offerri a Saul praedicuntur, et non sibi; Deo quippe victimas offert, qui de virtute quam habet inaniter non extollitur, sed omne quod perficit gratiae tribuit Conditoris.

6440 Hoc etiam quia doctorum magisterio discimus, bene Samuel sermonem concludit [dicens]: *Et ostendam tibi quid facias, 10,8*: Expectanti quidem quid faciat indicat, quando is qui perfecte obedire cognoscitur, qualiter imperare aliis debeat edocetur. Sed istud Saul adhuc non exhibetur, sed promittitur. Non enim mittitur ad immolandum, sed ad expectandum.

6441 Segno che conferma gli altri è la pienezza dello Spirito Santo, con cui si riceve e la grazia della parola, e l'affetto ed effetto insieme della carità, ossia l'amore della parola. Segno della pienezza è l'eccellente umiltà; segno della eccellente umiltà è la perfetta obbedienza, ch'è il segno de' segni, ossia il suggillo di tutti i testimonj.

6442 MEDITAZIONE 40.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 10,9-11: *Itaque cum avertisset humerum suum ut abiret a Samul, immutavit ei Deus cor aliud, et venerunt omnia signa haec in die illa.*

v. 10: Veneruntque ad praedictum collem, et ecce cuneus prophetarum obvius ei: et insiluit super eum Spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum.

v. 11: Videntes autem omnes qui noverant eum heri et nudiustertius, quod esset cum prophetis, et prophetaret, dixerunt ad invicem: Quaenam res accidit filio Cis? Num et Saul inter prophetas?

Responditque alius ad alterum dicens: Et quis pater eorum? Propterea versum est in proverbium: Num et Saul inter prophetas? *v. 11: Cessavit autem prophetare, et venit ad excelsum.*

6443 Ora su questa lettera etc. scopriremo le vie per cui giugne all'umana cognizione del popolo la divina elezione del novello pastore.

Et quia sanctorum collocutione proficimus, [sequitur]: *1 Reg. 10,9: Itaque cum avertisset humerum suum ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud.*

6444 Immutatur... cor aliud: Quando ad appetenda meliora dirigitur. Cor enim

immutatur quando ad malum deseritur; in Saul autem, qui prius bonus, postea malus fuit, quomodo potius intelligi ad litteram debeat, non valde clarum est. Sed si pro profectu ejus dicitur, immutavit ei Deus cor, quia qui asinas quaesierat, jam de regni dispositione cogitabat.

6445 Le cadute gravi si cominciano da lontano.

Si vero malum cor tunc recepisse cognoscitur, coram propheta humilis fuit, sed ut coepit discedere, pariter coepit et superbire. In mente sua jam non esse parvulum, sed regem cogitabat; adhuc non erat sublimis ordine, sed erat sublimis aestimatione. Sed quia per hanc sacram historiam adhuc de ejus superbia aperte nihil dicitur, rectius nos quoque agimus, si interim quod de eo sinistrum videri potest, reticemus.

6446 Quod vero adhuc manenti ejus innocentiae suffragari potest, in sequentibus dicitur, *1 Reg. 13,1*: *Quia filius unius anni erat Saul cum regnare coepisset, et duobus annis regnavit super Israel*. Si enim duobus annis humilis rex fuit, immutatus ei cor asseritur pro vigore popositi, non pro novitate tumoris.

Immutavit ei Deus cor aliud, *10,9:* [Quia] novi praedicatores, cum ordinem praedicationis accipiunt, per divinam gratiam meliores fiunt. Samuel quippe Saulem in principem unxit; Deus autem immutavit ei cor aliud, quia sanctorum ordinum Sacramenta ab Ecclesiae doctoribus foris accipimus, sed Sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interius roboramur.

6447 Virtus vero Sacramenti gratia est Spiritus septiformis, quam certe gratiam qui accipiunt, quasi alio accepto corde immutantur, quia quos gratia sua Sanctus Spiritus roborat, esse eos facit protinus quod non erant. Sic nimirum et Redemptoris discipuli ante metuebant, sed ubi per adventum Sancti Spiritus cor aliud eis immutatum est, verbum Dei cum fiducia praedicabant. Immutavit eis Deus cor alius, quibus linguarum omnium peritiam tribuit, quos mira caritate induit, et virtutum omnium splendoribus illustravit.

6448 Notandum, quia tunc ei Deus cor aliud immutavit, quando ut abiret a propheta humerum avertit.

Cum avertisset humerum suum ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud. 1 Reg. 10,9.

Avertit humerum ut abiret a Samuele: Quando is qui praedicationis ordinem suscipit, id quod sibi de pastorali officio praecipitur, agere disponit. Disponit quidem, sed non praevalet, si Deus cor aliud ei non immutet; quia summus locus bene non regitur, nisi rectoris mens divini muneris summa gratia repleatur.

6449 Haec autem quia ei in futuro promittitur, subjunctum est: *Et venerunt omnia signa haec in die illa, 1 Reg. 10,9*.

Die: [dies] eruditi discipuli [est] doctrina electi praedicatoris. Nam qui in die ambulat videt et plana quae ambulet, et praecipitia quae declinet; sic nimirum dum

sanctorum praedicatorum doctrinis illuminamur, quod agendum et quod vitandum est patenter aspicimus.

In die illa: Qua propheta praedicat, bonus auditor suae electionis signa percipit.

6450 *Et venerunt omnia signa haec in die illa, ibi:* Quia in se ea virtutum dona conspicit, quae ante ei affutura suus praedicator ostendit.

Signa haec: Quia per haec se a Deo electos intelligunt, qui ad praedicationis ordinem promoventur. Unctum ergo se aliquis ad Ecclesiae principatum non teneat qui diei illius signa adesse non viderit in virtute perfectionis.

6451 Primum ergo signum prius attente conspiciat: videlicet si exemplo virorum stare ad sepulchrum Rachelis didicerit. Secundum etiam signum cognoscat: si ad quercum Thabor tres viros obvios habuit, quos haedos et panis tortas portare in Bethel ad domum Domini vidit; si panes duos de eorum manibus accepit, nihilominus videat si ad collem Domini venit, si prophetantes cuneos aspexit; si in eum Spiritus Domini insilivit, et in eorum medio prophetare jam possit.

6452 Et viros quidem ad sepulchrum Rachelis vidit, si perfectorum exemplo omnia saeculi confutare jam didicit.

Ad quercum Thabor, si contemplativae vitae fortitudinem atque amoenitatem experiri jam novit; in qua et haedos, et panis tortas, et vinum ad Dominum portantes aspexit, quia ab amatoribus vitae contemplativae jam didicit et peccatorem se indesinenter agnoscere, et pro eisdem peccatis carnem affligere, et afflictionis suae dolorem omnipotenti Deo gratanter offerre.

6453 Ad collem Domini venit, si ad revelatam intimam Redemptoris gloriam, aut Scripturarum sublimen intellectum proficiendo conscendit. Obvium gregem prophetarum habuit, si praedicatorum sanctae Ecclesiae concordem scientiam intellexit. In quorum medio insilientem in se Spiritum Domini sensit, si illa ineffabili suavitate internae experientiae, in se donum supervenientis divinitatis agnovit, et notae gratiae abundantiam loquendo effudit.

6454 Haec quoties sancti praedicatores imperfectis nobis ostendunt, per doctrinam qua nos illuminant, quasi clarissimum diem produnt. Et ista quidem omnia jam promoti praedicatores, exponentibus ordinatoribus sciunt. Quia ergo diem signorum habent, salubriter attendant si promissa signa non videant. Nam qui mundi gloriam contemnere nondum didicit, primum signum audire promissum potuit, sed non vidit ostensum.

6455 Si comtemplativae vitae robur et dulcedinem nescit, sequentis signi bonum videre non meruit. Si altitudinem Scripturarum per intimam eruditionis notitiam non conscendit, ad collem Domini nondum venit. Si supervenientis in se Spiritus Sancti virtutem nondum habet, prophetare non pootest. Sine illo etenim Spiritu pastor carnalis est, et quod loquitur non dignitatem praedicationis referri

potest, sed ad ausum temeritatis.

6456 Qua ergo formidine nos miseri terreri possumus? Ecce enim aliorum ducatum suscepimus, qui virtutem suscepti regiminis non habemus. Signa spiritualis praelationis audivimus, quae in nobis per lucem experientiae non videmus. Terrena concupiscimus, curis exterioribus occupamur, et tanto longius a coelesti contemplatione repellimur quanto terrenorum actuum sollicitudine praegravamur. Hac quoque terrenae vitae mole depressi, quando illum splendorem intimae gloriae Redemptoris attingere, quanto ad altissimos sacrarum Scripturarum sensus possumus pervenire? Sed et coelestia quae nescimus loqui quasi nota non possumus; et qui per quietem amori internae vitae vacare nolumus, insilientem in nos Spiritum Domini non sentimus.

6457 Nota ergo et non habita signa nos terreant; ut cum pro negligentiae nostra immensitate compuntimur, virtutem suscepti ordinis per fletus et lamenta requirimus. Hinc psalmista voce infirmorum deplorat, *Ps. 73,9*: Signa nostra non vidimus: jam non est propheta. Nam propheta est cum jam dicta haec prophetiae signa ei adesse praevidetur. Si ergo ad culmen praelationis assumitur, non se teneat quod est altitudine ordinis, sed quod est virtute perfectionis. Signa nostra non videmus: jam non est propheta. Quasi dicat: Esse nunc prophetam dicerem si dona Spiritus cernerem, quibus prophetae personam fulgere debet. Qui ergo suscepti ordinis pastoralie perfectionem audivit, quam in se obtinere vivendo non meruit, idoneus sanctae Ecclesiae doctor non est.

6458 In primo igitur rege, pastorum omnium sanctae Ecclesiae profectus ostenditur, dum dicitur: *Venerunt ei omnia signa haec in die illa, 1 Reg. 10,9.*

v. 10: Veneruntque ad praedictum collem, et ecce cuneus prophetarum obvius ei: et insiluit super eum Spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum.

Et quia idem profectus electorum praedicatorum mirabilis est, [sequitur]:

v. 11: *Videntes autem omnes qui noverant eum heri et nudiustertius quod esset cum prophetis et prophetaret, dixerunt ad invicem: Quaenam res accidit filio Cis? Num et Saul inter prophetas?*

6459 Quaenam res accidit filio Cis? Valde admirantur quod ab eis non poterat comprehendi. Hominem hominis filium noverant, prophetis sociatum videbant; simplicem noverant, prophetam videbant. Quaenam res accidit filio Cis? Qui nosse quod fuerat poterant, quod erat qualiter esse posset ignorabant. Hinc denique profectus spiritualis praedicatoris est, ut qui in communi vita aliquando notus est, in superiori ordine habeat quod ignoretur.

6460 Tres quidem gradus perfectionis ostensi sunt, quia dicit:

Heri et nudiustertius, 10,11: In duobus quidem diebus praedicator agnoscitur: in tertio habet quod etiam ii qui noverant non cognoscant. Primus namque dies auditoribus pertinet, secundus sodalibus, tertius est praedicationis.

Primum namque diem pastor habuit, quando praelatis suis discipulus obedivit. Quasi enim in magna luce cernitur qui in virtute obedientiae devotus est.

6461 Secundum diem habuit quando meliorum coadjutor esse jam coepit. Ista quippe claritas magnae conversationis in electorum exemplo maximum diem facit. Hanc diem Dominus insinuans ait, *Matth. 5,16*: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.

Tertius vero dies insilientis Spiritus est et prophetiae. In tertio quippe die pastor aspicitur, quando sublititatem dignitatis suae adaequat splendore conversationis; quando coelesti virtute indutus, ea vita eaque doctrina subditis lucet, ut videri ab eis possit, discuti et judicari non possit.

6462 Talis quidem erat Moyses, quando lucidissimo vultu a monte descendit; cujus subditi fulgorem videbant, sed in fulgentem claritatem intendere visum non poterant. Talis erat qui gloriabatur, *1 Cor. 3,18*: Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu. Tales utique erant, quos Spiritus Sanctus repleverat. Unde et qui in Jerusalem convenerant, admirantes dicunt, *Act. 2,7*: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilaei sunt? Interrogabant quippe ut scirent, et scire non poterant.

6463 Qui autem noverant Saul, de re quae ei accidit admirantes interrogant, quia eos aliquando in humiliori ordine sanctae Ecclesiae humiles et despectos cernimus, quos dum Sanctus Spiritus ad ordinem praedicationis assumit, gratiarum suarum splendoribus induit, et in eisdem splendoribus mirabiles ostendit. Sed bene Sanctorum virtutes admirmamur, cum eas bonitati Conditoris adscribimus. Quare et Moyses Domino confitens ait, *Ex. 15,11*: Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? Hinc *Ps. 67,36*: Mirabilis Deus in Sanctis suis: Deus Jsrael ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae: benedictus Deus.

6464 *1 Reg. 10,12: Responditque alius ad alterum dicens: Et quis pater eorum?*

Hucusque de solo Saul dicebatur: *Quaenam res accidit filio Cis 10,11*. Et nunc quasi de multis respondetur: Et quis pater eorum? Sed si ad historiam intelligatur stare nullo modo potest. Restat ergo ut sensus qui litterae demitur, in spirituali significatione requiratur. Cum ergo dicitur: Quis pater eorum? non solum Saul prophetans attenditur, sed omnis ille cuneus prophetarum. Qui nimirum prophetae omnes, quia valde spirituales erant, non ex carnali progenie, sed ex coelesti origine censebantur. cc

6465 Pater eorum: ille [est] qui per Malachiam exquirit, *Malach. 1,6*: Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? Quia enim omnipotenti Deo in magna caritate conjuncti sunt, ejus quem quasi patrem diligunt, filii nominantur.

Quod novae Ecclesiae praedicatoribus tanto decentius convenit, quanto ille eos

in coelestem nobilitatem altius extulit, qui eis claritatem tanti generis in forma detexit orationis. *Matth. 6,9*: Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in coelis. Quasi dicat: Mirandi essent sancti praedicatores, si mira quae agunt sua virtute perficerent; nunc mirum non est quod cernitur, quia per eos ille hoc agit, cui aliquid difficile non videtur.

6466 Responditque alius ad alterum dicens: Et quis pater eorum? *1 Reg. 10,12.* Quasi dicat: Quid mirum est si mirabiliter doceant, cum non ipsi sint qui loquuntur, sed Spiritus patris eorum qui loquitur in eis? *cf. Matth. 10,20.* Non ergo dicitur: Quis pater ejus? ne quod pluribus convenit filiis, unico conferatur. Solus enim ille qui natura filius est, dicere audet, *Jo. 5,17*: Pater meus usque modo operatur. Ps. 2,7: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

6467 Nam ut utriusque dignitatis differentiam promeret, Mariae Magdalenae loquitur dicens, *Jo. 20,17*: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.

Quoties ergo unus praedicator mirabili vita aut praedicatione clarus aspicitur, in superna generatione non solus sed cum aliis innumeris videtur; quia omnipotens Deus, qui mirabilis in una ostenditur, mirabiliorem valde hominum admirationem facit, cum innumerabiles attenduntur qui id quod in uno mirantur habuerunt.

6468 Quod tamen ad detractionem carnalium referri convenienter potest; nam cum spiritualium virorum famam minuere tentant, eorum carnalia explorant, quae ad derogationem proferant. Et plerumque in sancta Ecclesia miram sanctitatis famam habent, qui saecularem altitudinem nullam habent. Cum ergo carnales quique, aut carnis originem, aut paupertatem in eis reprehendunt qui divina generatione jam magni et divites sunt, quasi subsannando de prophetarum patre sciscitantur.

6469 Et quia pro re valde nova habent, quod parvi homines saeculi tam magni videri possunt, subjungitur: *Propterea versum est in proverbium: Num Saul inter Prophetas? 10,11*.

Quod nimirum si oculis cordis inspicerent, pro nova re non haberent. More enim suo agit Spiritus Sanctus, cum ad virtutum culmen pauperes, humiles atque simplices erigit. Nam de eo scriptum est, *Job. 5,11*: Qui ponit humiles in sublime, et moerentes erigit sospitate.

6470 Hinc omnipotens Pater, de eodem omnipotente suo Spiritu, per prophetam dicit, *Isai. 66,2*:... Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? *1 Cor. 1,26*: Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; *v. 27*: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia. *v. 28*: Et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret. *v. 29*: Ut non

glorietur omnis caro in conspectu Dei.

6471 Quod certe proverbium etiam electis ascribi potest; non enim minor admiratio habita est de beato Paulo Apostolo, quando auditum est ab Ecclesia quia ille evangelizaret qui Ecclesiam minando et caedendo expugnare solebat, nunc praedicando defenderet. Tunc quidem ii qui audiebant dicere poterant: Num Saulus inter Apostolos? Numquid ille Jesum praedicat, qui Jesum prosequi solebat?

6472 *Propterea versum est in proverbium, 1 Reg. 10,12.*

Proverbium [est] quando in eo quod dicitur aliud occultatur. Conversio autem beati Pauli Apostoli facta est proverbium peccatoris. Audiat ergo unusquisque peccator beati Pauli conversionem, et non desperet de criminum multutidine. Saulus enim spirans minarum et coedis in discipulos Domini, *Act. 9,1,* ubique electos affligebat, lapidantium protomartyrem Stephanum vestimenta servabat, *Act. 7,58*, et velut omnium manibus lapidabat qui expeditos ad lapidandum omnes reddebat.

6473 Sed qui talis extitit Christum persequens, ad Christum conversus caput effectus est nationum, quia obtinuit totius Ecclesiae principatum. Dum ergo tam magnum peccatorem conversum, tam sublimi dignitate a Domino honoratum conspicimus, peccatorum nostrorum invenire nos posse remissionem praesumamus.

Proverbium ergo nostrum id est, quod ad evangelizandum persecutor assumitur quod hoc mysterium continet; quia conversus peccator non solum sperare a Domino veniam, sed quod viriliter certando pertingere valeat ad coronam.

6474 La maraviglia - che d'ignoranza è figlia - e madre del saper.

Una vita e operazione mirabile [è] via a conoscere dal popolo la divina elezione del suo pastore.

Sed hoc distare inter carnales et spirituales praedicatores solet: quia carnales post alta verba praedicationis, ad ima descendunt pravi operis; spirituales vero post sublimia quae loquuntur, in altiora valde coelestis patriae desideria se sustollunt. Unde subditur:

6475 *1 Reg. 10,13*: *Cessavit autem prophetare et venit ad excelsum.*

Venit ad excelsum post prophetiae ministerium, qui ad coelestia gaudia quae praedicat mentem erigit, ed ad ea amando se sublevat quae loquendo monstrat. Doctores quidem cum minoribus plana praedicant, cum eis quos docent quasi in plano sunt. Et quia post verba praedicationis ad promerenda ea quae praedicant se bonis operibus praeparant, [dicitur de eis]: Venit ad excelsum.

6476 MEDITAZIONE 41.

Orazione preparatoria.

[Preludio 1].

1 Reg. 10,14-24: Dixitque patruus Saul ad eum et ad puerum ejus: Quo abistis? Qui responderunt: Quaerere asinas; quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem.

v. 15: Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel.

v. 16: Et ait Saul ad patruum suum: Indicavit nobis quia inventae essent asinae. De sermone autem regni non indicavit ei quem locutus fuerat ei Samuel.

v. 17: Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Masphat.

v. 18: Et ait ad filios Jsrael: Haec dicit Dominus Deus Jsrael: Ego eduxi Jsrael de Aegypto, et erui vos de manu Aegyptiorum, et de manu omnium regum qui affligebant vos.

v. 19: Vos autem hodie projecistis Deum vstrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris, et dixistis: Nequaquam, sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras et per familias.

v. 20: Et applicuit Samuel omnes tribus Jsrael, et cecidit sors tribus Benjamin.

v. 21: Et applicuit tribum Beniamin et cognationes ejus, et cecidit cognatio Metri, et pervenit usque ad Saul filium Cis. Quaesierunt ergo eum, et non est inventus.

v. 22: Et consuluerunt post haec Dominum, utrumnam venturus esset illuc, responditque Dominus: Ecce abscontitus est domi.

v. 23: Cururrerunt itaque et tulerunt eum inde: stetitque in medio populi, et altior fuit universo populo suo ab humero et sursum.

v. 24: Et ait Samuel ad omnem populum: Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, et ait: Vivat rex.

6477 Ora su questa [lettera] riscontreremo il compimento della cognizione della divina elezione del novello pastore, nella mente suddita del popolo fedele.

v. 14: Dixitque patruus Saul ad eum et ad puerum ejus: Quo abistis? Qui responderunt: Quaerere asinas; quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem. v. 15: Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel. v. 16: Et ait Saul ad patruum suum: Indicavit nobis quia inventae essent asinae. De sermone autem regni non indicavit ei quem locutus fuerat ei Samuel.

6478 A fructibus eorum cognoscetis eum, *Matth. 7,16*. Compimento di cognizione della divina elezione: alla maraviglia sottentra la ricerca della causa. Le opere [sono] indizio dello spirito buono.

Sublimes verbo et opere, cogitatione elationis non sunt. Magna quidem semper agunt, sed magni videri numquam appetunt.

6479 Sermo regni [est] honorabilis dignitas pastoralis. Ipsa enim repraesentatione sua loquitur, quia patruus non est qui tanto ordine sublimatur.

De sermone... regni non indicavit ei (patruo rex), quia pastor Ecclesiae magno divinitatis splendore loquitur, sed elatione non loquitur. Non indicavit: Celat quod loquitur; verbum enim semper loquitur cui verbum est: alioquin verbum non est.

6480 *De sermone autem regni non indicavit ei quem locutus fuerat ei Samuel*, *10,15*. Verbum regni habet qui a conversatione fulget, quae exempla coelestis itineris aliis quasi loquendo praebet; verbum non indicat qui magnitudimem sanctitatis per vanam gloriam non revelat. Habet quidem quod indicet, sed quod per seipsum ostenditur, indicare non vult. Nam qui magna dignitate magnaque sanctitate radiat, multa vivendo ostendit quae loquendo non dicit.

6481 Hoc profeto regni verbum habere Dominus praedicatorem voluit, quando in veste Pontificis tintinnabula poni mandavit. *Ex. 28,33 sq. et 39,23 sq*.

Vestis pontificis [est] ostensio bonae conversationis, quae quasi tintinnabulis multis inseritur, quando opera multiplicat, quae ad minorum exemplum clamant.

6482 Sed indicare rex regni verbum non audet, quia praeceptum est sacerdotibus ut coram Domino vestis decorem portent. [Portat] qui bona ostendit, et de ostensione bonorum non hominibus per vanitatem forits, sed Deo intus per amorem placere appetit. Tun certe sacerdos tacet: sed dum incedit quod portat clamat, quia electus praedicator se jactando non indicat, sed bene vivendo loqui non cessat.

6483 *De sermone autem regni non indicavit ei (patruo suo), Reg. 10,16*, quia electi viri cum splendorem dignitatis, aut bonae vitae incrementa percipiunt, per exempla se proferunt, sed silentio occultant. Et quia aliis electis se esse meritis minores credunt, ille cui sermonem non indicat, ejus patruus esse dicitur.

6484 *Et ait Saul ad patruum suum, 10,6*: [hic est] frater patris. Redemptor autem humani generis, quotquot fidei suae et doctrinae sacramentis instituit, ad immarcescibilem aeternae hereditatis gloriam tot filios facit; qui enim instituuntur in Elesia, quasi parvuli adhuc filiis sunt.

6485 Sed qui magnis meritis ei jam in virum perfectum occurrit, frater est Redemptoris. Talem nimirum beatus Paulus Apostolus collaudans, [ait], *Rom. 7,17*: Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Quia ergo perfecti praedicatores, electos alios perfectos tenent, et se imperfectos, patruus Saul dicitur qui de regni sermone eum interrogasse perhibetur: *Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel, 1 Reg. 10,15*.

La prima opera e frutto [del buon pastore] è umiltà.

Quem locus fuerat ei Samuel, *10,16*. [Intellige]: Sauli. Quia electi viri spiritualem conversationem quam habent, majorum locutione didicerunt.

6486 Specchio e regola per discernere il buon pastore [sono] le sacre Sçritture. Ançhe il popolo le sa: Bonus pastor dat animam suam: mercenarius autem fugit. *Io. 10,11 sq*.

Sed rex qui initiatus per unctionem fuerat, a populo adhuc electus non erat. [Unde et sequitur]:

Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Masphat, 1 Reg. 10,17.

6487 [Masphat latine est] speculatio. [Convocantur in Masphat] in ordinatione regis, quia qui ad ordinandum sanctae Ecclesiae pastorem conveniunt, ejus spiritualia, non carnalia attendere docentur.

Speculari [est] per formam sacrae Scripturae ordinandum praedicatorem cognoscere; nam electorum speculum sacra Scriptura est. Quasi enim per speculum noscitur pastor, quando moribus talis ostenditur, qualis in sacro eloquio praedicatur.

6488 Convocat Samuel populum ad Dominum in Masphat, ut electio boni antistitis non sit humano judicio, sed divino, [cum non] talis eligitur qualis hominum arbitrio decerni potest, sed qualis in sacro eloquio declaratur: quod quia divini muneris est oportet ut populus qui a Deo tam magna expectare cognoscitur, a reatu suo per poenitentiae satisfactionem purgetur. Ipsa autem cognitio peccati, est praeparatio divini muneris, quia saepe cum nos divino munere indignos credimus, id per humilitatem promeremur. Unde et Samuel eos qui ad excipiendum regem convenerant, prius ad peccatorum suorum considerationem convertere satagit.

6489 *1 Reg. 10,18: Et ait ad filios Jsrael: Haec dicit Dominus Deus Jsraeli: Ego eduxi Jsrael de Aegypto, et erui vos de manu Aegyptiorum, et de manu omnium regum qui affligebant vos.*

v. 19: Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris, et dixistis: Nequaquam, sed regem constituere super nos.

6490 Attente quidem ostendit eis et bona quae eis impendit Dominus, et mala quae Domino fecerunt ipsi, ut tanto gravius se deliquisse cognoscerent, quanto illum peccato offendere ausi sunt a quo tanta bona perceperunt. Quid vero sit abjicere Dominum, et qualiter seçundum litteram et spiritualem sensum intelligi debeat, superius late expositum est, ubi ad Samuelem Dominus ait, *cap. 8,7*: Non te abjecerunt sed me, juxta omnia opera sua quae fecerunt, a die qua eduxi eos de terra Aegypti.

6491 Sed quia sancti praedicatores eos quos arguendo compungunt docendo instruunt, subditur: *Nun ergo state coram Domino per tribus vestras et per familias, 1 Reg. 10,19*.

State coram Domino: [Coram Domino stare] praecipimur, quando majorum praecepto corda nostra ad scientia ejus mandata praeparamus; vel coram Domino stant electi, quando a summis viris in spiritualibus virtutibus considerantur, ut qui melior in eis aspicitur, per pastoralem curam ceteris praeferatur.

6492 Et quia plures sunt fidelium ordines, [dicitur], *ibi*:

State coram Domino per tribus vestras per familias.

v. 20: Et applicuit Samuel omnes tribus Jsrael, et cecidit sors tribus Beniamin.

v. 21: Et applicuit tribum Beniamin et cognitationes ejus, et cecidit cognatio Metri, et pervenit usque ad Saul filium Cis.

State... per tribus vestras et per familias [dixit], ut omnes consideraret et considerantis omnibus utiliorem eligeret.

6493 Sed quia ipse jam Domino revelante regem cognoverat, eumque ipso praecipiente in principem unxerat, quid est quod adhuc eligendum per tribus et familias quaerit? Sed inventus rex a solo propheta erat; inventus ergo quaeritur, ut non inventus a populo inveniatur.

Il sommo prelato, nella çondotta prudente e nella regolarità canonica della sua elezione, dispone e finisce di persuadere il popolo circa la divina elezione del suo pastore.

6494 Sors: [posita est], ut eum quem propheta eligeret, dispensatione divina provisum populus non posset dubitare. Sancti principes multa consideratione eligendi sunt; summi enim praedicatores, ex interna gratia Sancti Spiritus quam habent, magno providentiae lumine pleni sunt. Et quia valde sunt humiles, de internae illuminationis suae magnitudine non praesumunt. Quare et ea quae apud se bene ordinant, coram aliis probant. Solus enim propheta regem futurum noscit, quando summus sanctae Ecclesiae rector, personam ordinandi rectoris et merita conspicit. Quem etiam in principem ungit, quando eum donis spiritualibus plenum asserit.

6495 Tamen adhuc populus convocat, per tribus et cognationes dividit, sortes ponit, et eum quem novit quasi per artem invenit. Tribus quidem et familiae quasi divisae stant, quando in statu virtutum diversi sanctae Ecclesiae ordines attenduntur. Nam cum perfectionis electorum plures intuemur, cum candorem virginum, cum robur continentium, cum honesta ministeria clericorum, cum monacorum sollicitudinem videmus, velut stantes tribus attendimus. Et quia in Dei servitio horum multa varietas est, dum ea quae sunt in singulis ordinibus item varietates aspicimus, quasi instantes non solum tribus, sed etiam cognationes videmus.

6496 *Cecidit sors tribus, 1 Reg. 10,20*: Quia meliores viri saepe in uno ordine quam in alio inveniuntur. Nam velut sortem tribus accipit, quando ii qui perfectiores sunt aliis, convenire videntur ministerio praedicationis.

Sed non super personam adhuc, sed super tribum sors cadit, quando plures sunt in quibus persona digna reconditur. Adhuc itaque summis viris remanet ut inquirant.

6497 [Bene dicitur]: *Cecidit sors tribus Beniamin, ibi*: Samuel autem ipsam tribum et ejus cognationes applicuisse: *Et applicuit tribum Beniamin, et*

cognationes ejus: et cecidit cognatio Metri, et pervenit usque ad Saul filium Cis 10,21, quia eleti et summi viri sanctae Ecclesiae, considerare virtutes singulorum non desinunt, donec ad eum veniant qui ministerii pastoralis sorte dignus inveniatur.

6498 Sed qui digni sunt, onus tanti ordinis suscipere vehementer expavescunt.

1 Reg. 10,21: *Quaesierunt ergo eum, et non est inventus. v. 22: Et consuluerunt post haec Dominum, utrumne venturus esset illuc; responditque Dominus: Ecce absconditus est domi.*

Absconditus est: [Abscondunt se] ne inveniantur, quia subire dignitatem refugiunt, cujus oneri se esse impares arbitrantur. Habet quippe spiritualis praelatio exteriorem gloriam dignitatis, habet et interioris magnitudinem oneris: Nam rector et honoratur a subditis, et portat eos a quibus honoratur.

6499 Cum honoris ergo principio, causa nascitur oneris; quia unde honor a rectore excipitur, inde illud suscipit quo gravetur. Quamquam ipse honor dignitatis per seipsum magnum sit onus mentis, quia contemni debet et placet. Contemni debet, ne mentem per superbiam elevet; et suscipi debet, ut coelestia quae doctor loquitur, subjecti venerentur.

6500 Gravius ergo onus de honore nascitur, quia electus pastor, magna animi virtute ferre potest ut despiciat illud in se, quod pro Deo recipit in se; ut videlicet talis pro Deo sit, sed sibi talis non sit; et semetipsum abneget et non abneget: ut sit quod est pro Deo, et quod est pro semetipso non sit. Honor itaque oblatus a subjecto suscipitur, ut praedicatio commendetur; honorem quoque oblatus praedicator despicit, quia non extollitur quod honoratur, sed gaudet quod verbi Dei ministerium commendetur.

6501 Hoc autem quam difficile agatur, cogitando melius quam loquendo comprehenditur. Nam infirmis mentibus impossibile est onus aliorum fortiter ferre, et oblati honoris reverentiam mentis virtute disponere, ut inter ejusdem honoris obsequia de profectu subditorum gaudere sciat, et pro reverentia sua tumere nesciat. Quia ergo electi viri displicere Deo nolunt, praelationis officium suscipere vocati, refugiunt; sed et eamdem fugam ministerii ad virtutem humilitatis habent, non ad jactantiam dignitatis; nam quantum possunt fugiunt, sed si a Domino provisi sunt, delitescere nequaquam possunt.

6502 *Responditque Dominus: Ecce absconditus est domi, 1 Reg. 10,22*.

Domino pandente monstratur, quia electi viri exterioribus se sanctae Ecclesiae ministeriis subtrahunt, sed tamen ad exteriora ministeria dispondenda, Domino dispensante, producuntur. Quia vero nunc in sancta Ecclesia qui se subtrahunt tantis honoribus pauci sunt, qui se ingerant multi, notare qui se ingerunt debent, quia is qui a propheta domi abscontitus dicitur, non ad spiritualem Ecclesiae dignitatem, sed ad saecularem regni gloriam quaerebatur. Non enim in pontificem

hunc quaerebant, sed regem facere volebant. Videat ergo sacerdos qua mente fugiendum sit culmen sanctae Ecclesiae, si culmen saeculi conscendere tam caute reges fugere.

[La] fuga [è] indice di umiltà e di divina elezione.

6503 Sed quia sancti viri quo instantius suscipere ordinem praelationis refugiunt, a devotis plebibus devotius requiruntur, [sequitur]:

1 Reg. 10,23: *Cucurrunt itaque, et tulerunt eum inde: stetitque in medio populi.*

[Stat] praelatus, quando ab universis subditis ejus fortitudo conspicitur. Stare [enim] virtutis est; qui ergo bona operatur, instanter stat. Et quia eadem bona opera exemplum minoribus praestant, *in medio populi* non in solitudine cernitur.

6504 Hoc etiam pro rectitudine intentionis [recte accipitur]. Qui enim stat rectitudine corporis, caput in sublime tollit. Qui vero bona publice agit, non stat fortitudine operis, si rectitudinem non habeat intentionis.

Stetitque in medio populi, *ibi*: [Dicitur] ut praelatorum sanctae Ecclesiae forma monstretur; quia ad exemplum subditorum bona opera debent ostendere, sed de eodem bono opere suscipere mundi gloriam devitare.

6505 [L'] eccellente perfezione di tutte le virtù [si rende] manifesta.

Quantus apparere debeat [subdit dicens]: *Et altior fuit universo populo, ab humero et sursum, ibi.*

Late supra ostendimus quod excellens magnitudo corporis in sanctis praedicatoribus designet augmentum perfectionis. In medio ergo populi sublimis aspicitur, qui in virtutum culmine positus, a subditis non nescitur.

6506 Rectus quidem ordo electi praedicatoris est, ut ante sublimitatem ecclesiastici culminis, culmen conscendat virtutis; pro honore Dei culmen obtineat gloriae, sed majori sublimitate fulgeat revelata virtutum perfectione. Talis quidem pastor a perfectis viris valde praedicandus est, a minoribus cupiendus, atque diligendus.

Et ait Samuel ad omnem populum: Certe videtis quem elegit Dominus, quod non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus et ait: Vivat rex, *1 Reg. 10,24*.

6507 MEDITAZIONE 41.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 10,25-27: Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Domino: et dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum

suam.

v. 26: Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa, et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.

v. 27: Filii vero Belial dixerunt: Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum, et non attulerunt ei munera: ille vero dissimulabat se audire.

6508 Ora su questa lettera riscontreremo la conferma della cognizione nella mente del popolo, della divina elezione del suo pastore.

Legem regni: *10,25*: De jure retio quia late superius diximus, hoc tantum de illo memoramus: quia ad historiam non praecipitur, sed ostenditur quid acturi sint reges reprobi, quid vitaturi sint boni. A regibus quidem defendendi sunt subditi, non bonis propriis spoliandi; auxilium praestare subjectis debent, agros, vineas, et oliveta auferre non debent.

6509 Quod si non vitanda sed agenda scripta haec contendere quis voluerit, tyrannorum jus pro eo rege scribitur, qui abjecto Domino postulatur. Crudelis ergo lex regni, ultio est Dominum abjicientis populi; non enim injustum erat ut agros et vineas perderet, qui regnantem super se dominum sponte perdebat. Cuncta ergo quae contra aequitatem in hoc jure regio continentur, aequa esse cernimus si in petendo rege quidquid populus deliquerat consideramus.

6510 Nam quod magnum in divinae aequitatis examine onus legis est, si filios et filias in regis opere inviti ponerent, quos a Dei libertate sponte tulissent? Et quid inconveniens esse cernitur, si quod ad ultimum ponitur, ipsi fierent servi hominum, qui abjiciebant super se regnantem Deum? Dum ergo regni lex scribitur, perpetuae memoriae poena traditur qua audaces puniantur.

6511 Quae, quia per Domini justitiam lata fuerat, coram Domino reponi perhibetur: *Et reposuit coram Domino 10,25.*

Sed fortasse jus illud aliud [fuit], quam lex ista quae scribitur: *legem regni, et scripsit in libro, ibi*. Quod si verum est, [scriptum est]: Locutus est... Samuel ad populum legem regni, *ibidem*, coram rege, ut rex sciat a populo quid exquirat, sciat populus quid exhibere suis regibus debeat. Scripsit in libro, ut pro futurorum memoria reservetur; reposuit coram Domino, ut venerabilis habeatur.

6512 Nos autem reges ecclesiarum sanctos praedicatores esse diximus, quibus aperte omnia convenire ostendimus quae jure regio continentur.

Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, 1 Reg. 10,25: Quando electus doctor fideles sanctae Ecclesiae instruit qua humilitate suis praepositis debeant subjugari.

Et scripsit in libro, *ibi*: Quando in eorum mente haec firmiter inserit. Nam qui sic loquitur ut audita auditores obliviscantur, ad populum legem dicit, sed in libro non scribit. Verba ergo quae doctor loquitur in libro scribere, est auditorum suorum mentibus attente commendare.

6513 Quasi scribere volebat Dominus quae dixerat, quando dicebat, *Jo. 15,20*: Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo. Hinc Paulus, locutam regni legem in libro describens, [ait] *Hebr. 13,7*: M.ementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Si vero et hic aliam legem quis esse praesignatam accipere voluerit, illam aspiciat quam beatus Paulus ostendit, *1 Cor. 9,14*: Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelo vivere.

6514 Le Bolle del Papa confermano la cognizione dell'elezione del novello pastore.

Hanc quippe legem regni Dominus loquebatur ad populum, quando dicebat, *Matth. 10,41*: Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet: et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et ut arctius hanc in libro describeret, a minori verbum roborans, *Marc. 9,40*: Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

6515 *1 Reg. 10,25*: *Et dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam;*

v. 26: Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa, et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.

v. 27: Filii vero Belial dixerunt: Num salvare nos poterit iste?

Si simplex historia attenditur, quid unquam planius dici potuit? Sed si vim verborum singulorum attendimus, magna sunt quae in hac simplicitate verborum clauduntur.

6516 *Dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam; sed et Saul abiit in domum suam, 10,25 sq.* Non dimissus rex [perhibetur]: separatim de domibus populi et de domo regis dicitur; prius dimissus populus, quam rex abiit; de abeunte populo, non simul sed singuli [dicuntur] abiisse in domum suam; abiit cum eo pars exercitus, non singuli; quorum tetigerat Deus corda; [insuper] filii vero Belial... despexerunt eum.

Hinc profecto modus discendi, non simplex sed valde subtilis est, qui considerare novit non quod simpliciter foris sonat, sed quod sapienter intus insinuat.

6517 *Dimisit Samuel omnem populum... Saul abiit in domum suam, ibi*:

Saul rex, [est] pastor Ecclesiae; populus, [sunt] subiecti.

Ire liberi est: dimitti, ejus qui retineri potest.

Saul abiit, ut in persona praedicatoris libertas animi praedicetur. Abire quippe doctores possunt cum volunt, et redire, quia fortes sunt in bono opere, sapientes in

interna dispositione. Veniunt quando ad subditos exeunt, aut exemplo boni operis, aut verbo praedicationis. Abeunt quando ad mentis secretum redeunt, et quod foris acturi sunt intus disponunt. In qua nimirum consideratione quia quotidie permanent, quasi intra domum latent.

6518 Saul abiit in domum suam: Quia praedicator aeternae vitae operatione probatus, sapientiae doctrina securus, liber ad opera potest egredi, et ad consilia mentis intrare.

Dimisit Samuel... populum, 10,25: Quia fideles subjecti non sunt liberi ad disponenda quae volunt, sed quae jubentur. Quasi tenti quidem dimittuntur, dum jussa praecipiuntur agere, praesumere non jussa devitare.

6519 Et quia ad opera diversa mittuntur, [dicitur]: *Dimisit... singulos in domum suam, ibi*: Ut enim ea quae nobis praecipiunt bene perficiamus, priusquam appareamus in opere, intus recondimur in interna consideratione. Reges ergo nostri nos singulos dimittunt in domum nostram, quia ad ea quae nobis injungunt, nos per secretam mentis dispositionem ire praecipiunt. Bene quidem ipsi praecipiunt, sed si operationi nostrae modum negligimus praevidere, quae bene praecepta sunt inconsulta mente dissipamus. Singuli ergo in domum suam redeunt quando unusquisque fidelis subditus opus obedientiae quod proponit consilio mentis disponendo praevenit.

6520 Quia vero electo rege in domum suam ante populus dimissus, quam rex abiisse asseriutur, potest in hoc aliud designari:

Dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam: sed et Saul abiit in domum suam, *10,25 sq:* Qui regem excipiunt in domum suam vadunt, quando se unusquisque subjectus condsiderando praeparat, ut ei quam praeesse sibi petiit, fidelem obedientiam impendat. In hoc ergo loco, non est imperata considerare, sed imperandis intima se dispositione substernere.

Sed et Saul abiit in domum suam, 10,26: [Quod est] ut discrete paratis imperet considerare.

6521 *Populum singulos in domum suam: Saul... in domum suam, 10,25*: Alia [est] domus regis, alia populi subjecti; quia alta illi mente subditorum itinera disponenda considerant; isti praelatorum imperia exequi per intimi propositi robur parant.

Saul... in domum suam in Gabaa, [quae latine est] sublimis: Quia electus doctor non ima et terrena cogitando incolere, sed alta et coelestia meditari studet. Unde [dicit]:

6522 *Et abiit cum eo pars exercitus, 10,26*, in Gabaa: Quia hi qui contra diabolum fortes sunt, electum pastorem suum ad virtutum alta prosequuntur.

Cum eo pars exercitus, *ibi*: Abiit cum eo pars exercitus, quia in sancta Ecclesia plerique fideles qui praelatis suis humiliter obedire sciunt, alta cogitare nesciunt;

sciunt quidem imperata perficere, nesciunt aliis imperanda praevidere. Quasi enim hujus partis milites commemorabat Paulus, *Col. 4,10*: Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabae, de quo accepistis mandata; si venerit ad vos excipite illum. *v. 11*: Et Jesus qui dicitur Justus, qui sunt ex circumcisione: hi sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. Rom. *16,3*: Salutate Priscam et Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu, *v. 4*: qui pro anima mea suas cervices supposuerunt; quibus non solum ego gratias ago, sed et conctae Ecclesiae gentium. *v. 21*: Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius et Jason.

6523 Adjutores suos discipulos vocavit, quia ordine minores erant, sed labore participes; obedientiae humilitate Apostolo subjecti erant, sed dum cum eo aeterni regni gloriam praedicarent, cum eo pariter veritatem defenderent, infidelibus resisterent, illatas persecutiones fortiter sustinerent, quasi in bello Dei, milites regis erant.

Abiit cum eo pars exercitus in Gabaa, *1 Reg. 10,26*: Quia perfecti discipuli in alta dispositione sanctae Ecclesiae magistrorum suorum coadjutores sunt; auxilia quae possunt per altitudinem virtutis ferunt, sed eis quos adjuvant per humilitatem serviunt.

6524 L'esempio de' più forti, scienziati e spirituali, che si assoggettano al nuovo prelato, e si fanno al suo partito, confermano la cognizione della divina elezione.

Et quia hoc nonnisi illi possunt qui Spiritus Sancti gratia praeventi sunt, cum pars exercitus ire cum rege dicitur, subjungitur:

Quorum tetigerat Deus corda, ibi: Quia enim digito tangere solemus, Deus corda Sanctorum tangit, quando eis Spiritus Sancti gratiam tribuit. Et ejus tactum sentiunt, quia recepto internae virtutis munere, a carnalitatis suae debilitate commoventur. Qui protinus coelestis exercitus milites sunt, quia per virtutem Sancti Spiritus infirma deserunt, et ad agenda fortia in Christi bello praeparantur.

6525 Quia vero intra sanctam Ecclesiam quidam praelato suos despicere non verentur, audiant quia qui regem despiciunt, Belial filii dicuntur:

Filii vero Belial... despexerunt eum, *10,27*.

Per superbiam quidem vitium in illius imitatione generantur, de quo scriptum est, *Job. 41,25*: Omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiae.

6526 Qui apte superborum mores insinuant:

Dixerunt: Num salvare nos poterit iste? *10,27*.

Sancti enim viri, quia praesentia despiciunt, aeterna inquirunt; contemptum mundi quem in mente retinent, proferunt etiam in exteriori conversatione; intus venerabiles sunt, foris despicabiles videntur. Superbi ergo, quia illud solum quod in sanctis foris despici potest aspiciunt, illud vero quod valde venerandum est cer-

nere non merentur, dicunt: Num salvare nos poterit iste? Iste tam parvus, nos tam magnos, tam debilis tam fortes, salvare posse credendus est?

6527 Nam quid est aliud quod dicunt: Nos... iste, nisi quod arrogantes et superbi inspicientes, alios semper parvulos et debiles esse credunt; se autem magnos, fortes atque sapientes? Merito igitur dicuntur filii Belial, quia dum superbiendo se extollunt, illi se conformant qui eodem modo cecidisse de coelo dicitur. De quibus etiam regem despicentibus dicitur:

Et non attulerunt ei munera, 10,27.

6528 Si ad litteram ista discutimus, hoc profecto insinuant, quia et terrarum domini, et spirituales sanctae Ecclesiae praelati, exterioribus officiis honorandi sunt. *Rom. 13,7*: Reddite omnibus debita: cui tributum, tibutum; cui vectigal, vectigal. 1 *Petr. 2,13*: Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum; sive regi, tamquam praecellenti, sive ducibus tamquam ad eo missis.

Martiri [della] Legion Tebea.

6529 Spiritualia vero munera rectoribus nostris tribuimus, quando debitam eis honoris reverentiam offerimus, et ea quae praecipiunt cum magna devotione servamus. Magna enim munera sunt reverentia honoris, et humilitas subjectionis: quia dum rectoribnus nostris et intus per humilitatem subdimur, et per exteriora obsequia foris honoris reverentiam exhibemus, munus eis unum praebemus a corpore, aliud a corde.

Non basta il silenzio ossequioso.

6530 Ut ergo superborum typum insinuet propheta, non dicit: Non attulerunt ei munus, sed "munera": quia dum electos praedicatores despiciunt, eis utique honorem a corpore offerre dedignantur, et humilitatem a corde. Sed cum electi praedicatores subditorum culpam agnoscunt, aliquando eam statim corrigere increpando gestiunt, aliquando hanc se nosse dissimulant, ut ad eam delendum congruum tempus quaerant. Unde et de eodem despecto rege protinus subditur: *ille vero dissimulabat se audire, 10,27*.

6531 Subditorum quidem pravitatem audit qui noscit; sed audit et non respondet, imo se audire dissimulat, quia plerumque causa exigente, nota subditorum superbia incorrepta deseritur, ut opportuniori tempore quasi cognita feriatur. Quam profecto ecclesiasticae censurae discretionem bene in hoc ipso Jsraelis rege agnoscimus, si regni tempora et acta diversa videamus. Nam rudis adhuc et noviter ordinatus, dissimulare se audire despicentium verba dicitur; sed confirmato regno super Jsrael, ad dexteram et sinistram pugnare, et quocumque se vertebat superare perhibetur.

6532 Culpa ergo quae feriri digna severitate non potest, dissimulanda, non exponenda est: quia audacius a subjectis delinquitur, si praelatorum infirmatas agnoscatur.

Il disprezzo del diavolo, de' suoi figli, degli eretici, degli increduli, de' Giansenisti, è il sigillo della elezione divina. Occidamus justum, quia contrarius est operibus nostris, *Sap. 2,12*.

6533 MEDITAZIONE 43.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 11,1-3: *Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, et pugnare coepit adversum Jabes Galaad. Direxuntque omnes viri Jades ad Naas: Habeto nos foederatos, et serviemus tibi.*

v. 2: Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum foedus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Jsrael.

v. 3: Et dixerunt ad eum seniores Jabes: Concede nobis semtem dies, ut mittamus nuncios ad universos terminos Jsrael: et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.

6534 Ora su questa lettera edificato il senso etc. diciamo che, avendo considerata la lezione del novello pastore nel decreto divino e nella umana cognizione del supremo pastore, dell'eletto medesimo e del popolo fedele, seguita a vederne ora i principj buoni della sua conversazione. E poiché attestasi in *Giobbe 7,1* che tentatio, ovvero secondo altra lettera, militia est vita hominis super terram, ne segue che ciascun fedele è un soldato, e il pastore dell'anime quasi un capitano.

6535 Non sì presto egli entra in possesso della sua cura, che è invitato dall'ardir nemico a porsi in campo alla difesa comune, per non deporre le armi che al fin di sua vita, succedendosi uno all'altro siccome i nemici così li combattimenti. Vedremo adunque lo stato di questa prima guerra, le misure di savia condotta ch'ei prende per vincere, la fortezza con cui si assicura la vittoria, e finalmente il frutto della vittoria.

6536 Oggi [tratteremo] dello stato di questa prima guerra: primo, nella situazione delle forze d'una parte e dell'altra; secondo, nel progetto degli assalitori; terzo, nella provvida cautela degli assaliti.

[Preludio 2]. Quelli che seguir amano come soldati, ovver officiali le bandiere d'un principe terreno, studiano Senofonte, Polibio, fra [i] Greci; Livio, Sallustio, Curzio fra i Latini; Rollen fra i moderni, per pigliar lume e direzione. Noi studieremo le vostre scritture: lo Spirito vostro ne suggerisca le riflessioni.

6537 Cum sacrae hujus historiae profunditatem asserere in istius operis praefatione voluissem, in eo potissimum videri posse asserui quod scripta fuerit a

prophetis. Ipsi quidem mystica dicere non solum verbis, sed etiam rebus consueverant. Quia enim per eos Spiritus Sanctus loquebatur, et planum erat quod ipsi velut homines dicebant, sed profundum et mysticum; quia locutionem hominibus summus et incircumscriptus Spiritus sufferebat.

6538 Quia ergo prophetam Samuelem loquentem exponimus, tanto majori studio indigemus, quanto ipse in Spiritus Sancti gratia sublimiter assumptus, exteriora dixit, sed interiora vidit; carnalia plerumque asseruit, sed intima et spiritualia signavit. Sed quia humano studio ad divina pervenire impossibile est, non est nobis confidendum de viribus propriis, sed de dignatione Spiritus Sancti, qui a Redemptore missus, Sap. 1,7: replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Quid ergo idem propheta de incoeptis Jsraelitarum gestis exequatur, audiamus.

6539 *1 Reg. 11,1-2*: *Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, et pugnare coepit adversum Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos foederatos, et serviemus tibi.*

v. 2: Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum foedus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Jsrael.

Si historia quaeritur, nihil planius dici, nihil facilius potest intelligi. Si vero spiritum sequi volumus, Paulum prius loquentem audiamus, qui vetera intuens ait, 1 *Cor. 10,11*: Omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem propter nos, in quos fines saeculorum devenerunt.

6540 Esse etiam spiritualia bella insinuat, *Eph. 6,19*: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus spiritualia nequitiae in coelestibus.

Situazione delle forze reciproche. Chi sia il primo nemico che insorge: la gola. La sua forza di condurre schiavi della carne: l'astuzia di coprirsi sotto necessità.

1 Reg. 11,1: Et factum est, quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, et pugnare coepit adversum Jabes Galaad.

[Ita] interiora vitiorum proelia designantur. Quibus nimirum verbis sacrae historiae processus ostenditur, ut novo regi nova bella moverentur, quae dum bene conficeret, strenuitatis suae gloriam demonstraret.

6541 *Naas Ammonites... Jabes Galaad, ibi:* Naas [latine est] Serpens; Jebes: Exsiccata. *Gen. 3,1*: Qui callidior erat cunctis animantibus. Cujus profecto serpentis similitudo, si in vitiis quaeritur, quid similius quam violentum gastrimargiae, idest gulae motum invenimus? Luxuriae quidem motus, furti crimen, turpis lucri appetitus, irae impetus, amaritudo saecularis tristitiae, desidia acediae, appetitus vanae gloriae, tumor superbiae, aperte detestabilis est: gulae vero vitium tanto est

fraudulentius, quanto et occultius; quia et quasi necessarium suggerit cibum corpori, sed dum abundanter carnem reficit, luxuriae gladium in mentem mergit.

6542 Suadet quod peccatum non est, sed unde comestio quasi non peccatum recipitur, inde peccato luxuriae anima subjugatur. Unde et in paradiso, ad mulierem gulae vitio decipiendam, serpens venisse ostenditur, qui aliud suggeret, aliud obtineret; ut dum comedenda ostenderet, improvisam mortem propinaret. Serpens iste [est] gulae aviditas, quia et respectu justae necessitatis repit, et virus impiae delectationis spargit.

6543 Chi sieno i primi assaliti: i più buoni ed astinenti di [tutti].

Ammonites, [latine est] populus moeroris. Moeroris, quia laetum videtur quod suadet, sed valde luctuosum erit in aeterna damnatione.

Populus, quia gulosi quique pro sollicitudine ventris, innumerabilium curarum frequentia deprimuntur.

Ascendit... et pugnare coepit adversum Jabes Galaas, 11,1, [quae latine est] exsiccata [et] Sublimis; quia in alta abstinentiae virtute posita justorum corpora, ad ciborum concupiscentiam praecipitare appetit.

Exsiccata quidem recte caro dicitur, quae humore pinguedinis non gravatur. Ad eos quidem Naas ascendit quos exsiccatos videt, quia illis graviora bella gulae spiritus ingerit, quos attenuatos jejuniis cognoscit.

6544 La loro forza in resistervi.

Et pugnare coepit, quia sancti viri, gulae suggestionem non habent in foedere amicitiae, sed in pugnae contrarietatem. Abstinentes enim quasi cum serpente pugnant, quando gulae appetitum magna virtute deprimunt, ut veneno luxuriae non inficiantur. Pugnare gulae [est] esurientia abstinentium corpora [ad] inordinatam ventris repletionem provocare.

6545 Sed perfectos viros gulae appetitus tentare potest, superare non potest. Pugnare coepit adversus Jabes, exsiccatam, [sed] non vicit; quia electi viri desideriorum carnalium impetum sentiunt, sed ejusdem desideriis sciunt virtute mentis obsistere: sciunt necessaria per discretionem providere; sciunt quidem gulae impetum ferociter insurgentem deprimere: sciunt necessitati corporis alimenta justa praestare. *Philipp. 4,12*: Scio et humiliari, scio et abundare, (ubique et in oimnibus institutus sum) et satiari et esurire: et abundantiam et penuriam pati. [Haec scit] qui et corpus moderate reficit, et ad immoderatam ciborum perceptionem suggerenti gulae vitio non consentit.

6546 Loro sapienza in discernere la giusta moderazione della temperanza.

Quare et ad Naas respondentes dicunt: *Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos foederatos, et serviemus tibi, 1 Reg. 11,1*.

Foedus a gula petunt qui vellent carnem pro voto reficere, si in carne nulla possent incitamenta sentire luxuriae; quasi dicant: Nos dabimus quod tibi justum est:

et tu nobis non inferas quod justum non est. Justum quidem est ut reficiatur corpus; sed iniquum valde est ut refecta caro per ardorem libidinis ad contumeliam spiritus excitetur.

6547 Foedus ergo expetimus, cum sic favere carni ad ciborum perceptionem volumus, ut a carne nulla luxuriae mala sentiamus. Sed hoc profecto velle possumus, obtinere non possumus; quia nimirum nos justam refectionem quasi tributum carni offerimus, sed a carne nobis nulla pacis bona promittuntur. Nam cum auditum mentis ad vitiorum responsa bene dirigimus, hoc profecto in gulae voce cognoscimus; quia si carnem impinguemus, per excrescentem concupiscentiam cordis coecitate percutimur. Quare et idem Naas dicit:

6548 Progetto degli assalitori: Accecare la mente e trascinarla ne' desiderj carnali: renderla confusa in futuro; far arrossire la Chiesa per la loro caduta.

1 Reg. 11,2: *Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum foedus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, et ponam vos opprobrium in universo Jsrael.*

Dexter oculus noster [est] intuitus aeternae claritatis; sinister, concupiscentia carnalis.

6549 Eruam oculos dextros: [Eruuntur] quando mens ea coecitate percutitur, ut ultra ad videnda coelestia non aperiatur. Eruit oculus quando a mente reproba sic lumen evellitur, ut radix ei nulla remaneat de qua redivivum lumen erumpat.

Eruam omnium vestrum oculos dextros, ibi: [Eruit] quando gula sic devictis abstinentibus praevalet, ut carnalia sola cupiant, et ultra quae solebant amare non attendant.

6550 Et quia quisquis in hac vita projicitur, in futura coram Angelis et electis hominibus condemnatur, subjungitur: *ponamque vos opprobrium in universo Jsrael, ibi*.

Tunc quippe reprobi in universo Jsrael opprobrium ponuntur, quando in extremo examine, coram electis omnibus de perpetratis iniquitatibus erubescunt. Vel in opprobrium in hac vita ponuntur, quia dum ipsi obcoecato corde mala audacter perpetrantur, sancti viri pro eorum culpis erubescunt.

6551 Sed qui turpes videri avulsis dextris oculis dedignantur, attendant quod sequitur: *1 Reg. 11,3*: *et dixerunt ad eum seniores Jabes: Concede nobis septem dies, ut mittamus nuncios ad universos terminos Jsrael; et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.*

Seniores habitatores Jabes, exsiccatae, [sunt] qui castigationem extenuatae carnis in longo habent usu virtutis. Nam plerique resistere gulae incipiunt, sed dum fatigari abstinentiae labore inchoant, ad usum se consuetae gulositatis inclinant.

6552 Velut enim urbem Jabes ingredi, et effici ejus cives appetunt; sed dum exsiccatae et esurientis carnis cruciatum non perferunt, fieri ejus habitatores nequa-

quam possunt. Jabes ergo inhabitant qui attenuationem corporis per vigorem mentis in jus habent possessionis; et velut exsiccantae muris ambiuntur, dum per id quod corpus extenuant, ab ignitis luxuriae jaculis proteguntur. Qui cum validissimis insurgentibus gulae stimulis fatigantur, dicunt: Concede nobis septem dies... et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.

6553 Provvida cautela degli assaliti: Burlarsi con pia fraude della astuzia nemica; tener l'astinenza in presente, prometter in futuro il relassamento.

Sed hoc Ammonitarum bellum melius exponimus, si in eo deprehensae carnis infirmitatem intueamur, et sagacitatem eruditae mentis. Hanc quoque clarius videmus, si quod contrarium est in stultis infirmis subtilius attendamus. Nam quidam intra sanctam Ecclesiam, devoti per desiderium sunt, sed consueta vitiorum debilitate remissi.

6554 Possunt quidem bona proponere, sed quia exsequi quod proponunt nequeunt, et a praesenti concupiscentia superantur, et bonum quod in praesenti tempore deserunt, in vicino tempore se recuperare posse confidunt. Saepe quidem jejunare disponunt; sed cum consueta gula vincuntur, eo die manducandum judicant: in futuros jejunandum. Cumque gulae feritas semper eis praesens sit, praesens [sit] et desiderium futurae bonitatis, hoc serpentis fraude agitur, ut bonum quod proponitur non inveniatur. Cras enim quod semper promittitur, numquam reperitur.

6555 Sed quia hoc ab illis agitur quorum mens debilis est, caro fortis, videamus qualiter serpenti illudant illi quorum mens fortis est, caro autem infirma. Nam de eodem serpente *Psalmus 103,27* [dicit]: Draco iste, quem formasti ad illudendum ei. Numquam enim convenientius vincitur, quam cum ejus versutia pia fraude superatur. Unde et sapientiae suae astutiam beato Jobo Redemptor improperans ait, Job. 40,13: In oculis, quasi hamo, capies eum. [Cepit] qui ei carnem exhibuit, divinitatem celavit; et dum cepit ille quod appetit, eo tentus et peremptus est quod non vidit.

6556 Sancti ergo viri, ut hosti illudant, rigorem conversationis in praesenti virtute habent, pro illusione infirmitatis carni commodum quoddam in futuro promittunt. Nam saepe ingentia sunt quae agunt, sed pro infirmitate carnis semper agere dura et aspera promittere non praesumunt. Tanto quidem facilius eadem dura sustinent, quanto eorum onera sibi inesse in perpetua promissione non vident.

S. Francesco [d'] Assisi: Occhi miei, abbiate pazienza!

6557 Sed dum optime vivunt et quotidie proficere et non deficere conantur, illud carnis licitum blandimentum de quo desperare non possunt, semper carni in futura aestimatione promittunt; sed ei caeptae afflictionis dolorem infligere nequaquam desinunt. Per id ergo quod in appetitu suo spes carni relinquitur, quasi ad futurum bonum ejusdem carnis, sui adventus praesentiam spiritus pollicetur.

Sed quia solitum continentiae rigorem deficiendo non deserit, promissum voluptatis caro habet in futuro, et electa mens virtutis robur in praesenti.

Notandum quia ad Naas egredi sub conditione promittunt, sed urbis moenibus sine conditione muniuntur; quia abstinentes, eo etiam quod secundum carnem infirmi sunt, roborari per divinam misericordiam confidunt.

6558 Opporre la luce vigilante di tutte le virtù proprie: allestire soccorsi negli esempi de' Santi.

Et quia gulae vitium decipiendo supplantare se gestiunt, dicunt: *concede nobis septem dies, 1 Reg. 11,3:* quasi enim a gula tempus conceditur, quando eo respectu comprimitur, ut ejus desideriis quandoque serviatur. Quo nimirum dierum spatio, Naas egressum ad se obsessorem civium, cives vero Jabes auxilia praestolantur; quia nimirum gulae appetitus de infirma carne refici appetit, sed electa mens in abstinentiae virtute roborari.

6559 *Septem dies, ut mittamus nuncios ad universos terminos Jsrael, ibi*:

auxilia quaeruntur quando contra tentamentorum tenebras omni luce cordis erigimur: quando adversus prava consilia, quidquid possumus invenimus ratione nostra, et lucis radios, quos in nobis non cernimus, de eruditione munimur aliena. Dum enim ad robur nostrae virtutis perfectorum conversationes aspicimus, quasi per septem dies auxilia defensionis invenimus. Inducias quidem petimus quia cum Naas, idest serpente, pugnamus, cujus quo latentia sunt venena, eo nobis subtiliora sunt quaerenda consilia.

6560 *Ut mittamus nuncios ad universos terminos Jsrael*, *ibi*: Quia electi viri ad aedificationis suae commodum, omnium videntium Deum exemplis adjuvantur.

Et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te, ibidem: in electorum voce, non auxiliorum dubitatio, sed certitudo monstratur. Quasi astutis verbis suadenti adversario illudentes, verba proferunt quibus illi spem tribuant, et sibi fiduciam nequaquam tollant. Qui enim dicunt: Et si non fuerit qui defendat nos egrediemur ad te, quamdam exeundi spem tribuunt; sed quia illi hoc dicunt qui de auxilio certi sunt, hostes suos promittendo decipiunt. Sed ubi jam eadem auxilia inveniantur, exponit.

6561 MEDITAZIONE 44.

1 Reg. 11,4-9: Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis: et locuti sunt verba haec, audiente populo. Et levavit omnis pupulus vocem suam, et flevit.

v. 5: Et ecce Saul veniebat sequens boves de agro, et ait: Quid habet populus quod plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes.

v. 6: Et insiluit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba baec, et iratus est furor ejus

nimis.

v. 7: Et assumens utrumque bovem concidit in fruista, misitque in omnes terminos Jsrael per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus ejus. Invasit ergo timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus.

v. 8: Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Jsrael trecenta millia, virorum autem Juda triginta millia.

v. 9 Et dixerunt nuntiis qui venerant: Sic dicetis viris qui sunt in Jabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol.

6562 Scopo delle presenti nostre meditazioni [è] considerare i principj buoni della conversazione del novello pastore, raffigurato in Saule. E poiché attestasi in *Giobbe, 7,1*, che tentatio, ovvero secondo altra lettera, militia est vita hominis super terram, ne segue che ciascun fedele è un soldato, e il pastore dell'anima quasi un capitano. Non sì presto egli entra a possesso...

6563 [SOSTITUZIONE DEL NUMERO PRECEDENTE]:

Abbiamo meditato l'ultima volta lo stato di quella prima guerra spirituale, che impegna ed esercita lo zelo e il valore d'un novello pastore e duce di anime a difesa propria non meno che de' suoi sudditi.

- Primo, nella situazione delle forze reciproche. Il primo nemico ad uscir in campo è la gola. La sua forza è di atterrar l'uomo, assoggettandolo a' vizi carnali. Cresce la forza coll'astuzia, coprendosi sotto necessità. I primi aggrediti sono i virtuosi astinenti; la loro fortezza sta nel restistere alla tentazione. Oppongono alla astuzia, la sapienza di discernere i giusti confini della necessità.

6564 - Secondo, nel progetto degli assalitori. Tende la gola ad accecar l'uomo nello spirito, a gittarlo nei desiderj terreni, a renderlo confuso in futuro innanzi al cielo, e in presente in faccia alla Chiesa.

- Terzo, nella provvida cautela degli assaliti, eludendo gli attacchi del vizio con pie fraudi e statagemmi; ritenendo l'astinenza in presente, e promettendo in futuro alla carne il rilassamento; procacciando conforti a sé ed ajuti, negli esempi de' servi di Dio presenti e passati.

6565 Oggi son da vedere le savie misure che prende il buon pastore, o duce zelante dell'anime per ottenere vittoria. Primo, i fonti donde ei le attinge; secondo, le misure stesse ch'ei assume. [Considereremo dunque] le misure ch'ei si prende per vincere, i fonti donde ei attigne, le misure stesse.

I fonti [sono]: La compassione, la carità, lo Spirito.

6566 Justum deduxit Dominus per vias rectas, *Sap. 10,10*. Guidateci, [Signore], per le vie rette della verità e giustizia, lontani dalla via de' peccatori. Beatus vir qui non abiit... sed in lege Domini voluntas ejus, *Ps. 1,1 sq.* Et ostendit illi regnum Dei, *Sap. 10,10.* Il regno della vostra grazia e della vostra Chiesa. Dedit illi

scientiam sanctorum, *Sap. 10,10*.

6567 *1 Reg. 11,4*: *Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis, et locuti sunt verba haec audiente populo: et levavit omnis populus vocem suam, et flevit. v. 5: Et ecce Saul veniebat sequens boves de agro, et ait: Quid habet populus quod plorat?*

6568 Gabaa [latine est] Sublimis. Et quia omnium electorum non est aequalis altitudo meritorum, [additur]:

Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis, ut spirituali significatione doceamur ut cum validis tentamentis impellimur, ad praedicatorum nostrorum consilia recurramus.

6569 *Et levavit omnis populus vocem suam et flevit, 11,4:* Flentis populi afflictione instruimur, ut fraternis necessitatibus intima mentis compassione jungamur.

Et ecce Saul veniebat, sequens boves de agro, et ait: Quid habet populus quod plorat? 11,5.

6570 [La] compassione fa che [il pastore] esca dalla contemplazione a prender misure. Orazione molto secreta, preceduta da validi affetti di carità forte verso Dio, e quindi ordinata verso il prossimo.

Saul flentem populum vidit, et ait: Quid habet populus quod plorat? ibi.

Ob quam causam fleret interrogavit, quia electus doctor, subditorum necessitatem compatiendo suam facit, et hanc relevare appetit.

Veniebat... de agro, ibi: Quia a secreto sui fertilis cordis exit.

6571 Sequens boves: Quia eum validi caritatis affectus antecedunt. Quasi enim duos boves ante se habet, qui et proximis per amorem jungitur, et divina caritate inflammatur, et inde proximum ordinate diligit, quia hunc amor Dei fortiter accendit. Quare et per Moysen Dominus dicit, *Deut. 22,10*: Non arabis in bove simul et asino. Asinus [est] amor carnalis; quia qui portat quos amat, quasi forte est animal; et quia inordinate idem non pro Deo diligit: [est enim animal] lascivum. Non arabis in bove simul et asino, quia fructu aeternae mercedis anima non excolitur si puritas amoris quo Deo conjungitur inordinato proximi amore polluitur.

6572 *Saul veniebat sequens boves de agro, 1 Reg. 11,5*: Quia electus doctor utrumque affectum caritatis in frugifero corde integrum retinet, et quibus praeparare sibi aeternae retributionis uberes fructus potest.

Lume di Dio [necessitano] le virtù tutte assai chiare.

Et ecce Saul veniebat, ibi, in die: In splendore veri luminis, subditorum causas inquirit. Cum ad subditos exit, diem suae virtutis aperit.

6573 *Sed jam cognitis necessitatibus populi, quid egerit audiamus, ibidem:*

Et narraverunt ei verba virorum Jabes. v. 6: Et insiluit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba haec, et iratus est furor ejus nimis. v. 7: Et assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Jsrael per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet

bobus ejus.

Quid in his verbis discimus, nisi quia sanctorum infirma, et quae videntur carnalia, non sunt infirma et carnalia, sed spiritualia et robusta?

6574 *Iratus est furor ejus nimis, 11,6*: Irae nimietatem in religiosis viris reprehendere solemus; sed ecce Saul ut irasci nimis potuerit, prius in eum Spiritus Domini insiliit.

Et insilivit Spiritus Domini in Saul cum audisset verba haec, et iratus est furor ejus nimis, ibi: Spiritus fortitudinis, in cogendo exercitu; Spiritus consilii, in dirigenda acie.

Quam metuenda sit ergo sanctorum ira cernimus, si dum illos foris irascentes aspicimus, commoventem spiritum intus pariter attendamus. Quoties ergo majorum zelo corrigimur, sub eorum indignatione vehementer possumus pavere, si eorum impetum motum Sancti Spiritus credimus.

6575 Fonti donde attigne le misure: Orazione secreta - compassione - carità molto forte verso Dio e ordinata col prossimo - lume di Dio - splendore di virtù - Spirito di Dio - zelo.

Questi pacifici irascuntur nimis, quando acti a Spiritu, cum sint filii Dei, irascuntur nimis per zelum salutis animarum. Ita iratus est nimis S. Dominicus contra Albigenses; ita S. Franciscus, contra vitia saeculi; ita S. Cajetanus, contra blasphemias Lutheri; ita S. Ignatius Loyola, contra vitia simul et infidelitatem; ita demum S. Phlippus Nerius, contra scandala juventuti objecta. Cogebat Franciscus praedicando necessitatem poenitentiae: unde tot eum sequebantur. Cogebat Ignatius Xaverium proponens: Quid prodest homini... *Matth. 16,26*.

6576 Umiltà di spirito. Prima misura: Adunare, riunire sotto un medesimo Spirito operarj. Virtus unita fortior. Finché staremo isolati, e ciascun quaerit quae sua sunt, *Philipp. 2,21*, non faremo niente: saremo vinti uno per uno. Quando si uniremo cercando quae sunt Jesu Christi, *ibi*, allora faremo tutto: vinceremo ogni cosa. Per questo nostro Signore diceva, *Io. 17,11 et 21*: Rogo, Pater, ut sint unum mecum. La falange macedone [fu] vinta solo da Paolo Emilio per gl'intervalli. Non bisogna "trovare": bisogna "farsi" [i] compagni del proprio zelo, e rapirli dietro a sé, anche i più timidi. Qui audit, dicat: Veni, *Apoc. 22,17*. Ciro sotto Cambise, che pose un collegio o seminario di soldati.

6577 *1 Reg. 11,7*: Et assumens utrumque bovem concidit in frusta, misitque in omnes terminos Jsrael per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus ejus.

Pigriores quique ad auxilia praebenda proximis, non solum invitandi, sed cogendi sunt.

Invasit ergo timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus, *ibi*: Quia enim proximos sicut nos ipsos diligere jubemur, recto ordine eis auxilia

praebemus, quando ad haec exhibenda non timore cogimur, sed amore provocamur; cum vero nos effectum hujus debiti amoris perdimus, ad praedicatorum nostrorum zelum pertinet, ut in fratrum auxilium ex timore consurgamus.

6578 [Il] timor di Dio [è] buono: Initium sapientiae timor Domini, *Ps. 110,10.*

Invasit timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus,*1 Reg.11,7:*

Quia plerumque sumus in amore proximorum temidi, sed praedicatorum nostrorum minis erigimur ad statum devotionis, et ex timore bonum opus aggredimur; sed ex initio timoris, ad vinculum perducimur magnae caritatis.

Invasit... timor... populum... egressi... quasi vir unus, *ibi*:

Quasi vir unus plures non possunt egredi, nisi qui ad parem conscendunt unitatem dilectionis; hinc namque de perfectis discipulis Redemptoris dicitur, Act. 4,32: Erat illis cor unum et anima una.

6579 Prima misura, adunare. Cogunt initio timore, [et ita] perducunt ad unitatem dilectionis. Questa è la maniera de' Santi antichi e de' Santi Padri: Poenitentiam agite: appropinquavit... *Matth. 3,2*. Il timore è l'ago; il refe è l'amore: così insegna S. Agostino. I Santi moderni hanno imparata la via di far passare il refe senza l'ago, e predicano prima l'amor puro, cioè la loro superbia; e, mentre affettano d'essere Serafini, sono tanti diavoli.

6580 Opere da santo: fede da cattolico. Non est cor unum et anima una, *Act. 4,32*, ove Pietro definisce una cosa ed essi ne predicano un'altra. Ma adesso la sede di Pietro è caduta in eresia: la Chiesa a lei aderente è oscurata! Essi soli sono infallibili, essi soli ci veggon chiaro! Simili a quei che sognano di notte, mentre altri desti camminano alla luce delle stelle, (i Santi) [e] della luna (la Chiesa Romana), essi credono di goder la chiara luce del sole, e son in caligine, non solo ma nel sonno sepolti del peccato, e nell'ombra siedono della morte eterna: Illuminare his qui in tenebris ambulant, et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, *Luc. 1,79*. Perché come un che sogna dormendo, ci danno a pugni e calci, credendo nemici o ladri i fratelli e la madre.

6581*1 Reg. 11,8*: Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Jsrael trecenta millia, virorum autem Juda triginta millia.

Egressi sunt... et recensuit eos [scilicet] filios Jsrael, Saul: quia electus praedicator cum contra occultos hostes movere subjectorum suorum militiam tentant, prius eorum forte propositum aspicit; deinde eos in numero bellatorum ponit.

6582 Quasi enim intus sumus et recenseri non possumus, quamdiu virtus nostrae mentis nostris pastoribus occultatur; et cum egredimur recensemur, quia cum mentium nostrarum eis fortitudinem pandimus, nos jam habere socios in spirituali pugna confidunt. Sed cum infirmas mentes ad propositum boni operis

erigere appetunt, non solum majorum doctrinis nos erudire conantur, sed etiam minorum electorum exemplis accendere.

6583 Seconda [misura]: Esaminare il proposito e la vocazione, come per grazia di Dio si fa con voi. Non bisogna pigliar tutto; sebben si chiamin tutti e sebben si costringano col timore, non si mandano che gli amanti di Dio, ma quelli che si dispongon soli e del prossimo e i più forti, esplorandone le virtù. Questi soli si piglian compagni.

Recensuit eos, fueruntque filiorum Jsrael trecenta millia; virorum autem Juda, triginta millia, *1 Reg. 11,8.*

6584 Tricenarius numerus ad rectitudinem fidei et studium pertinet bonae operationis; quia nulla sunt praecepta legis, si ad contemplationem non tendunt summae Trinitatis.

Virorum autem Juda triginta millia, *ibi:* Quia confessionem habent rectae fidei et robur bonae operationis. Patres autem nostri, ejusdem fidei atque operationis fuere, sed in contemplatione divinitatis quo longe altius quam nos profecerant, eo et opera fidei fortiora exhibebant.

6585 Separa e distingue quasi nel suo esercito una divisione di operari perfetti nella confessione della vera fede e nell'esercizio di tutte le virtù: [una] divisione di operarj eroici, imitatori della vita apostolica, onde con questo esercito di esempj riunito, passare al soccorso de' prossimi e debellare i demonj.

Fueruntque filiorum Jsrael trecenta millia, *ibi*.

6586 Trenta [è uguale a] 3 via 10. In tricenario numero, tam denarius quam ternarius simplex est; sed ut usque ad trecentos numeremus, denarius tricesies (dieci per trenta), tricenarium decies multiplicamus: (30 per 10). Quia et si magna est contemplatio, magna sunt opera subjectae plebis, illa tamen quae precesserunt in patribus nostris, incomparabilia fuerunt. Velut enim denarius noster numerus, in illorum perfectione glomeratur, dum eorum perfectioni valde nostra submittuntur.

6587 Triginta millia virorum Juda [et] trecenta millia filiorum Jsrael nobiscum recensita, ad pugnandum contra Naas praedicatores dicuntur, si cum adjuvare tentatos abstinentes subditos volunt, et fortissimorum patrum eis eximia facta proponunt, et minorum.

Jsrael [latine est] Videns Deum, [vel] In quo est Deus, [vel] Praevalens Deo. Quod profecto nomen infirmo adhuc aut imperito non convenit. Quotquot perfectos viros in afflictione carnis et contemplatione mentis proferimus, serpentem Naas tot armatis elidimus.

6588 Parlano tutti con una voce sola e l'esercito e il capitano, avendo un cuor solo e uno spirito. Ridurli alle stesse intenzioni e fini, non solo generali ma particolari.

Sed jam obsessos quibus verbis regis exercitus confortet, audiamus:

1 Reg. 11,9: Et dixerunt nuntiis qui venerant: Sic dicetis viris qui sunt in Jabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol.

6589 Tale fortasse est illud quod nobis sapientis consilio dicitur, Eccle. 10,4: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Locus uniuscujusque electi [est] situs bonae conversationis. Quando autem permittitur, impugnans Spiritus, spiritus potestatem habet; quia impugnare electorum corda nullatenus posset, nisi hoc dispositio divina permitteret. Praecipit ergo: Locum tuum ne dimiseris: quia si inter tentationum breves tenebras fortes sumus, cito divina lux aderit, in cujus adventu tenebrarum virtus evanescit.

6590 Mandare e spargere ovunque la luce della predicazione. Aduna pertanto compagni per due fini: per raccogliere insieme e riunire la luce di molti esempi, [e] per diffondere ovunque la luce della predicazione.

Cras erit vobis salut, cum caluerit sol, 1 Reg. 11,9.

Sanctorum praedicatorum exhortatio dies [est]; quia dum tentata minorum corda tangit, ad spem victoriae eritit. Sed hanc nox sequitur, quia etsi divina auxilia sperantur, adhuc tamen irruentes desideriorum carnalium tenebrae non discedunt.

6591 Quis ergo crastinus dies (cras), nisi divinae visitationis adventus? Quia tentatis electis divini auxilii splendor valde vicinus est. *Jer. 23,23*: Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe. *Ps. 144,18*: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate. *Jsai. 58,9*: Tunc invocabis et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum. Dies ergo primus [est] lux praedicationis; crastinus, divinae gratiae.

6592 *Cum incaluerit sol, 1 Reg. 11,9*: [dicitur], ut diei claritas obscuritatem sensum illuminet, et calor solis accendat amorem cordis; ut mens bonum quod cupiat per lucem videat, et quod videt per calorem mentis concupiscat. Geminum quippe hoc mentis remedium contra duplex diaboli bellum exhibetur; nam malignus spiritus ut mentes electorum tentando superet, prius tenebras cogitationum malarum objicit, deinde concupiscentiarum flammas accendit; quia nisi prius mentem caecaverit, ad pravitatem concupiscentiae non impellit.

6593 Electa vero mens, dum tentari permittitur, ejus status in utroque turbatur, quia in tantum concupiscentiarum molestias sentire potest, in quantum, permittente Deo, cogitationum tenebras abjicere a se non potest. Sed quia a Deo tentari permittitur, in adventu ejus gratiae, ab utroque malo relevatur; dum contra tenebras lucem accipit, et per calorem advenientis spiritus abjicit frigus mentis. Incipit enim videre coelestia, qui levare mentem a carnalibus non valebat; et quae amanter aspexit, ardenter cupit.

6594 *Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol, 11,9*: Quia si validas antiqui hostis impugnationes viriliter ferimus, divinae gratiae celeritate sublevamur ad lucem cordis, et virtutem magnae caritatis.

[COLLOQUIO]: Doce manus meas ad proelium, et digitos meos ad bellum, *Ps. 143,1*. Fate, [Signore], che noi si coltiviamo ed educhiamo così in questo pacifico quartiere, che sotto la scorta di zelanti duci e pastori, possiamo noi pure uscire a gloriose imprese.

6595 ## MEDITAZIONE 45.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 11,9-15:... *Venerunt ergo nuncii, et annutiaverunt viris Japes, qui laetati sunt.*

v. 10: Et dixerunt: Mane exibimus ad vos, et facietis nobis omne quod placuerit vobis.

v. 11: Et factum est cum dies crastinus venisset, et constituit Saul populum in tres partes, et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter.

v. 12 Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros et interficiemus eos.

v. 13: Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Jsrael.

v. 14: Dixit autem Samuel ad populum: Venite et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum.

v. 15: Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et laetatus est ibi Saul, et cuncti viri Jsrael nimis.

6596 Ora su questa lettera edificato etc. diciamo [che] dopo aver rilevato lo stato della prima guerra, e le misure che prende il saggio duce per vincere, seguita a vedere la fortezza con che, eseguendole, partorisce la vittoria, [e] il frutto di questa vittoria.

Tutta la Chiesa militante si rallegra qualora vegga riuniti sotto un solo spirito, e diretti da un qualche eletto pastore e condottiere, operarj e ministri di tanta perfezione, perché vede un nuovo sussidio contra i vizj e gli errori.

6597 Prima parte: Della fortezza nell'aggredire.

Fiducia nella grazia e nella propria cooperazione per la grazia. Senza questa la speranza è presunzione: senza quella la fiducia è superbia. È di tanta fiducia che la comunica agli altri.

1 Reg. 11,9: Venerunt ergo nuncii et annuntiaverunt viris Jabes, qui laetati sunt: quia hoc sanctorum praedicatorum consilium electa subditorum corda gratanter excipiunt. *v. 10: Et dixerunt: Mane exhibimus ad vos, et facietis nobis omne quod placuerit vobis.*

6598 Etiam promisso sibi auxilio haec Ammonitis respondent. Hoc profecto quia illi dicunt qui jam de vicino auxilio securi sunt, quamdam spem hostibus tribuunt, quos promittendo illudunt. Voce quidem debilitatem simulant, sed fortitudinem promissi auxilii intus servant. Aliud ergo promittunt, aliud credunt.

Magnanimitas: Mane exibimus ad vos.

6599 Securitas: Et facietis nobis omne quod placuerit vobis.

Et dixerunt: Mane exibimus ad vos, et facietis nobis omne quod placuerit vobis, 1 Reg. 11,10.

Hoc dabant hostibus credere quod sic in eorum manibus traderent, ut facere de eis possent quaecumque voluissent. Sed qui in diem sequentem venturum regem in suum auxilium noverant, exire cum eo non ad hostium manus, sed ad interfectionem cogitabant.

6600 Secundum spiritualem vero sensum, serpenti Naas, idest gulae concupiscentiae in suo nostrum exitum promittimus, sed nos in die nostro ejus acies debellamus. Dies ejus [est] delectatio corporeae saturitatis. Qui enim proponit ventrem pro voto replere, quasi diem primum concupiscentiae dedicat; et tamen adhuc intus est, quia quandam lucem delectationis proposuit quam operando non vidit. Cras ergo exiit, qui hoc laetum quod carni promisit, et operando et delectando exhibuit.

6601 Sed santi viri, ut superius dixi, gulae illudunt, quia cum ab ejus appetitu desperare in perpetuum nequeunt, illud quod promittunt et non sumunt, quasi in futura luce delectationis repromittunt. Coacti quidem sunt foris nimia fragilitate carnis, et intus induti robore magnae caritatis. Per illud quidem qui appetitibus renuntiare nequeunt, quasi experiori voce promittunt quod in intentione non habent; per illud vero quia de divino securi sunt auxilio, aliud proponunt agere quam loquuntur infirmitatis voce. In die igitur suo ad Naas exeunt, quia ad oppugnandam gulae concupiscentiam per lucem superni auxilii progrediuntur; et visitati superna gratia jam contra omnem carnis impetum fortes sunt, qui derelicti ad modicum ejus impugnamenta timuere.

6602 Seconda parte della fortezza nell'aggressione: Magnificenza: [la quale è] rerum magnarum et excelsarum, cum animi quadam ampla et splendida propensione, cogitatio atque administratio, idemque executio, Cicerone.

Qui profecto divinae gratiae splendor, quia per ora praedicatorum aliquando minoribus sanctae Ecclesiae membris infunditur, sequitur: *1 Reg. 11,11: Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes; et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalesceret dies.*

6603 *Constituit Saul populum in tres partes, ibi.* Constituit populum in... partes: Ut serpentem Naas non una acie feriamus.

In tres: Ut sacrae abstinentiae fructus et dignitas ostendatur, quia ad eam quam

manducando perdimus, sanctae Trinitatis contemplationem jejunando revocamur. Hinc legis, et prophetiae, et Evangelii jejunia commendantur. *Ex. 34,27*: Moyses ut legem percipere mereretur, bis quadraginta dierum numero jejunavit. *3 Reg. 19,8*: Elias, ut Jezabel manus evad eret, quadraginta diebus in unius cibi fortitudine ad Oreb Dei montem pervenit. *Matth. 4,7*: Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus, per quadraginta dies in eremo jejunans, nullum omnimodo cibum sumsit. Constituit Saul populum in tres partes, quia in exemplum abstinentium, legis et prophetarum et Evangelii jejunia proferuntur.

6604 Andragathema [sive] strenuitas. Cicerone.

Et factum est, cum dies crastinus venisset... ingressus est media castra, 1 Reg. 11,11.

[Ingreditur] doctor: Quia cum divina gratia, quae ad docendum corda praedicatorum illuminat, auditorum etiam mentes irradiat, et ad spem victoriae potenter levat.

Cum dies crastinus venisset... ingressus est... media castra, doctor triumphaturus, et aperit, in eisque concupiscentiarum acies potenter ferit.

6605 Constantia. Et quia ipsorum subditorum mentes audiendo proficiunt, [sequitur]: *Et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalesceret dies. ibi.*

Vigilia matutina in Dei aspiratione, est fervor solis in ejus plenitudine; velut enim matutina nobis lux oritur, quando tenebris tentationum depressi, lucem virtutis ab ore praedicatorum videre incipimus.

6606 Incalescit dies quam sequamur, cum per eorum verba mens nostra succendutur, et quasi ferventis solis calore decocta desideriis inflammatur. Tunc quidem vehementer percussit Ammon quia vitiorum populus de nostris sensibus effugatur. Rector igitur qui in vigilia matutina Ammonitarum castra ingreditur, ab interfectione gladium non recondat usque dum incalescat dies; quia tamdiu debet subditorum suorum eruditioni insistere, quamdiu illos aspiciat magnis internis caloribus inflammari.

6607 Frutto della vittoria.

Estingue gli stimoli della libidine e [i] moti osceni del corpo, violenti per la libidine. Notandum quia Naas, [sive] serpens, Ammonitarum rex dicitur. Ammon [est] populus moeroris; et quia serpens [est] gulae vitium, cum Naas percutitur, moeroris populus debellatur.

6608 Percussit Ammon, quia ex uno gulae vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum animae producuntur; et cum idem gulae vitium reciditur, alia multa nobis vitia subjugamus. Unum quidem gulae vitium est, sed aculei libidinis innumeri sunt, qui praecedentem illum quasi regem sequuntur; qui laeta quidem suggerunt, sed ad aeterni fletus lamenta perducunt. Cum Naas ergo pugnatur, sed

moeroris populus caeditur, quia cum gulam domamus, libidinum incitamenta perimuntur.

6609 Unde bene non ipse Naas, sed Ammon subjectus sibi, idest populus interfectus asseritur; quia appetitus comestionis restringendus, non

extinguendus est. Sed bene nunquam restringitur, si subsequens moeroris populus, idest turpes motus libidinum, non necantur. Contra Naas ergo nobis principale certamen est; quia cum iste superatur, Ammon interficitur; quia libido tunc bene caeditur si ejus principale initium subjugatur.

6610 Profitto nella pudicizia.

Sed profectus pudicitiae quousque procedat latenter ostenditur per ea quae subsequuntur:... *reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter, 1 Reg. 11,11.*

Probatio verae abstinentiae non est in attenuatione corporis, sed in perfectione castitatis; nam bene serpens atteritur si sic gula restringitur, ut libidinosi motus corporis omnis violentia minuatur.

6611 Nam motus illicitus carnis, quamdiu ipsa caro est, tolli non potest: violentia movendi tolli potest. Non quidem tolli potest carni, quod lex carnis membra non moveat; sed tamen tolli potest carnis violentia motionis, ut relinquatur ei motus, sed eidem motui omnis delectationis obscaenitas auferatur, et simplex motus ille sit in quo reliqua libidinis turpitudo non sit.

6612 Moti naturali [messi] in fuga: [resi] semplici, debilitati.

Reliqui autem dispersi sunt, ibi, in fugam: Quia cum abstinentes quosque divina gratia perfecte remunerat, a corporalibus eorum motibus omnium obscaenitatum aculeos tollit; sed eis ipsos motus naturales deserit, ut tentari semper possint, vinci nunquam possint; dum id deserit quod eis valde displicet, sed sic debilitat quod deserit, ut praevalere victoribus non permittat.

6613 Ammonitas quippe percusserat qui dicebat, *1 Cor. 9,27*: Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim ipse reprobus efficiar. Interfectis etiam aliis, fugitivos interficere non poterat, *Rom. 7,23*: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae. Item quia debilitatos videbat qui remanserant, *ibidem* 8,39: Neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.

6614 Quid est ergo quod deplorat legem inesse membris, legi mentis repugnantem, si extinctis aliis, alii in fugam versi sunt, nisi quia perfecti viri hoc ipsum quod simplices motus carnis contra voluntatem sustinent, vehementer dolent? Vellent quippe sic manere in carne, ut contra mentis voluntatem de carne nulla sustinerent; quod quidem quia impossibile est, praemisit, *ibidem 7,18*: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. *v. 19*: Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.

6615 Quasi dicat: Vellem esse in carne, non ea perfectione qua perfectus in carne perfectus est, sed sicut Angeli Dei in coelo; sed hoc perficere non invenio, quia quamdiu mors peccati absorpta in futura resurrectione non fuerit, quod in me peccatum inhabitat movet me contra me. Sed quod extingui peccatum non potest, effugari potest. Motus quippe carnis quasi in fuga vertitur, dum ipsa bene jejunando castigatur. Tanto enim rarius ac difficilius se contra spiritum erigit, quanto sibi eam praesidens spiritus per extenuationem subdit, cum sic eam domat ut tarde superbiat, cito conquiescat.

6616 I moti naturali del corpo [e] i pensieri della mente non possono più unitamente combattere.

Sed subtiliter intuendum [est quod sequitur]: *Ita ut non relinquerentur in eis duo pariter, 1 Reg. 11,11.*

Duo quidem remanent, sed pariter non remanent. Duo [sunt] cogitatio immunda [et] naturalis motus carnis. Ad sanctorum quidem conflictum aliquando immunda cogitatio praevenit, aliquando insurgentem sibi sentiunt legem carnis contra legem mentis. Sed qui victores jam sunt, hostes in fugam versos non timent, si iterum ad pugnam redeunt, quia cum eis pariter pugnare non possunt. Nam cum prava cogitatio obviat, prius eam abjiciunt quam de ejus suggestione caro moveatur. Et cum carnis lex membra commovet, lex mentis turpem motum turpia cogitando nequaquam fovet; et dum alterum abjicit, alterius pugnam nequaquam sentit.

6617 Bene ergo de electorum perfecta victoria dicitur: *reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter, 1 Reg. 11,11*: Quia per macerationem corporis in tantum proficiunt culmen perfectionis, ut ab eis quidquid a carne quidquids a mente ingeritur leviter superetur, dum convenire in pugnam non sinitur. Et haec quidem victoria de omnibus sensibus corporis electi percipiunt, qui obsidentem Naas sibi subjicere per abstinentiae virtutem possunt. Nam refecta caro et impinguata, ad lapsum linguae, oculorum, auditus, olfactus et tactus facilis est.

6618 Moti illeciti de' sensi estinti, o indeboliti, e staccati da' pensieri.

Dum ergo illiciti corporalium sensuum motus, a gulae vitio ad mentis pugnam deducuntur, quasi Ammon populus Naas regem ad Jsraelitarum obsidionem comitatur; Sed dum Naas perfecte vincitur, Ammon et extinguitur ex parte, et ex parte sic in fugam vertitur, ut ex eo duo pariter non inveniantur; quia dum per abstinentiam corpus atterimus, innumeros nostrorum sensuum illicitos motus enervam;us; et quos omnino eradicare non possumus, quasi debiles effugamus.

6619 Ex quibus duo pariter nobis in pugnam non remanent, quia in oblectatione alicujus sensus corporei non conjungimus sensum mentis. Nam saepe oculis aspicimus, saepe audimus auribus, saepe tactu, saepe olfactu percipimus quae carnalem animum trahere ad illicitum amorem possunt; sed nostram perfecte

carnem macerando victores sumus, quia duos pariter de victis adversariis non videmus. Concupiscenda quidem tunc cernimus, sed oculorum motibus appetitum animae conjungere devitamus. Saepe etiam cordi cogitatio illicita obviat; sed victor serpentis fugitivum motum suum quem attendit, solum invenit. Ad ea enim quae corde accidenter cogitat, aliquem de sensibus corporis per motum illicitum nequaquam levat.

6620 Tales quippe sunt quos propheta miratur, *Isai. 60,8*: Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi comumbae ad fenestras suas? Quasi comumbae ad fenestras suas [volant] qui concupiscenda recipiunt, sed simplicitatem mundi cordis concupiscendo non perdunt, quia vident quae appetant, sed illicite appetere quod cernunt vitant. Ad hanc profecto victoriam quia praedicatorum nostrorum exhortatione proficimus, bene per Saul Ammonitarum populus devictus et caesus esse perhibetur.

6621 Quorum profecto bella non uniformia, sed diversa sunt; nam aliquando occultos adversarios potenter opprimunt, aliquando falsos fratres sapienter ferunt; illos intus magna virtute domant, istos foris mira patientia tolerant. Intus per immensa certamina magnorum triumphorum gloria insignes sunt, sed foris incomparabilibus tantae mansuetudinis suae titulis adornantur.

6622 Frutto della vittoria interna: frutto della vittoria esterna.

Qui ergo internae victoriae narrationem cognovimus, qualiter etiam foris vincant, audiamus: *1 Reg. 11,12: Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste qui dixit: Saul non regnabit super nos? Date viros et interficiemus eos. v. 13: Et ait Saul: Non occidetur quisque in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Jsrael.*

6623 *Ad Samuelem quippe Dominus superius dixerat, supra 8,7*: Non enim te abjecerunt sed me, ne regnem super eos; de Saul autem paulo ante dictum est, supra *10,27*: Et despexerunt eum, et non attulerunt ei munera. Sed ille abjectus, iste despectus, caesis jam hostibus consecuta victoria, vociferantem populum audivit: Date viros et inferficiemus eis, *11,12*. Posset quidem uterque non interficiendo sed consentiendo de inimicis vindicari; sed etiam qui abjectus fuerat propheta loquitur, rex despectus favet dicenti: Non occidetur quisquam, *11,13*: quia sancti praedicatores nostri majori victoria coronantur cum adversa proximorum tolerant, quam cum foris hostes expugnant.

6624 Mansuetudine e patientia fortitudine praestantior.

Unde et vera sapientia in Salomone loquitur, *Prov. 16,32*: Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.

Notandum [quod dicitur]: *In die hac, 11,13*. In die quidem victoriae suae occidere appetit, qui eos quos claritate virtutum ad amorem Dei pertrahit, ad nocendum aliis accendit; vel in die victoriae occidit, quia ea luce claritatis qua in venerationem praedicatoris adducitur, ad odia eidem doctori detrahentium

excitatur.

6625 *1 Jo. 3,15*: Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Quia enim de doctrina boni pastoris sic adjuvandi sunt boni, ut tolerentur mali, causa qua nemo occidendus sit bene subjungitur: *1 Reg. 11,13: Quia hodie fecit Dominus salutem in Jsrael. v. 14: Dixit autem Samuel ad populum: Venite, et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. v. 15: Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino.*

6626 Si ergo omnis eo modo quo superius in ordinando rege fiunt, ad sanctae Ecclesiae morem deducimus, magna subtilitate ejus rectores ordinantur. Prius quippe prophetae rex eligendus ostenditur; dein quaesitus quasi incognitus, post etiam sorte inventus, domi absconditus, revelatus a Domino, a populo sublatus et in regiam dignitatem ab omnibus receptus est. Quid est ergo quod adhuc [dicitur]:

Venite, et eamus in Galgala, ut innovemus illic regnum?

6627 Sed magna discretione rex quaeritur et invenitur, quia altissima sunt Ecclesiarum negotia, quae si infirmi et imperiti suscipiunt, ipsa rerum magnitudine deprimuntur. Attende ergo et subtilissima investigatione perquiritur, qui tanto culmini praeferatur. Qui profecto valde praedicandus est non cum quaerentium judicio constituitur, sed quando in ipsa dispositione summi ministerii strenuus invenitur.

6628 Riconosciuto e onorato per vero pastore, non di ordine solo ma di merito.

Bene ergo, jam triumphante constituto rege dicitur: *1 Reg. 11,15: Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino;* quia cum praedicatoris fortitudo cognoscitur, in auditorum suorum mentibus honoratur.

Perrexit populus in Galgalam [sive] rotam, quando per sacrum eloquium doctoris nostri operationem discutimus; et tum illic: Et fecerunt ibi regem Saul coram Domino: quia quem probabilem cernimus, dignum esse tanto culmine judicamus.

6629 Prius ergo dicitur Saul a populo electus, ad extremum rex in Galgala constitutus coram Domino: quia licet multa consilii gravitate in sancta Ecclesia pastor eligatur, utrum sit merito quod est ordine non cognoscitur, nisi cum operum fortitudine declaratur. Dicatur ergo non de alio, sed de eo qui magna victoria claruit:

Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino, *11,15*, ut dignitas summi pontificis non constet in ambitione culminis, sed in summa virtutis.

6630 Et perrexit omnis populus in Galgala: ut judicare de summo loco non audeat, cui Scripturae sacrae abscondita sunt praecepta.

Et fecerunt ibi regem Saul coram Domino: quia tunc doctor subjectorum suorum devotione colitur, cum ipsi acceptam ejus vitam omnipotenti Domino

recognoscunt. De ipsa autem cognitione vitae et doctrinae pastoris suis, quia saepe non sibi sed melioribus creditur, bene dicitur: *Et perrexit populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino.*

1 Reg. 11,15: sed idem populus in Galgala monente Samuele perrexit.

6631 *Dixit autem Samuel ad populum: Venite, eamus in Galgala, et innovemus illic regnum, 1 Reg. 11,14.*

Innovemus regnum: quia dum electus praedicator in magna virtute conspicitur, ei nova et recenti devotione auditorum corda submittuntur; unde quasi ostensa regis victoria regnum innovatur, quando cognita magna conversatione doctoris, ipsa subditorum corda splendore novae devotionis accipiunt, et per ejus exemplum ad propositum magnae virtutis excitantur.

6632 Frutto dell'una e dell'altra vittoria: la pace, e il gaudio.

Et immolaverunt victimas pacificas coram Domino, 1 Reg. 11,15. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, *Is. 32,18*.

Pacificas: Pax post remotam turbationem vitiorum, ordine constituto, post fugatos hostes, ordine tranquillo.

Victimas: quia pax per mortificationem.

Immolaverunt victimas pacificas: Immola Deo sacrificium laudis, *Ps. 49,14,* ex omni genere virtutum. *Et laetatus est ibi Saul, et cuncti viri Jsrael nimis, 1 Reg. 11,15*. Fructus autem Spiritus, quo facta carnis mortificamus, sunt pax, gaudium, etc. *Rom. 8,13; Gal. 5,22,* quod communicatur per caritatem a qua promanat.

Nimis: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, *Ps. 45,5*.

6633 MEDITAZIONE 46.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 reg. 12,-3: *Dixit autem Samuel ad universum Jsrael: Ecce audivi vocem vestram juxta omnia quae locuti estis ad me, et constitui super vos regem.*

v. 2: Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui et incanui; porro filii mei vobiscum sunt. Itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce praesto sum.

v. 3: Loquimini de me coram Domino, et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis.

v. 4: Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti; neque tulisti de manu alicujus quippiam.

v. 5: Dixitque ad eos: Testis est Dominus adversum vos, et testis Christus ejus in die hac,

quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: testis

. v. 6: Et ait Samuel ad populum: Dominus qui fecit Moysem, et Aaron, et eduxit patres nostros de terra Aegypti.

v. 7: Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum et cum patribus vestris.

v. 8: Quomodo Jacob ingressus est in Aegyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum: et misit Dominus Moysem et Aaron et eduxit patres vestros de Aegypto, et collocavit eos in loco hoc. Gen. 46,5 sqq.

v. 9: Qui obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisarae magistri militiae Hasor, et in manu Philisthinorum, et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversus eos. Jud. 4,2 sqq.

v. 10: Postea autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt: Peccavimus quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim et Astaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi.

v. 11: Et misit Dominus Jerobaal et Badan; (Sansone [da] Be-Dan = abitante in tan, [oppure] Bentan = figlio di tan) *et Jephte, et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter.* Jud. 6,14.

v. 12: Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in vobis.

v. 13: Nunc ergo praesto est rex vester quem elegistis et petistis: ecce dedit vobis Dominus regem. Eccli. 42,22.

v. 14: Si timueritis Dominum et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini, eritis et vos et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.

v. 15: Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos et super patres vestros.

6634 Ora su questa lettera... diciamo come conosciuti gli effetti della buona conversazione d'un novello pastore nel suo cominciamento o principio, seguita a vederne le cause di questi buoni inizj o principj, che ne faranno poi strada a conoscere le cause dell'esito cattivo della sua conversazione. Le cause si riducono all'adesione o dipendenza dal primo pastore, perché la sua dottrina e condotta [in] rapporto al bene universale, è la norma della rettitudine del buon governo spirituale, e perciò la fonte della comune felicità de' fedeli.

6635 *1 Reg. 12,1*: *Dixit autem Samuel ad universum Jsrael: Ecce audivi vocem vestram juxta omnia quae locuti estis ad me, et constitui super vos regem.*

v. 2: Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui et incanui; porro filii mei vobiscum sunt. Itaque conversatus coram vobis ad adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce praesto sum.

v. 3: Loquimini de me coram Domino et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum; si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem; si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis.

6636 Cum reprobi pastores praesunt, principale eis propositum est in rapina subditorumm; quia enim aeternorum bonorum abundantiam aspicere nesciunt, quo praesentia ardentius concupiscunt, eo avidius oblata recipiunt, non oblata violenter tollunt; innocentibus insidiantur, debiles opprimunt, munera accipiunt, juraque pervertunt. De his pastoribus, per prophetam Dominus Judeae improperat, Soph. 3,3: Principes ejus in medio ejus, quasi leones rugientes: judices ejus lupi vespere, non relinquentes mane.

6637 Spogliano il tempio per dare più al culto interno, e per la conformità colla simplicità de' primi secoli.

Calumniatores innocentium pariter, et oppressores debilium item percutit, dicens, *Mich. 3,5*: Haec dicit Dominus super prophetas qui seducunt populum meum (oh quanti! per dulces sermones et benedictiones, [parlando di] santità, perfezione, amor di Dio, purità di disciplina), qui mordent dentibus suis (l'autorità pontificia), et praedicant pacem: et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum proelium. *v. 6*: Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebrae vobis pro divinatione; et occumbet sol super prophetas, et obtenebrabitur super eos dies.

6638 Non la Chiesa [è] ottenebrata: ma essi [lo] sono.

Nam dum iniquitatem cognoscunt quam faciunt, per audaciam nequissimi operis cadunt in coecitatem cordis, ut per amorem lucem veritatis ultra non videant, per quam a pravitate resipiscant.

Sono dotti più di me assai, più di voi: sanno come si diventa eretico e scismatico.

6639 Item munerum acceptionem reprehendit Jsaias, *Isai. 1,23*: Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.

Non solo [accettano] regali, ma illegittimamente ancora [conferiscono] i benefizj e le cattedre. Gridano e schiamazzano contra il poco, [mentre] si leccan le mani e aspettano il molto, [come] il cane, quando stanno in tavola [aspetta] le ossa.

6640 La bontà degli altri pastori e il riuscimento felice del governo, sta nella conformità della loro vita colla forma di virtù predicata dal sommo pastore.

Sanctus ergo vir, dum innocentiae suae simplicitatem ostendit, qua meritorum altitudine fuerit, sublimis apparuit. Quod quidem virtutis praeconium in eo uno ostenditur, ut omnibus electis doctoribus eadem bonitatis conformitas ostendatur.

6641 Vitae quidem innocentiam pro nobis habemus, sed praelationis culmen pro aliis, non pro nobis ascendimus; per innocentiae bonum ad aeternam patriam tendimus: per altitudinem praelationis in aliorum custodia vigilamus. In illa virtute securi sumus: istam vero celsitudinem cum magno metu possidemus, quia qui nostrorum operum rationem reddere vehementer expavescimus, de eo quod aliis

praesumus, Deo reddere rationem debemus. Si, ergo electi viri, volente Deo, etiam praelationis culmen inviti conscendunt, volente Deo, idem culmen devotionis deserunt.

6642 Partecipano ad altri la loro giurisdizione in quel modo che possono, essendo che il primato giammai lo posson cedere, ch'è d'istituzione divina. Hanno posti i Vicarii apostolici, quindi i Primati, Legati nati. Ma l'ambizione de' Vescovi ha fatto ritornar addietro questa benefica partecipazione. *Thomas l. 1 30,7 - 34 n. 13 v.* Ne tamen - *38, n. 13*.

6643 Sanctus ergo vir dicit: *1 Reg. 12,1: Ecce audivi vocem vestram, juxta omnia quae locuti estis ad me, et constitui super vos regem. v. 2: Et nunc rex vester gràditur ante vos; ego autem senui et incanui: porro filii mei vobiscum sunt.*

Quasi dicat: quia non pro me, sed pro vobis praefui, dignitatem quam tenui libenter alii dedi. In eàdem dignitate jam senui, et tamen longus usus praeminendi quem tenui, obligatum me in sui ambitione non tenuit.

6644 *Filii mei vobiscum sunt, 12,2* quia in sanctis viris magna vis spiritualis amoris est, qua filiis ad culmen nascentibus, jus auferunt successionis.

Innocentia, seu virtutum culmen. Innocens est qui nulli nocet, nec sibi. Luca Olstenio, Assemanno, Giberti.

Sed qui summam ordinis tam quietus dèserit, qualis in eodem culmine mànserit ostendit; quia enim rapinae violentiam non exercuit, dicit:

6645 *1 Reg. 12,3*: *Loquimini de me coram Domino et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum*.

Item quia nulli nocendi occasionem quaesivit: *Si quempiam calumniatus sum, Ibi.*

Item, quia debilibus gravis non fuit: *Si oppressi aliquem, ibi*.

Item, quia de praelatione sua non terrena sed coelestia quaesivit: *Si de manu cujusquam manus accepi: et contemnam illud hodie, restituamque vobis, ibi.*

6646 Quia vero in tanto contemptu rerum ab omnibus notus extiterat, *v. 4: Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam. v. 5: Dixitque ad eos: Testis est Dominus adversum vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis. v. 6: Et ait Samuel ad populum: Dominus qui fecit Moysen et Aaron, et eduxit patres nostros de terra Aegypti.*

6647 Cura de bono nomine, *Eccli. 41,15*.

Notandum quia bona quae fecit vir sanctus non dixit; mala vero quae non fecit exposuit, ut silendo ad aeterna lucra bona servaret, et loquendo odorem bonae opinionis non perderet. Paulus vero loquitur dicens, *2 Cor. 2,15*: Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt. Ipse etiam quosdam redarguens ait, *Rom. 2,24*: Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes.

Hinc item discipulum admonet dicens, *1 Tim. 3,7*: Oportet autem illum (Episcopum) et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidantm, et in laqueum diaboli.

6648 Dum ergo mala se tam caute vitasse asseruit, et ingentia bona quae fecit siluit, aperte vir beatus ostendit in quanto culmine virtutum stetit, dum mala reprobando ad electorum exemplum odorem servavit bonae opinionis, et occultando virtutum opera praemia custodivit aeternae retributionis.

6649 Modestia. Notandum, quia cum Dominus testem suae innocentiae assereret, (Dixitque ad eos: Testis est dominus adversum vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis, *12,5*) ipsum Dominum fecisse Moysen et Aaron dixit:

6650 *Et ait Samuel ad populum: Dominus qui fecit Moysen et Aaron, et deduxit patres nostros de terra Aegypti, 12,6*: quia et virtutis suae culmen ostendit, sed in tanto culmine solus apparere noluit.

Quasi dicat: In tanta animi virtute mirandus non sum, quia in ea solus non sum. Contemptum rerum in munere virtutis habeo, sed hunc in intentione vanae laudis non habeo, in quo valde meliores atque sublimiores cerno.

6651 Dominus qui fecit Moysen et Aaron: Quasi dicat: Quod mala tam fortiter cavere potui, illius debet gratiae adscribi, qui Moysen et Aaron tales fecit.

Sed ad quid sanctus vir ista praemiserit, ostendit: *1 Reg. 12,7: Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini quas fecit vobiscum et cum patribus vestris.*

6652 Ordo summae rationis est ut qui bona agere non curat, mala in aliis nequaquam reprehendat. Sanctus ergo vir, prius mala se vitasse caute asserit, deinde ad reprehensionem aliorum prosiliit, ut electi praedicatoris mores insinuet, qui praedicationis fructum bene ferre non praevalet, nisi cum id quod de aeternitate lucidum praedicat, splendida etiam conversatione demonstrat.

6653 Facere et docere, *Act. 1,1*. Osservar i Canoni, e poi esigerli.

Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino, de Omnibus misericordiis Domini 12,7: State: [stare] auditoribus [est] intentionem mentis ad verbum praedicatoris erigere. State: [Stare] praecipiuntur, quia doctor nihil exhortando proficit si auditor mentem ad ea quae loquitur non intendit.

6654 Easdem misericordias enumerans, ait: *1 Reg. 12,8*: *Quomodo Jacob ingressus est in Aegyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum, et misit Dominus Moysen et Aaron, et eduxit patres vestros de Aegypto, et collocavit eos in loco hoc.*

v. 9: Qui obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisarae magistri militiae Hasor, et in manu Philisthinorum, et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversum eos.

6655 *v. 10: Postea autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt: Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim et Astaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi.*

v. 11: Et misit Dominus Jerobaal, et Badan, (LXX: Barach. Chald.: Jair. Interpretandus [est] Sanson), *et Jephte, et Samuel; et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter.*

6656 Has quidem misericordias factas secundum historiam commemorat, ut in eo quod regem petiit, reum se coram Domino populus agnoscat; nam qui ad omnia pericula submovenda Dominum praesentem habuit, hominem super se regem necessarium non habuit. Ipsam autem praesentiam Domini per impensas misericordias ostendit, dum de manu Aegyptiorum per Moysen et Aaron, et de manu Sisarae et Philisthinorum et de manu regis Moab, per Jerobaal, Barach, et Jephte, et a Samuele eos liberatos asseruit.

6657 Valde notandum [est] cur petitio qua rex petitur tam districte reprehenditur, ut ipsa divinae misericordiae auxilia populo Dei per praelatos homines impensa esse doceantur. Quia valde diversa est praelatio regum a praelatione Judicum. Isti quidem ut pares praesunt, illi vero in potestate praeminendi arrogantiam exhibent dominationis. Isti innocentiae suae testimonium coram Domino et omni populo commendant, quia nec aliquem opprimunt, nec alienum aliquid in suis usibus tollunt; illi vero non solum propria subditis auferunt, sed etiam ipsas subditorum personas onere servitutis premunt.

6658 *1 Reg. 12,12*: *Videntes autem quod Naas, rex filiorum Ammon, venisset adversum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis, cum Dominus Deus vester regnaret in vobis*.

Quasi dicat: Ad hoc vobis hominem elegistis, ad quod Deum habere solebatis.

6659 Pastori carnali, che voglion per ambizione essere indipendenti dal primo pastore. Quem nimirum locum, si spiritualiter discutere volumus, hoc ex eo colligitur, quia qui carnalem sibi praeesse expetunt, divinam gratiam a se repellunt.

6660 Umili. [Quelli] che verso i loro sudditi sono pastori, verso il sommo Pontefice sono pecorelle; e però vivono tra le loro pecorelle come pecorelle del primo pastore, [che] verso i buoni fedeli est servus servorum.

[La] dottrina sana, conforme a quella del primo pastore, toglie i vizj. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, *Matth. 18,20.* Alias est schisma, quod Spiritum Sanctum fugat.

6661 Nam dum humilium doctorum exemplo vivunt, velut ab Aegypto liberantur, quia caliginem mundani amoris toto desiderio fugiunt; quia etiam omnium vitiorum tyrannidem eorum doctrina evadunt, velut de manu Sisarae, Philisthinorum et regis Moab missis ducibus liberantur. In quibus Deus jam solus

omnipotens regnat, quia dum humiles pastores foris imitantur, regnantis inter se divinitatis amorem gratanter excipiunt. Dicat ergo propheta:

Dixisti mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis, cum Dominus Deus vester regnaret in vobis, 12,12: ut ostendat quia qui carnalibus se imitando subjuciunt, divinae gratiae dignitatem perdunt.

6662 Umiltà nel primo pastore, forma di rettitudine: Servus servorum Dei. Gratia liberationis Deo adscribenda [est] a pastore misso.

Notandum etiam quia propheta Samuel per virtutem humilitatis ubique se electis ostendit in norma rectitudinis; nam cum Israeliticae plebis liberationem assereret, non ait: Misit Dominus Jephete et me, sed: *Jephete et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum. 12,11.* Se quidem quasi alium nominavit, ut virtutis liberationis non adscriberetur personae missi, sed gratiae mittentis Dei.

6663 Infallibilità.

Misit Dominus... Jephete et Samuel, et eruit vos, ibi: Quasi dicat: Quem voluit misit, et per quem voluit fecit. Et fortasse de se quasi de alio loquitur, quia non ipse est qui per seipsum loquitur, sed Spiritus Dei Sanctus. Et quia permissione Dei, jam rege constituto vir Domini ista loquebatur, ad hoc profecto loquebatur, ut regem et populum ad Dei cultum dirigeret, non ut ipsam dignitatem regiam evacuaret. Unde subjungit:

6664 Salubri consigli della santa Sede, e sua morale. Dottrina conforme.

1 Reg. 12,13: Nunc ergo praesto est rex vester quem elegistis et petistis: ecce dedit vobis Dominus regem.

v. 14: Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os ejus, eritis et vos et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.

v. 15: Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos et super patres vestros.

Haec profecto non mystica sed historica sunt. Nam ubi praelati et subditi reprobam vitam ducunt, divinae ultionis poenam pariter subeunt. Sed quia separatim ducuntur (forte: dicuntur) bona, separatim mala, illa pro quibus manus Domini super eos futura praedicatur, subtilius consideranda sunt.

6665 Timere Deum, nisi ei serviatur, non sufficit.

Si timueritis Dominum, et servieritis ei: quia plerique divinae districtionis judicia metuunt, et tamen prava agere non desistunt; paventi quidem corde futura judicia cogitant, sed praesenti voluptate devicti, mala committere nequaquam vitant. Bene ergo post timorem Domini ejus servitia memorantur, quia ille solus timor probabilis est, qui dum mentem concutit, ad boni operis studium trahit.

6666 Item, quia nonnulli sunt qui per timorem Domini quaedam mala respuunt,

aliqua bona agunt, et tamen nec mala plene deserunt, nec bona sufficienter operantur, [sequitur]: *Et audieritis vocem ejus, 12,14:*

Quia vocem Domini audit, et bona plene agit, et mala penitus deserit. Eadem vero bona opera in delectatione suavitatis habenda sunt, non in aestimatione asperitatis; nam quibus semper dura et aspera videntur quae a Domino praecipiuntur, paulatim decidunt et deficiunt. Hinc enim per semetipsam Veritas dicit, *Matth. 11,30*: Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *1 Jo. 5,3*: Mandata ejus gravia non sunt. Gravia quippe non sunt electis, quia dum aeternae vitae gloriam magno desiderio appetunt, praecepta evangelica gratanter ferunt.

6667 *Et non exasperaveritis os Domini, 12,14:* Os Domini [est] praedicatio perfectae caritatis; quasi enim oris sui blandimenta volebat ostendere, cum dicebat, Jo. 15,12: Hoc est praeceptum meum: ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Hoc quippe praeceptum Domini, hoc jugum est divinae suavitatis. Quid enim levius aut unquam gratius, quam amor fertur? Quid praeterea grave non leviter tolerat qui amat? Quidquid enim diligitur cum magna devotione portatur.

6668 Quia ergo vinculum perfectionis est caritas Dei et proximi, bene in ultimo loco propheta denuntiat: *Et non exasperaveritis os Domini, eritis et vos et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum, 12,14*.

Quasi dicat: Tunc bene divinam voluntatem perficitis, si et contemptum pravitatis, et divini operis studium, in divina caritate solidatis. Tunc ad summam aeternae vitae beatitudinem bene post Redemptorem curritis, si ea quae carnalibus aspera sunt praecepta caritatis, usque ad vitae finem cum jucunditate deducitis.

6669 Sed quia infirmis carnalibus loquebatur, [addidit]: *1 Reg. 12,15*: *Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos et super patres vestros.*

Manus Domini [est] severitas ultionis.

Erit manus Domini super vos et super patres vestros, ibi: [est autem] cum divini contemptus merito, et reprobi praelati subditi puniuntur.

Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, et super patres vestros, ibi: Quia ii qui divina mandata quasi dura et importabilia respuunt, intollerabili poenae onere in futuro deprimuntur.

6670 Stulta quippe audacia hominis, unde ad modicum subire ea quae sibi videntur aspera refugit, inde se asperioribus in aeternum subdit. Nam si sapienter saperet, hoc sibi quod displicet suaderet; ut per dura et aspera hujus brevissimi temporis, dura et aspera evaderet futurae damnationis. Haec profecto dura corda carnalium velociter audiunt, sed per salubre consilium facile molliri non possunt. Bene ergo subjungitur...

6671 # MEDITAZIONE 47.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 12,16-25: *Sed et nunc state, et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro.*

v. 17: Numquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias; et scietis, et videbitis quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem.

v. 18: Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces, et pluvias in illa die.

v. 19: Et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem, et dixit universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur; addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem.

v. 20: Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere; vos fecistis universim malum hoc, verumtamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro.

v. 21: Et nolite declinare post vana, quae non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.

v. 22: Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum: quia juravit Dominus facere vos sibi populum.

v. 23: Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis: et docebo vos viam bonam et rectam.

v. 24: Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro: vidistis enim magnifica quae in vobis gesserit.

v. 25: Quod si perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis.

6672 [Preludio 2]. Ora su questa lettera edificato il senso allegorico, diciamo come, avendo rilevata la forma di virtù e la condotta della santa Sede nel suo governo esteriore, resta che ne veggiamo oggi la stessa forma di virtù e condotta nel governo interiore dell'anime: ossia principalmente nella giustificazione del peccatore, come norma della rettitudine e del buon governo universalmente nella sua Chiesa.

6673 [Preludio 3]. Domine, deduc me in justitia tua; propter inimicos tuos dirige in conspectu tuo viam meam. Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, judica illos Deus. Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine. Et laetentur omnes qui sperant in te, in aeternum exultabunt: et habitabis in eis. Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo. Domine, ut scu-

to bonae voluntatis tuae coronasti nos, *Ps. 5,9 sqq*.

6674 Faciem tuam (denuo) illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas, *Ps. 118,135*. Tuas: quas exequeris dirigente ministros tuos Vicario tuo; nam quas exequi praesumunt absque illo, imo contra illum, nonnulli a fide Romana extorres, non tuae justificationes [sunt] sed illorum. Idest justificant se apud seipsos et homines seductos, non apud te: imo se condemnant, et reos magni criminis faciunt. E guai a chi dice: Mundus sum, justus sum, se tu non dici per bocca del tuo vicario, cui claves dedisti ligandi atque solvendi, *Matth. 16,19*.

6675 La santa Sede che parla.

La santa Sede ha parlato sempre con chiarezza e con libertà, riprendendo e facendo conoscere il male. Se ha presso di lei luogo una prudente dissimulazione e paziente ad tempus, non però l'adulazione delle Nazioni, nè la vile debolezza. Ecco laltra norma per li pastori. Chi si parte dal suo giudizio nell'estimare le cose, quantunque a principio, aderendo per poco alla santa Sede, faccia bene e anche maraviglie, se resta illuso dalle apparenze, dalle cabale, dalle bugie, di chi sarà la colpa? Che diremo di chi si pone di quel partito? Chi si tira fuori della fede di Roma è fuori di tutta la Chiesa, perché la Chiesa non è che l'adunanza de' pastori e fedeli uniti a Pietro.

6676 Haec profecto dura corda carnalium velociter audiunt, sed per salubre consilium facile molliri non possunt. Bene ergo subjungitur:

1 Reg. 12,16: Sed et nunc state, et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. v. 17: Numquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum et dabit voces et pluvias, et scietis et videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem.

6677 Quia tam attente et toties ista petitio regis reprehenditur, hoc electis insinuat quia qui ad culmen sanctae Ecclesiae carnales provehunt, gravissima peccati obligatione retinentur. Nam peccata reliqua singularis poenae meritum obtinent; qui vero carnalem praepositum constituit, tot incurrit poenarum merita, quot ille fidelibus subditis praebet pravitatis exempla.

6678 Sed grave pondus criminis deponi non potest, nisi austeritate magnae compunctionis. Compunctionis autem gratia menti non infunditur, nisi prius ei peccati magnitudo monstretur. Propheta ergo Domini ut ad congruae poenitentiae fructum peccantem populum provocaret, per mirabilem motum aëris ei insinuat magnum peccatum transgressionis. In messe autem tritici, pluviae et tonitrua in illa regione non fiunt: ita etiam Hieronymo teste, *In Amos 4,7 t. 6,272 A*.

6679 Manda predicatori che scuotano.

Bene autem subsequenter adjunctum est:

1 Reg. 12,18: *Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces et pluvias in illa die. v. 19: Et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem, et*

dixit universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur; addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem.

6680 Quod sane si ad nostra tempora deducimus, ut populus ad cognitionem peccatorum veniat, praedicatores pro eis ad Deum clamant, quia fidelium salutem magnis desideriis flagitant.

Et clamavit Samuel: Praedicatoribus [clamare est] electorum salutem magna devotione postulare.

6681 Et dedit Dominus voces: ad horum clamorem; quia peccatorum corda excitat ut pravitatis suae nequitiam recognoscant.

Et pluvias: (non sunt naturalis concussionis fulgura, ut in propositione damnata) quia excitata corda per infusionem supernae gratiae adjuvat, ut non solum deserat mala quisquis quae fecit, sed etiam bona fortiter agat quae appetit.

6682 In illa die: [sive] messis tritici, ut virtus miraculi designetur. Non est quidem minus miraculum immutatio cordis quam perturbatio aëris; non minus miraculum est arentia corda reviviscere, quam aestivis ardoribus inusitato more pluvias inundare. Majus quippe miraculum est intimo sonitu insensibilem mentem concutere, quam collisis per ventum nubibus tonitruum insonare.

6683 Timore di Dio che scuote, poi produce la umiltà e la contrizione.

Sed rectius ordo conversionis ostenditur, in ordinata positione verborum; nam dicit: *1 Reg. 12,18: Dedit Dominus voces et pluvias in illa die, v. 19: et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem.*

Ordinatissima quippe conversione, cum malum deseritur, bonum in mente propagatur; cum conversi mens quasi per pluviam bonum semen nutrit, et se Deo et hominibus per obedientiae virtutem subdit. Bene ergo dicitur:

6684 *Et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem, 12,19*: Quia qui summi Spiritus adventum suscipit, et mala deserit, et bona apprehendit; et sic Deo subditur, ut pro Deo etiam hominibus substernatur. Et quia praesumptionem in ipsa obedientiae virtute non habent, dicunt:

6685 *Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur, ibi*.

Cum Spiritus vitae se menti infundit, protinus eam ad mortis pavorem erigit, quia magisterium ejusdem spiritus est, ut timendo mens agat, ne quod timet inveniat.

Sed sancti viri pro eis orantes exaudiri possunt, qui et occulta peccata cordis, per humilitatem revelant confessionis. Unde et subditur:

6686 *1 Reg. 12,19*: *Addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem.*

v. 20: Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere: vos fecistis universim

malum hoc; verumtamen nolite recedere a tergo Domini.

Speranza.

Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere: Poenitentis mens tunc bene dirigitur, si divina judicia metuat, et de Dei omnipotentis misericordia confidat.

6687 Timor quidem sine spe in desperationem praecipitat; sed cum spei conjungitur, salutem mentis operatur. Quare et summo studio invigilare optimus doctor debet, ut peccatorem terreat, et territum ad veniae spem reducat; quatenus per metum peccare desinat, et per spem impetrandae indulgentiae divinae misericordiae portum quaerat. Territos ergo subditos ad spei virtutem Samuel erigens ait: *Vos fecistis universum malum hoc: veruntamen nolite recedere a tergo Domini, 12,20.* Quasi dicat: Si peccare desinitis, ad obtinendam commissorum veniam pervenire citius potestis.

6688 Nolite [ergo] recedere a tergo Domini.

De justi laude promittitur, *Luc. 1,76*: Praeibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus. Hinc Elias ait, *3 Reg. 17,1*: *Vivit Dominus Deus Jsrael, in cujus conspectu sto.* Ps. 67,4: Et justi epulentur et exultent in conspectu Dei. In conspectu Domini stare, vel ante Dominum, est testimonio bonae conscientiae de amore Conditoris praesumere; stant in conspectu ejus qui ex merito magnae actionis de superna Conditoris sui gratia securi sunt. Peccatores autem, cum mala committunt, a facie Domini fugiunt; sed cum redire poenitendo deliberant, quasi post tergum Domini sunt, quia et discedere longius nolunt, et tamen praesumere de Deo quasi amici non possunt.

6689 Hinc est quod peccatrix mulier retro stetisse dicitur, ut pedes Domini deosculari mereretur; retro etiam illa stetit, quae fimbrias ejus tetigit, et a fluxu sanguinis sui curari meruit. Retro quidem stat pro verecundia peccati, sed tangit per virtutem spei. Quia ergo pro commissis iniquitatibus semper erubescere debemus, et in quibus confundimur devitare, Samuel imperat:

Nolite recedere a tergo Domini, *1 Reg. 12,20*.

6690 Propositum bonae vitae et statum incipere.

Sed quia non sufficit converso peccatori ut peccata non agat, [sequitur]: *Sed servite Domino in omni corde vestro, ibi.*

Tunc namque promereri veniam possumus, si peccare desinimus, et bonis operibus inhaeremus. Servite Domino in omni corde vestro: [hoc est] peccandi nullam in corde intentionem retinere. Omne quidem cor ad servitium Conditoris inflectitur, quando sic bona agimus, ut mala per propositum nulla teneamus.

Togliere le occasioni.

6691 Quod et propheta Domini Samuel aperte insinuat, cum subjungit: *1 Reg. 12,21*: *Et nolite declinare post vana quae non proderunt vobis, neque eruent vos,*

quia vana sunt.

Vana, ad litteram [sunt] simulacra daemonum; nobis [autem], illa quae concionator ostendit dicens, *Eccle. 1,2*: Vanitas vanitatum et omnia vanitas. In comparatione enim aeternorum bonorum vana sunt omnia, etiam bona temporalia.

6692 Quidquid enim in hoc saeculo laetum, delectabile, sublime aut prosperum cernitur, vanum profecto est, quia difficile habetur, et cito amittitur. Repente quidem alta saeculi corruunt, pulchra transeunt, laeta et prospera evanescunt. Nam cum stare in his floribnus suis mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur, aut festina, et omnia deturbante morte, concluditur. Vana ergo sunt gaudia saeculi, quae quasi manentia blandiuntur; sed amatores suos, cito transeundo, decipiunt. Ergo:

6693 Nolite declinare post vana, quae non proderunt vobis, *12,21*. Quasi dicat: Stulte appetuntur bona saeculi, quia ab appetitoribus suis non poterunt diutius teneri.

Notandum quia de futuro dicitur: *Non proderunt vobis, ibi:* Quia nimirum nunc prodesse cernuntur; sed cum in futuro pro eis puniri coeperint, nequaquam prosunt; unde [sequitur]: *Neque eruent vos, quia vana sunt, ibi*: Quasi dicat: Idcirco vos tunc non adjuvant, quia cum mundo deficiunt, et post saeculum non habentur. Multum quidem saeculi bona durant, si cum amatore usque ad extremum vitae perveniunt.

6694 Post saeculum ergo non prosunt quae finem vitae transire non possunt. In hac quidem vita suos amatores peccatis obligant, sed tunc non eruent ubi quidem per meritum sunt, per auxilium non sunt.

Notandum caute, quia eis tempora bona non proderunt, qui post haec declinare perhibentur. Declinare post vana bona temporalia, est in illorum appetitu defluere, [et] amorem illorum divino amori praeferre. Merito ergo his vana non proderunt, quia eo ordine quo condita sunt, habere noluere.

La giustificazione frutto della grazia.

6695 Sed quo fructu vana despiciantur, insinuatur: *1 Reg. 12,22: Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum, quia juravit Dominus facere vos sibi populum.*

Magnum malum haec vana post se declinantibus ingerunt, quia dum inordinate terrena appetunt, a summo et omnipotenti Deo ad sustinenda futura tormenta deseruntur. His ergo qui declinare post vana prohibentur, merito propheta repromittit dicens:

6696 *Non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum, 12,22*: Quia qui pro ejus amore vana despiciunt, a veris malis eruuntur, et ex fide promissionis mercedem accipiunt aeternae haereditatis. Populum quippe suum Dominus facit, quem ad aeternae beatitudinis gaudia sustollit. Ibi quippe revelata

majestatis suae gloria illi praesidet quem in mundo ab amore vanitatis per occultam gratiam assumptum tenet.

6697 Juravit Dominus: [Domino jurare] repromittere est facere sibi populum qui non declinat post vana; quia terrena despicienda sunt, ut aeternae hereditatis bona adipisci mereamur. Nec tamen ad ea posse his meritis se perduci aliquis credat, quia hic districte expressum est: *propter nomen suum magnum, 11,22.* Non enim bonitate nostra, sed Dei fit, ut homo terrenus bonis coelestibus perfruatur: donum quippe Dei est, non ex nobis.

6698 Preghiera del primo pastore anche per li figli che lo disprezzano. Così debbono fare gli altri pastori.

1 Reg. 12,23: Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis.

Ille ista loquitur, cui superius de iis quibus loquitur, Dominus ait, *supra 8,7*: Non te abjecerunt sed me, ne regnem super eos. Ecce abjicitur propheta, et abjicientibus se non oraret. *Lev. 19,18*: Diliges amicum tuum sicut teipsum [et odio habebis inimicum tuum).

6699 Sed et qui prophetam abjiciebant, non amici, sed inimici erant. [Dicit tamen]: *absit autem a me hoc peccatum, 12,23.* Vir sanctus, ad caritatis verticem sublimatus, non solum diligebat amicos, sed ipsos etiam amplectebatur inimicos. Legis quidem veteris mandato instructus, sed novae gratiae fulgoribus illustratus, licentiam vetustatis evangelica perfectione reprehendit. Quo nimirum in facto, nos nobiscum facere rationes cogimur. Hinc enim per evangelium jubetur, Matth. 5,44: Diligite inimicos vestros; benefacite iis qui oderunt vos. Quanto ergo nunc inimici diligendi sunt, cum praecipimur, si tunc amari potuere cum odio haberi jubebantur?

Amarli, ma alla larga dai nemici della fede: e odiarne le massime.

6700 Erudizione celeste.

Et quia non solum orare pro eis, sed eos erudire conabatur, [addit]: *et docebo vos viam bonam et rectam, 1 Reg. 12,23*.

Viam: divini obsequii.

Bonam et rectam: Cur, cum bona non sit nisi sit recta, nec recta si non sit bona? Bona fuit via, qua populus ab Aegypto ad terram promissionis ascendit, et tamen, dum per eremum circuivit, recta non fuit.? Bona [ergo est via] qua ad supernam patriam tenditur: recta, qua facile pervenitur. Viam bonam et rectam [eligimus] cum ad religiosam vitam convertimur: [cum] divina obsequia cum instanti fervore magnae devotionis exercemus.

6701 Unde et bene eamdem viam Samuel exponit: *1 Reg. 12,24: igitur timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro.*

Haec quidem via bona et recta est, quia ad vitam aeternam tendit, et velociter

pervenit.

Timete Dominum: Per timorem Domini devitantur mala.

Servite ei: Serviendo ei ejus mandata complentur.

Servite ei in veritate: [servimus] quando ejus praecepta pro sola superna retributione perficimus. Nam qui de bono opere temporalem mercedem appetit, Deo in veritate non servit, quam falso proposito in sua operatione non diligit.

6702 Qui autem in veritate Deo servire cupiunt, totum cor in divinis obsequiis ponere jubentur: Ex toto corde vestro, *12,24*: ut sic quae Dei sunt agant, ut in mente aliquid quod contra Deum sit non retineant. Haec profecto via non solum bona sed et recta est, quia ad salutem tendit, et viatorem suum ad perfectionem velociter deducit. Velut enim altera via terrae repromissionis ostenditur bona, quae perducat: recta, quae diverticulum caveat. Per hanc quippe unusquisque tanto melius ad culmen virtutum pervenit, quanto per negligentiarum circuitus non divertit.

6703 Haec quidem via recta in illa exprimitur, per quam Dominus filios Jsrael ducere ad terram promissionis voluisse perhibetur. Voluit quippe illis labores deserti committere, ut nobis post Unigeniti sui vestigia gradientibus, cursum tanti itineris levigaret. Non enim adhuc audire poterant, *Matth. 19,21*: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus: et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me. Dum enim licentia rerum temporalium vetus populus per diversa discurreret, quasi per circuitum laboris ad terram promissionis cito duci non potuit.

6704 Ut ergo nobis novae vitae viam propheta insinuet, viam bonam et rectam esse dicit: *Docebo vos viam bonam et rectam; timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro, 1 Reg. 12,24*, quia ad sublimitatem divinae gratiae cito perveniunt qui omnipotentem Deum et bono opere et ferventibus desideriis inquirere non desistunt. Et quia eumdem populum ad audienda praedicationis verba per miraculum attentum procurat, [addit]:

6705 *Vidistis enim magnifica quae in vobis gesserit, 12,24.* Quasi dicat: Ex iis quae vidistis colligite omnipotentem Deum quam terribiliter metuere, et quam devote ei semper servire debeatis. Quae profecto verba si ad nos trahere volumus, tanto nobis est et venerabilius metuendum, et devotius Deo serviendum, quanto in Redemptore nostro mirabiliora perspeximus.

Sed quia quod boni audiunt, audacter mali contemnunt, subjunxit: *1 Reg. 12,25: Quod si perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis.*

6706 [COLLOQUIO].

Giacché la forma della virtù e la condotta della Santa Sede nel governo interiore delle cosceienze si é la norma della rettitudine del buon governo ecclesiastico proposta a tutti gli altri pastori, i quali tanto operano bene, quanto

con quella concordano [Qui mecum est colligit, et qui non colligit mecum dispergit, *Luc. 11,23*. Qui tecum non colligit, spargit, S. Hieronym. *Epist. 57 ad Damasum, alias 15,2 t. 1,38, B.* Qui mecum non est, contra me est, *Luc. 11,23*). Non c'è stato neutrale.

6707 Aspetterò di esaminare qual sia il buon partito. Non sono opinioni i dogmi di fede: sono verità da credersi fermamente e senza dubitare, quanto ci vien da Pietro proposto. Dateci, [Signore], grazia di aderirvi con vera fede e con tutto il cuore. Che perdiamo prima la vita che l'obbedienza, come fece Cristo nostro Signore.

6708 MEDITAZIONE 48.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 13,1-4: *Filius unius anni erat Saul cum regnare coepisset: duobus autem annis regnavit super Jsrael.*

v. 2: Et elegit sibi Saul tria millia de Jsrael: Et erant cum Saul duo millia in Machmas et in monte Bethel: mille autem cum Jonatha in Gabaa Beniamin: porro ceterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua.

v. 3: Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum quae erat in Gabaa. Quod cum audissent Philisthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebraei.

v. 4: Et universus Jsrael audivit hujuscemodi famam: Percussit Saul stationem Philisthinorum: et erexit se Jsrael adversus Philisthiim. Clamavit ergo populus post Saul in Galgala.

6709 Ora su questa lettera edificato etc. diciamo come dopo aver conosciuto i principj della buona conversazione d'un reprobo pastore, e ne' suoi effetti e nella loro causa, che era l'adesione e obbedienza alla Prima Sede, seguita che ne vediamo l'esito cattivo della sua conversazione, e primieramente nella sua causa, ch'è la disunione e la inobbedienza della Prima Sede.

6710 La inobbedienza è causa prossima; la superbia, causa rimota; la virtù, occasione. Le virtù sono occasione della superbia: [questa è] origine della inobbedienza, causa della caduta. Questa superbia, siccome molto occulta e insensibile, la rileveremo nel suo fondamento e nella sua occasione; poi vedremo i gradi piccoli e successivi onde si cade nella aperta inobbedienza. Ma perché al sommo male si va per insensibili cadute, da prima considereremo la prima origine d'un tanto male, la quale suol essere molto occulta e quasi lontana, non però meno esiziale in ordine agli ultimi effetti.

6711 Intanto le azioni che procedono dal soggetto non lasciano d'essere

esternamente buone, cioè nell'oggetto materiale, nel modo e in altre circostanze dell'opera, restando tutto il male nell'interno dell'operante, che comincia a guastarsi, a corrompersi, a disordinarsi. Onde possono ancora le sue azioni servir di esempio.

La prima origine è la superbia, e questa ha il primo fomento, anzi quasi uovo pestilente, allo sviluppo delle stesse virtù, prodotto dal fomite del peccato, ossia [dalla] concupiscenza, che quasi trista madre d'ogni vizio portiamo indosso.

6712 Colloquio: Vergine santissima, immacolata, voi che prevenuta dalla grazia nella vostra Concezione foste libera dal fomite del peccato, liberate noi colla vostra intercessione dai tristi parti di questa genitrice funesta d'ogni vizio, e principalmente dalla superbia. Schiacciate le uova, e i semi dispergete d'ogni superbia.

6713 Comincia sempre da lungi la superbia: Initium omnis peccati superbia est, *Eccli. 10,15*. Innocenza battesimmale.

1 Reg. 13,1: Filius unius anni erat Saul cum regnare coepisset; duobus autem annis regnavit super Jsrael.

Superius, cum ordinandi regis negotium tractaretur, de eo qui divino judicio praeferendus erat ceteris, dictum est, *ibidem* 9,2: Electus et bonus. Item de eo jam electo in regnum, et in medio populi statuto, Samuel ait, *ibidem 10,24*: Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.

6714 De eodem item rege nunc dicitur: *1 Reg. 13,1: Filius unius anni erat Saul, ut dum attente laudatur, a Domino bonus electus fuisse sentiatur.*

Filius unius anni erat Saul cum regnare coepisset, [dicitur] ut innocentia praedicetur. Nam ad litteram, unius anni quomodo filius esse potuit, qui universo populo ab humero et sursum eminebat? Quod ergo secundum litteram intelligi non potest, intelligi per internae intelligentiae rationem debet.

6715 Unius anni rex describitur, ut donum pueritiae in persona regis innocentiae bonum signet. Unde et aeterni regis filiis jubetur, *1 Cor. 14,20*:... Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote: sensibus autem perfecti estote. Quod certe et Ecclesiarum pastoribus ipsa Veritas comminatur. *Matth. 18,1*: In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas major est in regno coelorum? *v. 2*: Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, *v. 3*: et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. *v. 4*: Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno coelorum.

6716 De rege ergo qui prius bonus, postea malus extitit, dicitur: *Filius unius anni erat Saul, cum regnare coepisset: duobus autem annis regnavit, 1 Reg. 13,1.* Licet enim multis annis regnaverit illis solis regnare dicitur in quibus innocens et humilis perhibetur. Nam postea superbus et inobediens, audivit, infra *15,26*:...

Quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus, ne sis rex super Jsrael.

6717 Se quidem a regno projectum cognovit, et tamen projectus regnare non timuit. Quanta postea fortiter egit! Sed ecce omnia illa tempora ad regnum ei deputata non sunt. Illo ergo solum tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter et humiliter viximus; nam illa tempora quae in saeculi vanitate et fluxa carnis vita transumpsimus, quasi perdita minime memorantur.

Sunt adhuc quoque qui ad rapiendum culmen sanctae Ecclesiae ingeruntur, de quibus per prophetam Dominus queritur, dicens, *Ose. 8,4*: Ipsi regnaverunt, et non ex me: principes extiterunt, et non cognovi; argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent.

6718 Qui nimirum dum quaedam fortiter agunt, rapinam invasi culminis a Deo oblivioni traditam arbitrantur; secum sua opera numerant, et quod praeter Deum agunt, a Deo remunerandum putant. Qui cert ut rectius ea quae agunt enumerent, Saul abjecti tot fortia facta numerent, quae divinus numerus nequaquam tenet.

Dicatur ergo Saul: Duobus autem annis regnavit super *Jsrael, 13,1:* ut de omnibus sentiatur quia quod nobis vivimus mercede vacuatur, et nequiter praeesse non est veritas praeminendi, sed temeritas puniendae praesumptionis.

6719 Nel cominciare della superbia, le opere ancora sono di molta virtù; come un bellissimo drappo: ma c'è la tigniuola come in seme.

Sed jam quid unius anni rex fecerit audiamus: *1 Reg. 13,2: Et elegit sibi Saul tria millia de Jsrael, et erant cum Saul duo millis in Machmas et in monte Bethel, mille autem cum Jonata in Gabaa Beniamin.*

Virtù in complesso.

Millia: millenarius numerus, qui a centenario decies collecto perficitur, summam perfectionis insinuat.

Tria millia: Cum ter repetitur, in eo electorum perfectiones variae designantur.

6720 Elegit sibi Saul tria millia de Jsrael: Quia praedicator veritatis ad defensionem sanctae Ecclesiae non infirmos et debiles, sed robustos et validos bellatores ducit. Tria millia, quia in summa perfectionis facie, virgines proferunt, juxta quos et continentes, et veritatis defensores ponunt. Dum enim exemplo virginum ad summam incorruptionis alios accendunt, dum continentium vita alios a saeculi corruptionibus auferunt, dum humilius debilitatem per auxilia potentium defendunt, contra hostes sanctae ecclesiae, boni doctores quasi cum tribus millibus electorum virorum veniunt. Viri autem dicuntur, pro fortitudine, de Jsrael pro divina contemplatione. In summo enim perfectionis numero contineri non potest qui aut virtute caret magni operis, aut notitia internae visionis.

6721 Nel cominciamento della superbia non solo le azioni loro in esterno son buone, ma la direzione che pongono agli altri può esser ottima; ed insegna agli altri ad essere umile tra le virtù quegli che nelle sue virtù già comincia a insuperbire.

Nella più alta p...

Magistero di virtù.

1 Reg. 13,2: *Et erant cum Saul duo millia in Machmas et in monte Bethel, mille autem cum Jonatha in Gabaa Beniamin.*

6722 Cum Saul alii; alii cum Jonatha. Sed et ipsa locorum nomina in quibus esse dicuntur, mysteriis vacua credenda non sunt. Jonathas, qui filius regis [est] et partem bellatorum habet, [eos significat] qui in praedicationis ministerio doctorum adjutores sunt; filii quippe eorum sunt, quia vehementer eos diligunt, quorum ministerio Deo generantur. Sed parti bellatorum praesunt, quia sanctae Ecclesiae curam gerunt, et exemplo alios, alios vero exhortationibus ad amorem virtutis provehunt.

6723 Quasi enim magnus rex filium in exercitum miserat, qui Corinthiis loquebatur dicens, *1 Cor. 4,127*: Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus, et fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quae sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Eccelesia doceo. Hinc item dicit, *ibidem 16,10*: Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos; opus enim Domini operatur, sicut et ego.

6724 *Et erant cum Saul duo millia in Machmas et in monte Bethel, mille autem cum Jonatna in Gabaa Beniamis, 1 Reg. 13,2.*

Gabaa, [latine est] sublimis; Machmas: humilitas; Bethel: domus Dei; Saul: petitio; Johathas: columbae domum. Tria vero millia de Jsrael, [sunt] virgines, continentes, veritatis defensores. Mille autem cum Jonatha in Gabaa, [sunt] qui lucidissimo virginitatis exemplo aliis praebent ejusdem normam pudoris. [Sunt] cum Jonatha, [qui est] comumbae donum [et] institutor virginum: quia incomparabili gratia Spiritus Sancti efficitur ut a manentibus in carne, carnis corruptio nesciatur.

6725 Nella più alta perfezione collocati bisogna più tremare, perché gli altri vizj si pascono di atti brutti, indecenti, turpi, peccaminosi; alla superbia servono di pascolo, e assai ghiotto, le stesse virtù nostre, e le più alte.

Verginità sublime.

In Gabaa: In sublimi [sunt] virgines, quia quod naturam humanem supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est. Unde et virgo ille dilectus Jesu, locum virginum insinuans, *Apoc. 14,1*: Et vidi: et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quattuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.

6726 Quos etiam ex luce propriae conversationis insinuat, *ibidem v. 4*: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt: hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiae Deo et Agno, *v. 5:* et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Supra montem... cum eo: quia per meritum incorruptionis quo a terrenis et carnalibus delectationibus se dividunt, in superna Redemptoris gloria sublimantur.

6727 *Et erant cum Saul duo millia in Machmas et in monte Bethel, 13,2.*

Machmas [est] humilitas, [seu] continentium rubor; nam dum praeterita carnis oblectamenta recolunt, erubescunt. Sed quia viri fortes sunt, erant cum Saul; et dum experta saeculi blandimenta despiciunt, exemplo suae virtutis innumeros alios ad ejusdem saeculi continentiam trahunt; sed tamen: *Erant... in Machmas*: quia dum recolunt quales fuerunt in saeculo, superbire non possunt de eo quod magnos se vident esse in Deo.

6728 *Cum Saul*: [qui interpretatur] petitio. Praedicator enim veritatis, tantae caritatis esse debet, ut instanti desiderio, non petior sed petitio esse sentiatur. Salutem quippe fidelium tanta instantia debet appetere, ut ex usu interni gustus omnem motum cordis in affetum ducat supplicationis.

Nella stessa orazione e contemplazione si pasce la superbia.

6729 Orazione.

Cum Saul duo millia: Cum quo duo millia virorum sunt, quia perfectiores auditores cum electis doctoribus in caritate conveniunt, et pro salute fidelium omnipotentem Dominum communiter deprecantur. In Machmas erant, quia humilitatem pro se incolunt, ut exaudiri pro aliis mereantur. Sed dum electus doctor omnibus subditis utiliter praeest, omnium virtutes ad victoriae coronas promovet; nam cum humilibus supplicat, cum fortibus pugnat, cum remotis viris orationibus insistit, cum expositis Ecclesiae defensoribus debiles et infirmos protegit.

6730 Nella santità istessa insomma [si pasce la superbia] e anche nel difender la Chiesa. [Lo provano] Pascale contra gl'increduli, Arrigo VIII contra Lutero, Tertulliano; e anche nel martirio stesso, Origene.

Martirio.

Bene ergo [dicitur]: In Machmas et in monte Bethel, quia praedicator Ecclesiae sicut diversis ordinibus electorum praeeminet, ita eorum esse cooperator debet.

6731 In Bethel domum Dei custodiunt qui verbi auctoritate sanctam defendunt Ecclesiam. Cum quibusque tyrannis voce liberae auctoritatis obviant, cum contra hujus saeculi potestates se erigunt, cum pro defensione humilium saeculi hujus potestatibus contradicunt, Bethel, domum Dei, quasi regis bellatores custodiunt.

Et erant cum Saul: quia in defensione Ecclesiae magnorum doctorum coadjutores sunt.

6732 E tra le virtù eroiche [si pasce la superbia]. Vedete come bisogna sempre tremare. Si ignoras te, pulcherrima mulierum, egredere, *Cant. 1,7*.

Beatus vir qui semper est pavidus, *Prov. 28,14*, anche tra l'amor puro. Bisognerà dir amor pauroso e paura amorosa; e sarà meglio e più conforme a

quella sentenza dell'Apostolo, *Philipp. 2,12; 2 Petr. 1,10*: Cum timore et tremore satagite ut per bona opera certam vestram electionem et vocationem faciatis.

6733 Bene autem de reliquis dicitur:

Porro ceterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua, *1 Reg. 13,2.*

Ceterum populum, quem millenarius numerus non concludit. Remisit unumquemque in tabernacula sua: Quia ad summa et fortia opera infirmi et imperfecti producendi non sunt. Nam nec continentes, nec virgines, nec martyres fieri debiles possunt; illis quidem ut ad eos praeterita carnis oblectamenta non redeant, istis ut inexperta carnis blandimenta contemnant. Illis ut adversa mundi non metuant, maxima fortitudo necessaria est.

6734 Ceterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua, ne de altioris vitae temeritate damnetur, et velut debilis et infirma in bello pereat [plebs], dum altae conversationis fidem spondet, quae altae virtutis robur non habet. Quasi enim unumquemque in tabernacula sua dimittebat beatus Paulus Apostolus, 1 Cor. 7,2: Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat. Velut enim peritus magister internae militiae, et coronas victoriae, et pugnae considerans gravitatem, militum vires in belli pondere librabat, optimum judicans infirmis ut in urbibus viverent, ne acerbo marte perirent. Quare et item eos a castris fortium segregans, [pergit] ibidem v. 5: Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.

6735 Sed remotis debilibus, quid in fortissima virginum acie agatur, exponitur: *1 Reg. 13,3*: *Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum quae erat in Gabaa.*

Sicut excellit ordine sponsi acies, ita et victoriae titulos prima suscepit.

Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum: Quia electa virginitas de carne continentiae arce sublimata, motus turpes extinguit.

Stationem Philisthinorum: Quia in corpore virginali carnales motus non habent requiem delectationis, sed statum certaminis. Stant, quia impugnant; requiescere non possunt, quia mentem sanctam minime oblectant.

6736 Le sublimi vittorie della verginità sono pur occasioni e fomenti [di superbia]. *Percussit... stationem Philisthinorum in Gabaa, 13,3*, quando ab electis virginibus carnis desideria penitus enervantur et pacem triumphi obtinent, dum solita bella non habent. Ad quam profecto victoriam, quia majorum exhortatione saepe proficiunt, mille... cum Jonatha [sunt] in Gabaa; [quibus exhortantibus]: Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum. Et quia exemplo aliorum saepe alii ad aemulationem virtutis excitantur, [sequitur]:

6737 *1 Reg. 13,3*: *Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum.* Quod cum audissent Philisthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebraei. *v. 4: Et universus Jsrael audivit hujuscemodi famam: Percussit Saul stationem*

Philisthinorum, et erexit se Jsrael adversus Philisthiim. Clamavit ergo populus post Saul in Galgala.

6738 La predicazione fruttuosa fomento di superbia.

Percussa Philisthinorum statione, Saul cecinit buccina... clamavit ergo populus post Saul: Quia auditas electorum virturtes sancti praedicatores praedicant, et subditorum corda ad exemplum boni operis inflammant.

Cecinit buccina: [Quod est] victoriam nunciare, et exemplo victorum aliorum mentes ad spiritualis belli propositum excitare.

6739 Clamavit populus post Saul: [Quod est] de audita praedicatione magnae devotionis ausum suscipere.

Notandum: Percussit Jonathas stationem Philisthinorum... Saul [autem] cecinit tuba [et] se percussisse eamdem stationem perhibuit: quia nimirum electorum praedicatorum triumphis adscribitur, quod a subditis occulti adversarii superentur.

[Spunto per il colloquio]: Sta in me [ci dice il Signore] e non in te. Cur in te stas, et non stas?

[O Signore], dateci diffidenza di noi e confidenza in voi.

6740 MEDITAZIONE 49.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 13,5-7: *Et Philisthiim congregati sunt ad proeliandum contra Jsrael, triginta millia curruum, et sex millia equitum, et reliquum vulgus, sicut arena quae est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas, ad orientem Bethaven.*

v. 6: Quod cum vidissent viri Jsrael se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, et in abditis, in petris quoque et in antris et cisternis.

v. 7: Hebraei autem transierunt Jordanem in terram Gad et Galaad.

6741 Ora su questa lettera, constituito il senso allegorico, diciamo come avendo rilevato la prima origine e più remota e affatto occulta del male, che è la superbia, nelle sue occasioni e ne' suoi fomenti, seguita che vediamo il progresso nella negligenza, ossia quella serie di rapide insensibili cadute con cui s'avanza senza fermarsi sino al suo termine, ossia all'aperta caduta, che è la inobbedienza, a costituire la causa prossima dell'esito cattivo della conversazione del reprobo

pastore.

6742 Queste cadute rapide e successive in lunga serie, tutte procedono dalla negligenza; onde possiamo così statuire l'origine del male nella superbia, il progresso nella negligenza, il termino nella disubbidienza. Amor sui, radice della superbia, diminuisce l'amor di Dio in prima, [donde la] negligenza; [negligens] non diligit; [diventa sempre più] piccolo l'amore al bene che non si ama [ormai che apparentemente, e si giunge] usque ad contemptum Dei.

6743 Quoties alios hostes vincimus, necesse est ut ad aliorum devincenda certamina praeparemur; omnipotens enim Deus qui electos suos copiosius remunerat, eos semper vult in pugna consistere, ut ipsi semper possint sibi aeterni muneris bona praeparare. Quare et cum populus clamasse post Saul dicitur, subjunctum est: *1 Reg. 13,5*: *Et Philisthiim congregati sunt ad proeliandum contra Jsrael, triginta millia curruum, et sex millia equitum, et reliquum vulgus sicut arena quae est in littore maris plurima.*

6744 Superius rex Saul tria millia virorum sibi elegisse describitur; si ergo partes utriusque exercitus conferre volumus, contra unumquemque virorum Saul decem currus Philisthinorum et duo equites deputantur; decies enim tria millia, triginta millia sunt. In senario quoque numero ternarius geminatur. Quo nimirum bello, occultorum hostium tum multitudo, tum feritas designatur:

Triginta millia curruum, et sex millia equitum:

In curribus quidem et equis contra nos veniunt, quia modo malas cogitationes electorum cordibus, modo eorum corporeis sensibus, rerum visibilium blandimenta noxia offerre moliuntur.

6745 Accidia, tepidezza, negligenza, piccolo amore del bene di Dio e del prossimo.

Equites ad cursum celeres, ad impetum fortes, [sunt] cogitationes malae, quae ad cor velociter veniunt et fortiter pungunt. Equites contra nos in proelium veniunt, quando maligni spiritus nobis malas cogitationes et velociter excitant, et nos per eas fortiter impugnant. Sed contra unumquemque fidelium duo equites veniunt, quia si occultas improborum spirituum insidias in considerationis summam colligimus, illud eorum speciale propositum est, ut videlicet nobis principalem virtutem feriant, et caritatem Dei et proximi penitus extinguant.

6746 Equus vero unus saevire cernitur, quando reproba cogitatione nobis malignus spiritus suggerit, ut proximus odio habeatur; sed equus qui solus cernitur, solus non est, quia Deum nemo diligit qui fratrem odit. Quia item divina caritas cum nullo principali vitio in mente convenit, quoties spirituale vitium nobis daemonum fraude suggeritur, equitum saevientium cavere debemus velocitatem nimiam, et ferocitatem violentam. In comparatione quidem equitis, sagittarii aut peditis ictus omnimodo debilis est; impetus vero equitis, equi viribus violentus est, quia nimi-

rum virtus maligni spiritus nulla est in electorum certamine, si ipse residere non permittitur in mala cogitatione. Quia ergo valde fortes in bello hostes nostri sunt, quando insidere internis cogitationibus permittuntur, in Philisthinorum exercitu equitum turba numeratur.

6747 Perder la vigilanza sul cuore. Negligenze nella custodia del cuore. Importunità di mente. Perder la vigilanza sulli sensi esteriori. Evagazione.

Curruum vero decem unicuique electo in proelium deputantur. Quinque enim nobis sunt sensus corporis, quibus experimentum accipimus delectationis. Sed spiritus maligni quando per blandimenta carnis mentem decipere gestiunt, corporeis sensibus rerum species ostendunt quas caro appetat, et per earumdem rerum species suggerit ut mens oblata concupiscat.

6748 Quasi enim in rotis suis currum adversarius erigit, dum hinc rerum blandimenta offert, inde cogitationes retinet, ista porrigit, illa immittit; et quasi volvendo se sublimen ad animam invehit, dum contra electos se malignus spiritus erigit, et per blandimenta rerum et per artem suggestionum. Decem ergo currus sunt, quia contra singulos sensus corporis nostri habent et deceptorias artes suasionum.

6749 *Et reliquum vulgus, sicut arena quae est in litore maris plurima*, *1 Reg. 13,5:* quia ad ducatum malorum spirituum innumerabilis saevit contra nos turba vitiorum.

Reliquum vulgus, velut subjectum currus et equites sequitur, quando daemonum insidiae mentem impugnando praeveniunt, ut a subsequentibus vitiis, quasi ab irrationabilis vulgi multitudine devastetur.

Reliquum: primus currus et equites, deinde vulgi numerositas, nulla formido vitiorum, si excitando et immittendo non praecedat hanc malignorum turba spirituum.

6750 Difetto di cautela e di circospezione: perciocché le grandi imprese eccitano i demonj contra di noi più potenti: Qui parati sunt suscitare Leviatan, *Job. 3,8.*

Quibus etiam verbis innuitur quam cauta et circumspecta semper esse debeat vita sanctorum. Nam si: reliquum vulgus [adest frequens] sicut arena quae est in littore maris plurima, innumerabilis et fere inevitabilis est multitudo jaculorum.

6751 Quamvis enim peritis fidelibus omnia nota sint vitia, quantis in cor motibus pulsent, quibus modis aut quibus causis semper ad cor veniant, omnino scire non possunt. Apertas quidem tentationem tenebras potenter abjiciunt, sed saepe caliginem ignorantiae in rebus levioribus quasi arenae minutias non evadunt.

Sicut arena maris, 1 Reg. 13,5. Semper fortitudinem ostendunt boni operis, sed qui magnos exercitus equitum magna virtute superant, linguam penitus ab omni superflua locutione non refrenant. Continuo usu corpus in Dei omnipotentis

servitio dirigunt, sed eorum mens quae foris membra perfecte ordinat, cogitationes superfluas aliquando nequaquam vitat.

6752 Quid enim aliud tunc, quam vulgi importunam multitudinem sentiunt, qui currus et equites magna virtute prostraverunt? Sed doctor egregius dicit, *Rom. 8,28*: Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Permittit quidem Deus electos suos magnis tentationibus impeti, ut magnificentissime in coelesti regno debeant coronari. Sed magna proelia permittit quae vincant, levia excitat in quibus cadant, ut victoria fortium magna sit, casus innoxius; ut cadentes se facile erigant, et eos fortia in quibus victores steterant, non extollant.

6753 Nam si currus et equjites vincimus, extolli de victoria non debemus; quia innumerabilia sunt quae cogitando, loquendo, videndo, gustando et audiendo et operando committimus. Hujus namque vulgi innumerabilis tela, etiam ille vitare non poterat qui dicebat, *Jac. 3,2*: In multis enim offendimus omnes: si quis non offendit in verbo, hic perfectus est vir. Hinc item dilectus Jesu loquitur dicens, *1 Jo. 1,8*: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Quis ergo jam quasi victor extolli audeat, si tanti viri peccatorum tela se omnino evadere non posse manifestant?

6754 Altro è cadere per fragilità, altro per incircospezione e negligenza. La prima è quasi utile all'umiltà: la seconda è dannosissima, e guasta l'animo.

Sed quia haec in spirituali bello describuntur, non debemus nunc aestimare quid patimur, sed qualiter hostium nostrorum impetum infirmare valeamus. *Et reliquum vulgus (Philisthinorum) sicut arena quae est in litore maris plurima, 1 Reg. 13,5*: Quia omnis virtus vitiorum et numerus ex saeculi perturbationibus augetur.

6755 Negligenza nella vita religiosa e nel conservar l'ordine, e fuggir dal secolo e da' suoi pensieri. Negligenza nell'orazione.

Maris: [mare est] saeculum, quia dum magna rerum et temporum varietate impellitur, quasi ventis furentibus perturbatur.

In littore, quando impulsa maris aqua refunditur, innumerabiles arenae minutia glomerantur.

6756 Littore: [littus est] cor uniuscujusque in spirituali conversatione negligentis; per ordinem quippe religionis quasi in solido stare cernitur, sed dum saeculares cogitationes non reprimit, quasi frangentes in se maris fluctus excipit et cumulos arenarum, et inde quidem impelli fluctibus et obrui arena potest, unde mari appropinquare non timet. Quia si saeculi cogitationes spiritualium rerum contemplatione reprimeret, vitia mentis et corporis quae saeculi occupatio velut arenas et fluctus invehit, non sentiret.

6757 Vulgus sicut arena: quia maligni spiritus eisdem vitiis electos Christi athletas impugnant quibus negligentes superant. Cum turba quidem saecularis stre-

pitus contra eos veniunt qui saeculum in suis delectationibus spernere tota mente didicerunt. Pompas rerum visibilium formant, contemptum jam saeculi amorem fingendo renovant, ut corda superno amore flammantia ad noxias delectationes trahant. Sed sancti viri quia innumerabilem hanc nequam cogitationum turbam de saeculi pelago prodire considerant, saeculum tota mente fugiendo fieri littora maris vitant, et tantum vulgus hostium jam non timent, quia dum in interna contemplatione se retinent, vitiorum turba ad eos accessum habere non potest.

6758 *Et ascendentes castrametati sunt in Machmas, ad orientem Bethaven, 1 Reg. 13,5*.

Ascendentes: Malignis spiritibus [ascendere est] ad decipienda sanctorum corda per coeleste desiderium alta conari. Bene autem dicitur:

Castrametati sunt in Machmas: quia in illis cordibus resident quae in alto amore coelestium sublimata non vident.

6759 Machmas [interpretatur] humilitas. Humiliari in sacro eloquio pro defectu saepe virtutis accipitur; unde et in hac eadem Regum historia, *2 Reg. 13,1 sqq.* Thamar, David regis filia, quam violasse Amon frater ejus legitur, humiliata perhibetur; corrupta [sive] humiliata est, quia sublimis steterat virgo, et dum altum honoris virginei culmen perdidit, velut de sublimi ad planum et humilem locum venit. De futura etiam superborum depressione dicitur, *Luc. 14,11*: Omnis qui se exaltat humiliabitur quia in examine superni judicis corruunt qui vane de hujus saeculi sublimitate gloriantur.

6760 Castrametati sunt in Machmas (Philistaei), quia per iniqua consilia in eis daemonia habitant, qui alta virtutum culmina tenere non curant. Nam dum terrena quaerunt, velus plana et humilia incolunt, ubi invisibiles hostes castra ponere leviter possunt. De quibus nimirum hostibus per prophetam dicitur, *Isai. 61,23*: Qui dicunt animae tuae: Incurvare, ut transeamus. Erecta quidem, sublimis est anima: incurvata, humilis; quia per virtutum celsitudinem et coeleste desiderium in alta sustollitur; sed quando ad vitia vel saeculi amorem defluit, illuc quidem cadit ubi hanc hostis irruens leviter atterit.

6761 Dicunt animae tuae: Incurvare ut transeamus, quia si hanc ad agenda vel cogitanda terrena non humiliant, nec malignis persuasionibus penetrant, nec vitiorum bello perturbant. Hinc ergo colligere possumus quantum a saeculo actu, verbo et cogitatione longe fieri debemus. Verba quippe nostra, cogitationes et opera plana et humilia sunt, quando saecularia.

6762 Rallentamento, remissione: non curar le piccole colpe né la grande mortificazione.

Per haec quidem ibi sumus ubi occultorum hostium castra libere ponuntur, ubi tanto facilius capi possumus, quanto nulla munitionis arce sublimamur. Quis enim jam fidelis nesciat quia culpas verborum, cogitationum et operum nostrorum

colligant, et ad accusationem nostram in adventu venturi judicis servent? Unde et hunc humilem atque despectum locum Machmas fugiendum nobis esse Dominus insinuat, *Matth. 12,36*: Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die judicii.

6763 In Machmas: Locus ergo hostium humilis dicitur, ut profecto nobis insinuet quia verbo, cogitatione et opere, semper sublimes esse debeamus.

Et quia dum in humili remissionis suae loco reprobi capiuntur, exempla pravitatis ostendunt, quae aliis imitanda proponuntur.

In Machmas ad orientem Bethaven, 1 Reg. 13,5: Ab oriente solis lucem oriri cernimus. Reproborum autem vita, quamquam veritatem obscuritatis habeat, qui hanc tamen pro vana saeculi delectatione semper appetunt, nimirum velut falsae lucis splendore falluntur. *Job. 38,15*: Augeretur ab impiis lux sua. Modo quidem velut lucidum eis placet blandimentum saeculi, sed dum de saeculo exeunt, perpetuas subibunt tenebras, quas lucem esse crediderunt.

6764 Tunc videbunt quia lux non fuit, quando in adversitatem prosperitas, lux in tenebras, risus in moerorem, dulcedo invermem, decor in deformitatem, honor in dedecus, blandimenta in poenas, et aeterna tormenta commutantur. Haec profecto, quia nunc impiorum corda non sentiunt, bonorum mores imitari refugiunt, et exemplo perditorum quidquid de saeculo eis placet sumere nequaquam timent, quia illos imitantur qui per vitam reprobam habitacula daemonum facti sunt.

6765 Bethaven: Unde et merito domus inutilis dicuntur, (Bethaven [interrpretatur] domus vanitatis) quia saepe sanctorum praedicationem suscipiunt, sed verbum quod ab eorum ore audiunt, in se habitare per amorem nequaquam patiuntur. Bethaven: inutilis ergo domus sunt, quia aptam in se Deo habitationem non faciunt; Hanc inutilem domum per semetipsam Veritas designat, Matth. 8,20: Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. *Sap. 1,4*: Quoniam in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitat in corpore subdito peccatis. v. 5: Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu.

6766 Sono illusi dagli inganni del secolo, e restan privi della luce della verità o predicata o inspirata. Seguitano la falsa luce o 'l luccicar degli esempi profani, dei secolari. Distrazione.

Bene ergo inutilis domus in orientis parte Machmas dicitur: *In Machmas ad orientem Bethaven, 1 Reg. 13,5:* Quia qui sanctorum praedicationem spernunt, in reproborum exemplo ima et terrena quaerentium, velut in magnae lucis exortu gratulantur.

6767 Sed dum, loquentibus sacrae historiae mysteriis, malorum conversatio demonstratur, quam sit cauta sanctorum vita subsequenter ostenditur: *1 Reg.13,6*: *Quod cum vidissent viri Jsrael se in arcto positos, (afflictus enim erat populus)*

absconderunt se in speluncis, et in abditis, in petris quoque et in antris et cisternis.

Se in arcto positos [viderunt] quando ab immundis spiritibus intus tentamur, et foris malorum hominus exempla conspicimus.

6768 Contra internam ergo malorum spirituum tentationem, bene dictum est:

Afflictus enim erat populus. Et contra exteriora exempla impiorum hominum.

Absconderunt se, *ibi:* Quia blanda et laeta nobis appetenda callidus adversarius suggerit, qui numquam melius vincitur quam si tentati ad devotae orationis lamenta curramus. Et exempla pravorum vitare citius possumus, si ea etiam respicienda non esse judicemus. Abscondi [enim] sanctorum, est reproba videre dedignari.

6769 Et quia quinque sensus corporis a reproborum imitatione custodiunt, quinque etiam latibulorum genera describuntur:

In speluncis, in abditis, in petris quoque, et in antris et cisternis, ibi: speluncae, montium occulta sunt; quia vero alta in coelesti desiderio sunt corda sanctorum, et malignis spiritibus clausa et inacessibilia sunt, speluncas ingredimur, quando ad mentium secreta recurrimus, ne vagantibus oculis foris concupiscenda videamus.

6770 In abditis abscondimur, quando clausi oris silentia occulta servamus.

Petras ascendimus, quando actum corporis in robusta operatione locamus; unde et de his absconditis per prophetam dicitur sub unius assignatione, *Isai. 33,15*: Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem: qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum; *v. 16*: Iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas ejus.

6771 Non basta operar rettamente: bisogna parlar rettamente, senza timore, quando è d'uopo. Non basta credere: bisogna confessare.

In antris et cisternis: [Eo] intramus, quando et olfactum ab obscaenitatibus mundi, et aures ab audiendis vaniloquiis custodimus.

Cisternae aquarum, sanctarum Scripturarum verba sunt. In cisternis ergo abscondimur quando ad sacri eloquii aquas ingredimur, ut per aurium officium mentium prata rigemus.

6772 Perdere il ritiro, trarsi fuori: mala custodia de' sensi, dissoluzione. Quell'esser sciolto, senza scrupoli; indevozione, spirito [di] mondo: star con tutti.

Bene autem in electorum typo Jsraelis latibula memorantur: quia qui sensus corporis a delectationum carnalium inquinamento non protegit, occultorum hostium gladium non vadit. Dicat ergo occultae illius congressionis victoriam; dicat: Afflictus erat populus. Dicat aperte objecti extra certaminis triumphos: *Absconderunt se, 13,6.*

6773 Afflictio quippe electae mentis omnis diabolicae tentationis perentorius mucro est. Nam dum profunde compungitur, in superni gaudii amore sublevatur, et tanto jam fortius oblata mundi oblectamenta respuit, quanto jam coelestia

ferventius diligit ad quae flendo conscendit. Doctor namque egregius, dicit, *Act. 14,21*: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Qui certe regni introitus sic speratur in fine temporum, ut quotidiana sanctorum vita sentiatur. Tribulatio igitur nostra superni gaudii introitus est.

6774 Merito ergo quoties electa mens in afflictionis suae lamento compungitur, se tribulando hoc obtinet, ut intret in contemplationem illius superni regni in quo ineffabiliter gratuletur. Et dum sancti viri, amatores mundi in flore transeuntis laetitiae videre refugiunt, dum corporeos sensus ab eorum imitatione abscondunt, eorum quae cernitur non est fuga, sed gloriosa victoria. Actus quidem terrenos fugiunt, sed coelestes assequuntur: mundo delitescere videntur, sed coelesti gloriae revelantur. Fugiendo igitur noxia, hostes suos validius insequuntur, et valde nobilius triumphant, cum sic ad coelestia properant, ut eos adversariorum polluta se vitia non contingant.

6775 *1 Reg. 13,7: Hebraei autem transierunt Jordanem in terram Gad et Galaad.*

Hoc profecto, si prius juxta litteram scire volumus, Hebraei isti timore perterriti et ad hostes suos confugisse sentiuntur. Nam non multo post in aperta Jonatae victoria scribitur, *infra* 14,21: Sed et Hebraei qui fuerant cum Philisthiim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt ut essent cum Jsrael; qui erant cum Saul et Jonatha.

6776 Quid vero in hoc facto signatur, nisi quod quotidie in sancta Ecclesia fieri cernimus: bonorum esse tutam et cautissimam vitam, negligentium praecipitem impatientiam? Infirmi quidem et audaces, sunt curiosi ad actiones saeculi, debiles ad tolerandum bellum tentationis. Et si in his nostra discutimus, in monasteriis plerique tales inveniuntur; intra portus quidem tranquilla inhabitant, sed aperti pelagi procellas et tempestatum turbines nequaquam pensant.

6777 Avvilupparsi nei maneggi di politica o negli affari secolareschi. Curiosità.

Cumque foris quasi fortes agere se magna aestimant, ad gravissima tentationum proelia faciles exeunt, ad fortes adversarios impotentes. Ratione quidem improvidi, robore infirmi, sicut astutae tentationis fraudes non intelligunt, ita et apertas blandimentorum decipulas non evadunt.

6778 Traboccar nei diletti carnali. E superano tutti gli altri peccatori: Corruptio optimi pessima. Questo è l'ultimo gradino; ma non siamo ancora al fondo. Anzi Dio permette i peccati carnali come medicina a guarir un maggior male, ch'è la superbia. Se questa medicina, da principio per lo più occulta, non giova, allora si viene al fondo, che è la inobbedienza. Impius cum in profundum venerit, contemnit.

Transierunt Jordanem, 1 Reg. 13,7: quia ad perpetranda carnis flagitia incurvantur.

6779 Jordanem: [qui interpretatur] descensus eorum. Qui ergo justitiam deserunt, ab alto monte virtutum cadunt; quia ergo infirmi quique libenter appetunt mundi blandimenta quae cernunt, in eorum typo non trans Jordanem "perlati" sed Jordanem "transire" perhibentur. Transire volentis est. Transierunt Jordanem qui ad carnales delectationes voluntaria et festina deliberatione flectuntur.

6780 Transierunt Jordanem: possunt intelligi qui noviter peccare incipiunt, sed aliorum peccatorum hominum nequitias peccando transcendunt. Ad descensum quippe eorum desinendo, non transeundo pertingerent, si aliis aequalia mala facerent, et non ea audendo superarent. Et quia in nequiori etiam vita pares suos inveniunt, [sequitur]:

6781 *Transierunt Jordanem in terram Gad et Galaad*, *1 Reg. 13,7*.

Velut enim trans Jordanem habitant qui per peccandi usum malis pejores fiunt. Ab hoc descensu culpae erigere peccatores venerat ille de quo scriptum est, *Luc. 3,3*: Et venit in omnem regionem Jordanis, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Qui de omnibus culpis praedicare poenitentiam venerat, in omnes utique descensus regiones venisse praedicatur.

6782

MEDITAZIONE 50.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 reg. 13,7-14:... Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est, qui sequebatur eum.

v. 8: Et expectavit septem diebus, juxta placitum Samuelis, et non venit Samuel in Galgala: dilapsusque est populus ab eo.

v. 9: Ait ergo Saul: Afferte mihi holocaustum et pacifica. Et obtulit holocaustum.

v. 10: Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat; et egressus est Saul obviam ei, ut salutaret eum.

v.11: Locutusque est ad eum Samuel: Quid fecisti? Respondit Saul: Quia vidi quod populus dilaberetur a me, et tu non veneras juxta placitos dies, porro Philisthiim congregati fuerant in Machmas,

v. 12: dixi: nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, et faciem Domini non placavi: necessitate compulsus obtuli holocaustum.

v. 13: Dixitque Samuel ad Saul: Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui,

quae praecepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Jsrael in sempiternum.

v. 14: Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quaesivit Dominus sibi virum juxta cor suum: et praecepit ei Dominus ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quae praecepit Dominus.

6783 Ora su questa lettera etc. diciamo come vista l'origine del male nella superbia, e il suo progresso nella negligenza, resta a vederne il termino o la consumazione nella disubbidienza alla prima sede, in che viene constituita la causa prossima del decadimento, ovvero esito cattivo della conversazione del reprobo pastore. La colpa: cosa sia. Disobbedienza, [e la] superbia [ne è la] casua. Nihil studiosius vitandum, quam superbia et inobedientia.

6784 *1 Reg. 13,7*:... *Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est qui sequebatur eum. v. 8: Et expectavit septem diebus, juxta placitum Samuelis, et non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo. v. 9: Ait ergo Saul: Afferte mihi holocaustum et pacifica: et obtulit holocaustum.*

Hucusque quia de Saul, ut superius dictum est, electo et bono divinus sermo locutus est, rationabile visum est ut quae de eo dicebantur tam per historiam quam per moralitatem, in bonam partem acciperemus. Nun vero, quia ad locum transgressionis ejus pervenimus, nimirum necesse est ut in eo etiam quae sunt vitanda videamus.

6785 Sed quid unquam studiosius vitandum electis omnibus, quam superbiae et inobedientiae malum videri debuit? Haec quippe primi Angeli sublimitatem deposuit, haec perditorum spirituum gloriam stravit; haec primo homini felicitatem abstulit, haec captivitatis humanae perpetuas aerumnas invexit. Et ecce primo Angelo, primo homini, electi populi per inobedientiam rex primus adjungitur, ut dum magna proruunt, nimia erigantur. Bene quippe erigimus, si illorum lapsus aspicimus et vitamus.

6786 Ubi ergo Saul ceciderit, attente considerandum est. Superius namque ei dixerat Samuel, *supra 10,8*: Descendes ante me in Galgala (ego quippe descendam ad te) ut offeras oblationem et immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis donec veniam ad te, et ostendam tibi quid facias. Idcirco igitur per inobedientiam cecidit, quia integris septem diebus sicut jussus fuerat non expectavit.

6787 In che consiste questa disubbidienza: per avere negletto d'aspettare per brevissimo tempo. Quanto male sia trapassare anche i più piccoli precetti di disciplina ecclesiastica, provenienti dalla prima sede. *Nam in eodem loco repente subjungitur, 1 Reg. 13,10*: Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat.

Quo in loco, trementi corde considerandum est, quam brevissimi temporis expectatione neglecta, repulsus sit.

6788 *Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat*, *ibi.*

Si ergo eum solo temporis brevissimo intervallo expectaret quo obtulit holocaustum, securus jam regni sui robur obtinere potuisset. Itaque si tanta poena est quando propheta despicitur, quid putamus de pelago illo divinae animadversionis incurratur, cum ipsa divina praecepta dissipantur? Et quia in momento transit carnis delectatio et omnis peccatorum commissio, et brevis quidem est hora transgressionis, non tamen brevis poena flagitii; quia dum ad momentum in nobis regnum peccati erigimus, illa regna perdimus omnium saeculorum.

6789 Ammonizione.

Pietro ha la cura di tutta la greggia; ove alcun pastor manchi, accorre a correggerlo, ad emendarlo, a ricovrarlo, essendo egli pur sua pecorella. La Pietra non manca: Confirma fratres tuos, *Luc. 22,32:* Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt, *Matth. 16,18*, nec contra aedificium, nec contra petram in quo fundatur; nam si haec perit petra fundamenti, perit aedificium quod in ea fundatur. O [questa pietra] mi sostiene, o mi schiaccia o, se vi cozzo, mi rompo la testa; se mi appoggio mi assecuro. Ella riprova con autorità e con franchezza, e con verità: Confirma fratres tuos, *Luc. 22,32*, insieme con mansuetudine, per dar luogo al ravvedimento. Stando sulla pietra [si] sta sublime e in onore: ritirandosi dalla pietra, si va nel fango.

6790 Statim enim post peccatum, sermo propheticus venit ut increpet, qui adesset, si non peccaremus, ut in bono roboraret. Polluta quidem conscientia habet jam divinum eloquium contra se, quae si pollui vitaret, ab eo adjuta et relevata proprio vigore subsisteret. Quid enim nobis aliud spiritualiter designat quod dicitur:

Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat? Et si non obtulisset holocaustum, nihilominus et Samuel venisset. Sic nimirum et cum tentamur divina gratia juxta est quae sustinentes adjuvet, juxta et divina justitia, quae deficientes damnet.

6791 Unde sacra Scriptura nos expectare cohortans, ait, *Eccle. 10,4*: Si spiritus potestatem habenti ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima. Hinc propheta testificans ait, *Isai. 50,7*: Dominus Deus auxiliator meus, ideo non suml confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quia non confundar. *v. 8*: Juxta est qui justificat me: quis contradicet mihi? Stemus simul: quis est adversarius meus? Accedat ad me. *v. 9:* Ecce dominus Deus auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur: tinea comedet eos. *v. 10*: Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? Qui ambulavit in tenebris et non est lumen ei, speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum.

6792 Hinc Psalmista vicina eadem auxilia respiciens, Ps. 13,8: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear.

Sed jam Propheta quid non expectanti dicat, quid is qui expectare noluit respondeat, audiamus: *1 Reg. 13,11: Locutusque est ad eum Samuel: Quid fecisti?*

Quid fecisti? Sciebat quidem propheta quid fecerat; sed interrogando inobedientiae factum reprobabat; unde et ad peccantem Adam in paradiso, a Domino dicitur, *Gen. 3,9*: Adam, ubi es?

6793 Potest etiam per hanc interrogationem magnitudo reatus intimari; quasi dicat: Parum tibi videtur quod inobediendo deliqueris: sed a sublimi gloriae tuae culmine cecidisti. Nunc ergo plerique intra sanctam Ecclesiam se flagitiis obruunt, et quasi qui nulla aut minima perdant, securi sunt. Dicatur ergo lapso, dicatur: Quid feciti? Parum tibi videtur quod te peccati sorde pollueris, quia quam aeternitatis gloriam perdideris, quam gehennae poenam merueris, non attendis. Interrogatur quidem peccator quid fecerit, ut ad cor per lamenta perducatur: ut magna se incurrisse sciat, et parum non doleat.

6794 Difesa. Scuse e coperte delli disobbedienti: controversia di qualità giurisdiziale non assoluta, assuntiva: compensazione competente. Relatione - recriminazione. Remozione - translazione. Confessione - purgazione - deprecazione. Vanae imperium detrectantis excusationes.

Sed quia ex radice superbiae ipsa culpa inobedientiae nascitur, solent inobedientes reatus sui magnitudinem objurgantibus doctoribus audire, sed non humiliter confitendo satisfacere. Nam cum sublimes videri appetunt, lapsus suos ostendere dedignantur; et ideo excusationes proferunt, justitiam praetendunt, quia apparere peccatores erubescunt.

6795 *1 Reg. 13,11*: *respondit Saul: Quia vidi quod populus dilaberetur a me, et tu non veneras juxta placitos dies, porro Philisthiim congregati fuerant in Machmas, v. 12: dixi: Nunc descendent Philistiim ad me in Galgala, et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus obtuli holocaustum.*

Ecce qui de magnae transgressionis temeritate arguitur, magnas causas justitiae asserere non veretur: Vidi quod populus dilaberetur a me: Ecce hic asseritur destitutus a populo.

6796 Et tu non veneras juxta placitos dies: hic se ostendit prophetae promissione fraudatum.

Porro Philisthiim congregati fuerant in Machmas: hic pariter objicit imminens periculum congressionis. Quare, ex actione sua verbum subinferens, ait:

Necessitate compulsus obtuli holocaustum. Quasi dicat: Tu me de magno reatu arguis, cum reatus tanto sit levior, quanto non temeritate constat, sed necessitate.

6797 Sentenza.

Vi vorrebbe il consenso: abbiamo il tacito. Ci conviene l'espresso: eccone gli autentici. Questa è la Chiesa dispersa: è infallibile come credente. Mi appello alla Chiesa definiente. Intanto Pio, Clemente XI, Benedetto XIV, Pio VI, Pio VII, che ha fatto abjurare il Ricci, sono tutti eretici. Tutti i Vescovi che adesso hanno giurata cioè obbedienza a Parigi, tutti scismatici. La Chiesa è perita, fallisce il vangelo, non c'è più Dio!

6798 Riprova come giudice supremo. Pasce oves meas, *Jo. 21,17*. Universae illi sunt creditae. Definizione, *Denz. 694*: Beati Petri successorem, Jesu Christi vicarium [il quale giudica] come giudicherebbe Cristo, omnium Christianorum patrem et doctorem, ipsique in beato Petro pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam, plenam potestatem a Christo Domino traditam esse; e però riprova anche quello che noi giudicheressimo scusabile.

6799 Bisogna sottomettere il raziocinio ed esser pronti a dir bianco quel che a noi par nero. Vedi Bolla Unigenitus, *Denz. 551*. Si crede a un lupo travestito da pecora, non si crede al pastore legittimo: definizione della Chiesa universale: Vedi Concilio Florentino, *Denz. 694*. Homines credunt mundo, credunt carni, diabolo: soli Deo veritatis credulitas denegatur. Si crede a un Pascal, a un Quesnel: a Pietro, a Dio non si crede. Si danna un libro: È buono; bisogna estrarne le proposizioni. Si estraggono: questo non è il senso dell'autore. Si dannano nel suo senso: questa è cosa di fatto. È congiunta al diritto: basterà un silenzio ossequioso. Non basta.

6800 Sed qualem eum cognoscat propheta qui se cognoscere noluit, subjungens ait: *1 Reg. 13,13: Dixitque Samuel ad Saul: Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui.* Dum homines despicit, Deum ipsum contemnit. Superbi quique, quia per tumorem supra homines se esse arbitrantur competenter arguuntur, cum eis divina voluntas objicitur quam offendunt.

6801 Saul ergo superborum more arguitur, qui Domini Dei sui mandata contempsisse perhibetur. Quod tale est ac si superbientem et contemnentem terreat, dicens: Et si homines despicis, nunc non consilium hominum sed Domini Dei tui mandata dissipasti. Recte ergo tuum reatum pensas, si illum quem contemnis trementi corde consideras.

6802 Notandum, quia non ait: Non custodisti mandata Dei tui, aut mandata Domini tui; sed: Non custodisti mandata Domini Dei tui; quasi dicat: Ausus magnae transgressionis esset, si ille cujus mandata despicit, tantum Dominus tuus, non etiam Deus existeret; quantum ergo est quod committitur, cum Dei et Domini mandata negliguntur? Quia item non dixit: Domini Dei mei, aut Domini Dei nostri, divinae familiaritatis gratiam eum offendisse redarguit. Quasi dicat: Ejus praecepta contempsisti qui dum te de imo extulit, dum super alios te constituit, dum regem fecit, per impostionem tantorum munerum, velut specialiter tuus fuit. Dei tui: Adhuc quoque subjungitur, unde transgressionis ejus audacia major esse doceatur.

6803 Propria praecepta violare gravius est quam communia.

Nella sua sentenza suprema dichiara il reato della colpa innanzi a Dio, dichiara il reato della pena a nome di Dio.

Qui bona inchoant nec consummant, quanta perdunt. *Quae praecepit tibi, 13,13.*

Quaedam denique Dei praecepta sunt communia omnium, non specialia aliquorum. Ut ergo audacem reum temeritatis suae patenti objectione convincat, non eum praecepta communia, sed propria et singularia contempsisse demonstrat.

6804 Quae praecepit tibi: Quasi dicat: Illa Dei et Domini tui mandata contempsisti quae non velut communia omnibus, sed velut propria et soli tibi sigulariter credita observare debuisti. Sed quid mereatur exponit:

1 Reg. 13,13: Quod si non fecisses, jam nunc praeparasset Dominus Regnum tuum super Jsrael in sempiternum. v. 14: Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Ecce quam magna perdidit qui, ut putabat, nulla contempsit.

6805 Ecce septem diebus prophetam sustinuit, sed dum praestolari eum in fine diei desiit, gloriam tantae dignitatis amisit. Unde *Eccli. 2,16*: Vae his qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. *v. 17*: Et quid facient cum inspicere coeperit Dominus? *v. 18*: Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo illius, et qui diligunt illum conservabunt viam illius. *v. 19*: Qui timent Dominum inquirent quae beneplacita sunt ei, et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.

6806 *v. 20*: Qui timent Dominum praeparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. *v. 21*: Qui timent Dominum custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, *v. 22*: dicentes: Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominis. *v. 23*: Secundum enim magnitudinem ipsius, sic et misericordia illius cum ipso est. - Pater juste, mundus te non cognovit, *Io. 15,25.*

6807 Perdunt sustinentiam qui bona quae inchoant non consummant. Vae his, quia non solum incoepti laboris mercedem perdunt, sed etiam apostatatus sui poena feriuntur. Poena autem superbi et inoboedientis regis declaratur.

Questa pena consiste nel privare il colpevole e nell'autorità di sostituire altri in suo luogo, de plenitudine potestatis. Plenam potestatem a Christo Domino [romano Pontifici] traditam esse (Tibi dabo claves - quodcumque ligaveris - quodcumque solveris, *Matth. 16,19*). [Testimonium dant] S. Tommaso e S. Bonaventura - Conc. Costantinopoli VIII Ecumenico, *Denz. 341*. Lettere ai Vicarj di Tessalonica, Damaso e Sisto I.

6808 *Quod si non fecisses, jam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Jsrael in sempiternum; sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. 1 Reg. 13,13 sq.* Amodo et usque in sempiternum electum regnum paratur, quia qui temporalia

bene ordinant aeternae gloriae sibi sublimitatem parant.

Nunc: Modo quidem electorum regnum paratur, cum per divinam gratiam recte eorum ministeria dispensantur. Quod amodo et usque poroficit in sempiternum, quia de sublimi actione hujus temporis sublimiorem illam aeternitatis gloriam promerentur in coelis.

6809 In finem itaque reprobo regi dicitur: *Nequaquam regnum tuum ultra consurget, 1 Reg. 13,14,* quasi dicat: Dum a temporali rectitudine deficit, ad aeternitatis celsitudinem non pertingit. Vel idcirco ad litteram dicitur: Nequaquam consurget, quia cum ipso corruit, et post ipsum in ejus filiis non remansit. Sed ut livoris poena feriatur, non solum repulsionem suam, sed etiam electionem alienam audire compellitur: *Ibidem: Quaesivit Dominus sibi virum juxta cor suum, et praecepit ei Dominus ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quae praecepit Dominus.*

6810 Per omnia verba haec superbus eliditur.

Quaesivit Dominus sibi virum juxta cor suum: quasi dicat: Ideo eum quaesivit, quia tu juxta cor suum esse noluisti. Eo quod non servaveris quae praecepit Dominus: quasi dicat: Talem virum populi sui ducem constituit, qui praeceptum divini consilii exequatur, virtute devotionis.

Juxta cor suum: Corde ea quae agere volumus deliberare solemus, dum usu nostrae locutionis cor Dei in sacro eloquio ponitur. Cor suum: per id voluntas ejus intima designatur quae a nobis tunc foris agnoscitur, quando inobedientiae praecepta revelantur. Juxta eam sumus, quando hanc et per intellectum agnoscimus, et per amorem custodimus.

6811 Bene ergo de Domino propheta Samuel dicit: *Quaesivit Dominus sibi virum juxta cor suum, et praecepit ei Dominus ut esset dux super populum suum, 13,14:* quia ille aliis utiliter praecipit, qui obedire Deo perfecte jam novit; qui solum hoc praecipit quod ex consilio pro procedit intimae veritatis. Sed quid est quod quasi de praeterito dicitur:

Quaesivit Dominus sibi virum... et praecepit ei, cum non fuerit quaesitus nec ei ut populo praeesset, injunctum? Nam postquam Saul percussit Amalech, eidem prophetae Dominus ait, *infra* 16,1:... Imple cornu tuum oleo et veni, ut mittam te ad Jsai Bethsamitem: providi enim in filiis ejus mihi regem.

6812 Sed haec quaesito facile solvitur, si omnipotentis Dei praescientia et praeordinatio videatur. Ei quidem praedestinare facere est, et apud ipsum jam facta sunt quae ab ipso fieri praeordinata sunt. Unde et de eo scriptum est, Isai 45,11: Haec dicit Dominus Sanctus Jsrael, plastes ejus: Ventura interrogate me super filios meos, et super opus manuum mearum mandate mihi. (Secundum LXX: Fecit quae ventura sunt).

6813 Così mi insegna mia madre, la Chiesa cattolica, apostolica, romana; e a

mia madre lo insegna Dio. Mihi mater: mari Deus. Sta la predestinazione: un dogma; con questa sta la libertà: un dogma. Il come, io non mi curo saperlo: mi basta di credere. Adoro il mistero, rispetto le sentenze delle scuole cattoliche, abiuro l'eresie del p. Quesnelle e della sua setta di perdizione.

6814 Quaesivit Dominus sibi virum: ut eligendorum antistitum forma hominibus praebeatur. Quaerere enim solemus quae aut praesentia non cognoscimus, aut absentia non videmus. Deus autem cui nihil est absens, nihil latens, non dicitur quaesisse virum ut absentem aut absconditum; sed dicitur: Quaesivit, ut omnis qui ad sanctae Ecclesiae culmen eligitur, discutiendus ab hominibus esse doceatur.

6815 Quaesivit... juxta cor suum. Quaeri debet juxta cor suum, ut videlicet non solum divinam voluntatem intelligat, sed bonis operibus ostendat. Quia item electi viri ad honorem primatus non ex ambitione veniunt, sed coacti perducuntur, bene dictum est: Et praecepit ei ut esset dux: quasi dicat: In honorem praelationis non per ambitionem subiit, sed coactus ascendit.

Virum: pro fortitudine.

6816 Juxta cor suum: pro intima caritate. Quando igitur necessitas exigit ad curam sanctae Ecclesiae quaeratur vir ut sit conversatione fortis; quaeratur secundum cor Dei, ut per affectum magni amoris quasi unitus sit divinae voluntati.

Praecepit ei ut esset dux: praecipiatur ei ut sit dux, quatenus sublimitatis ordinem conscendere ex cupiditate non ambiat, sed ex humilitate pertimescat, sicque sibi humilis metuat ut subdi deo devotius agnoscat.

6817 MEDITAZIONE 51.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 13,15-17: *Surrexit autem Samuel, et ascendit de Galgalis in Gabaa Beniamin. Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo qui expugnabat eos, venientes de Galgala in Gabaa, in colle Beniamin. Et recensuit Saul populus qui inventus fuerat cum eo, quasi sexcentos viros.*

v. 16: Et Saul et Jonathas filius ejus, populusque qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Beniamin: porro Philisthiim consederant in Machmas.

v. 17: Et egressi sunt ad praedandum de castris Philisthinorum tres cunei. Unus cuneus pergebat contra viam Ephra, ad terram Saul, v. 18: porro alius ingrediebatur per viam Bethoron; tertius autem vertebat se ad iter termini imminentis valli Seboim, contra desertum.

6818 Ora su questa lettera diciamo come considerata la disobbedienza del pastore nella sua natura e circostanze, cioè nell'ammonizione, difesa e sentenza, seguita oggi a considerarla nelli suoi conseguenti; e per parte del primo pastore che ha dato la sentenza, e per parte del prelato disobbediente che la meritò, e per parte del suo popolo, e per parte delli suoi nemici.

Tutte le Scritture ne insegnano a ubbidire. Quaecumque scripta sunt, ad nostram instructionem etc. ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus, *Rom. 15,4*. La pazienza e l'allegrezza [sono] compagne dell'ubbidienza; la speranza n'è quasi il fiore: frutto [è] l'eterna vita.

6819 *1 Reg. 13,15*: *Surrexit autem Samuel, et ascendit de Galgalis in Gabaa Beniamin,* quia in supradictis verbis propheta lapsi regis vitam reprehenderat.

Quasi ab alto ad planum sanctae Ecclesiae doctor venit, quando peccatorum culpas redarguit, et status sui sublimitatem curvat, cum ad discutienda malorum crimina se per effectum caritatis humiliat. Bene ergo de eo qui peccatorem arguerat dicitur: *Surrexit... et ascendit*. Surgit electus praedicator quando ad altitudinem suae spiritualis conversationis se per intentionem erigit; ascendit autem, quando ad arduam ejusdem vitae suae celsitudinem per consuetum opus venit.

6820 Coelestia quidem desideria, spirituales virtutes, bona opera in sublimi sunt; affectus terreni, concupiscentiae saeculares, vitia et peccata, in infimis. Doctor vero ut lapsos bene corrigat, prius culpas discutiendo invenit, deinde inventas ferit. Ut ergo quae feriat perspicue et aperte videat curvat; sed perspecta non ferit, si ad tangenda ea in infimis non descendit.

6821 La prima sede così stende la mano della correzione, e si piega amorosa ad erigere li caduti, che ella non cade con loro, ma né perde il suo loco. Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos, *Luc. 22,32*. S. Bernardus, *Epist. 190 ad Innocentium*: Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum; cui enim alteri sedi dictum est aliquando: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua? *Luc. 22,32*.

6822 *Surrexit Samuel et ascendit, 1 Reg. 13,15*: Quia electi doctores sic ad ima nostra videnda et emendanda plerumque veniunt, ut redire statim ad alta conversationis suae nunquam obliviscantur. Quibus etiam verbis sacerdotalis animi libertas asseritur; nam plerique alios increpant, qui semetipsos validissimo irae bello perturbant; post increpatas vero culpas surgere et ascendere nequeunt, quia in semetipsis turbidi, ad alta intimae quietis progredi nequaquam permittuntur. Quidam coërcendas aliorum turpitudines audiunt, sed cum ad cogitanta ima descendunt, noxia eorum delectatione sordidantur. Infirmi quidem, et tanti ministerii impares, dum solvere inferius aliorum nodos gestiunt, illos non liberant, sed semetipsos li-

gant.

6823 Quid ergo significat quod de Samuele dicitur: *Surrexit et ascendit*, nisi quod de perfectioribus viris aspicimus, qui sic nostra inquinamenta respiciunt, ut ab eis nequaquam sordidentur: sic nobis irascuntur ut quieti intus, secreti sui alta conscendere velociter possint? Fortes namque et potentes sunt et qui magna et fortia sua leviter ferunt, nostris infirmitatibus non gravantur.

6824 [Il Pastore supremo] corregge i difetti nella fede e costumi, per la interpretazione sicura delle Scritture e della tradizione, nella tradizione della sua Chiesa. S. Girolamo perplesso se debbano dirsi tre ipotesi in Dio, non ricorre a' lumi della sua mente, né alla sua profonda erudizione, né ad un futuro generale concilio, ma all'autorità della Cattedra di Pietro: Beatitudini tuae, idest Petri cathedrae communione consocior, *Epist. 15,2 ad DAmasum, t. 1,38 A.*

6825 Et quia in correctione nostra sacrae Scripturae testimonia proferunt, [sequitur]: *Surrexit... et ascendit de Galgalis,* [latine] rota. Testimonia Scripturarum [sunt] rotae, quia per diversos sensus in nostra eruditione volvuntur. Et quia cum sancti praedicatores subditorum sollicitudinem deserunt, in aeternae vitae contemplationem sublimantur, [addit]: *Ascendit... in Gabaa Beniamin,* [sive] collis filii dextrae.

Filius dextrae [ille est] quem sancta evangelia confitentur ad coelos ascendere et ad dexteram Patris sedere. Collis filii dextrae [est] aeterna celsitudo Redemptoris. Quando enim ima nostra sancti praedicatores deserunt, in alta illa divina redemptoris per intentionem surgunt, et per visionem conscendunt.

6826 Pastores ab inobedientium consortio se subducant. Minacciano una intera separazione a quelli che non si rimettono. Potest et secundum historicum sensum simplicius intelligi hoc quo dicitur: *Surrexit... et ascendit*: quia videlicet in rege quem arguerat, humilitatem poenitentiae, qua manere cogeretur, minime cognovit. Idem tamen rex in ministerio relinquitur, ut ipsa prophetae separatione corrigatur; quia plerumque quos praedicatoris verba non corrigunt, dividi a praedicatorum familiaritate vel a sanctae ecclesiae unitate pertimescunt.

6827 Juxta praedicatores duri sunt, sed separati resipiscunt; et qui inobediendo peccaverunt, obedire Deo jam humiliter parant. Unde et rex Saul, *infra 15,1 sqq*. non multo post demoliri Amalecitas praecipitur, ut si mandatum Domini ejusdem caede gentis perficeret, prioris inobedientiae nexus enodaret. Separatus quidem a propheta ea agere visus est, ut ad agenda alia jeberetur.

Quare et subditur:

6828 Justa piaque pastorum severitate rejecti, quid agere debeant.

Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo qui expugnabat illos, venientes de Galgala in Gabaa, in colle Beniamin, 1 Reg. 13,15.

Nonnulli sic in peccato corruunt, ut in nullo bono opere teneantur. Nonnulli

vero dum mala se perpetrasse recolunt, agere bona instanter conantur. Agendo quippe bona, mala quae relinquunt operiunt, ne ab aeterno judice detecta judicentur. Hoc nimirum si factum Saul in bonam partem deducimus, hoc invenimus: quia qui prius in sacrificio metuens, prophetae mandata contempsit, postea vero ad eos quos metuerat conterendos populi Dei adversarios festionat.

6829 Saul dopo la disobbedienza esteriormente si porta bene, levandosi a ben fare e rimettendosi alle Scritture; interiormente segue la superbia, onde ne avvisa a spaventarsene della separazione, e dello studio delle Scritture con lo spirito privato; perché il bene che si fa quindi non è che esteriore, nella scorza, guastandosi sempre più il midollo, fino a corrompere affatto anche l'esterno.

6830 Notandum quia quam propheta deseruit (Galgalis), ad experienda bella hostium in Galgalis ascendit; plerosque enim peccatores justa praedicatorum severitas projicit, quos tamen divina memoria non relinquit. Solatia et adhortationes rectorum propter culpas amittunt, sed sacras Scripturas consulunt, propositum resumunt, et qui inobedientiae malo velut lapsi jacuerant, erecti per obedientiae fervorem ad occultorum hostium bella procedunt. Bene ergo dicitur:

Venientes de Galgala, *ibi*, [sive de] rotis: quia de sacris Scripturis accipiunt unde aversae partis militiam comprimere fortiter possint.

6831 Il popolo è sempre l'ultimo perdere l'unità della carità e della fede.

Quia vero perditae conversationis altitudinem recuperare vincendo satagunt, [sequitur]: *Venientes in Gabaa in colle Beniamin, ibidem:* Quia item alii in latibulis se clauserant, alii ad hostes confugerant, reliqui populi vocantur qui nullo sunt timore conterriti, sed cum rege suo ad locum festinant congressionis. Quod etiam nunc in Ecclesia videmus; quia videlicet plerique quasi parvuli proficere per privatae vitae studium proponunt; plerique fortes, in expositis quoque maligni hostis certaminibus audaces sunt, ut aperte videant saeculi blandimenta quae appetant, sed appetere visa contemnant.

6832 Qui sint in Ecclesia fortes operarii.

Hi quidem non in latibulis, sed in aperti certaminis campo consistunt, expositi ad proelium, fortes ad triumphum; qui pugnare possunt et nequeunt superari. Unde et per perfectum numerum designantur: *Et recensuit Saul populum qui inventus fuerat cum eo, quasi sexcentos viros, 1 Reg. 13,15*.

Septem quippe hebdomada impletur, sed unus eorum ad operandum prohibitus est, sex vero in boni operis studio conceduntur: centenarius autem numerus summam continet numerorum. Sexcenti [ergo] viri [eos significant] qui opere et cordis deliberatione fortes sunt. Nam quidam fortia proponunt; sed quia quod proponunt non faciunt, ad sexcentorum virorum numerum non pertingunt.

6833 Sexcentos viros: [Hi sunt] fortes operarii sanctae Ecclesiae, quia magna proponunt, et vigorem propositi fortitudine complent bonae operationis.

Qui inventi fuerant cum eo, quasi sexcentos viros: [inventi] cum rege: quia cum pastoribus sanctae Ecclesiae in bona voluntate et pia actione conveniunt, (cum eo) a quibus nec voluntate discrepant, nec operatione discordant.

Inventi... cum eo [dicuntur], ut excellere praedicatorum dignitas sentiatur; quia etsi bonum subditi, quod praedicatores volunt, faciunt, illi tamen in eodem bono praecipui sunt, quorum ut ordo est celsior, ita et ardentior virtus animi, et robustior nixus operationis.

6834 Quare et separatim de rege et filio ejus dicitur: *1 Reg. 13,16*: *Et Saul et Jonathas filius ejus,* quia actio boni praesulis clare esse singularis. Et quia omnium fidelium subditorum non est uniformis aequalitas, [sequitur]: *Populusque qui inventus fuerat cum eis erat in Gabaa Beniamin, ibi*.

Gabaa [latine] collis, non summitas, sed montium est altitudo, summitati vicina, [qua significatur] alta et perfecta vita fidelium subditorum. Haec nimirum, quamvis praedicatorum celsitudini aequa non sit, tamen ab aliorum meritis valde cernitur esse sublimis; unde et de quibusdam praecipuis electis in Apocalypsi legitur, *Apoc. 14,13*: Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quattuor millia, qui empti sunt de terra; quos et clarius demonstrans [sequitur]: *v. 14*: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.

6835 Dum ergo spiritualia proelia describuntur, [dicit]: *Recensuit Saul populum... populusque qui inventus fuerat cum eis in Gabaa Beniamin, 13,15 sq.:* quia virginum chorus contra immundorum spirituum ferocitatem tanto violentior est, quanto nullo eorum vulnere saucius, nulla eorum suggestionis sorde pollutus. Liber quippe et integer, expeditus est ad occursum, fortis ad ictum. Annon in colle *filii dextrae* sunt quos, integritatis suae merito, dilectus Jesu respicit, *Apoc. 14,1*: Et vidi: et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quattuor millia. Sed et nisi valde fortes essent ad tantam celsitudinem fatigati ascendere nequaquam possent. Item nisi omnium cogitationum liberi essent, post agnum ubique currere non valerent. Quia ergo in occulti certaminis triumpho virgo quisque mirabilis est, dum ordo congressionis describitur, sub typo populi Gabaa, virginitatis specialis dignitas memoratur.

6836 *1 Reg. 13,16*: *Porro Philisthiim consederant in Machmas. v. 17: Et egressi sunt ad praedandum de castris Philisthinorum tres cunei.*

Tres cunei: [tres cuneos] faciunt Philisthaei, quia maligni spiritus, cordi nostro, linguae et operi inserere perversa moliuntur. Quia enim cogitando, vel loquendo, sive faciendo omne peccatum committitur, Philisthinorum tres [sunt] cunei: quia maligni spiritus impellere ad peccandum animas satagunt negligentia cordis, effraenatione oris, audacia perversi operis.

6837 Quando comincian gli Scismi, i demonj sono più feroci contro a que' che

comincian a restar soli. Ubi sunt duo vel tres congregati, ibi sum in medio eorum, *Matth. 18,20*; ma dove si disgregano non c'è più Cristo.

Cominciano da' pensieri a toglier la fede; dalle parole calunniose, mordenti la Chiesa [e] la prima Sede, a togliere la carità. Gli eretici si lagnano che non abbiamo carità con loro: essi vorrebbono unirsi, ma noi ce ne allontaniamo. Si uniscano essi a noi! Ma vorrebbono che noi si unissimo a loro. Noi siamo di questa sentenza perché crediamo: Credidi, propter quod locutus sum, *Ps. 115,10*. Essi [ne] tengano [pure un']altra, perché non voglion credere, [o meglio] perché non possono. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis? *Io. 5,44.* Bisogna fissare un centro di unità: ma questo essi abbattono e distruggono.

6838 *Unus cuneus pergebat contra viam Ephraim ad terram Saul, 1 Reg. 13,17*: quia expugnare innocentiam a corde incipiunt. Via Ephraim [idest] fructiferi cordis, est bona cogitatio. Unus cuneus pergebat contra viam Ephraim: quia occulti adversarii, si prius usum bonae cogitationis a mente non auferunt, ad eradicandos virtutum ejus fructum pervenire non possunt.

Pergebat contra viam Ephraim, quando bonae cogitationi insidiantur; quae via *ad terram Saul* tendere dicitur, quia mens electi discipuli [est] frugifera valde terra doctoris. Unde et Dominus in Evangelio parabolam seminum exponens, ait, *Luc. 8,15*: Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

6839 Dicitur ergo de primo cuneo Philisthinorum: *Pergebant contra viam Ephraim, 13,17*: ut dum litterae sensum spiritualem percipimus, cogitationis aditum malignis spiritibus obstruamus. Sed dum cor munimus, linguam pariter a superfluis locutionibus refraenare compellimur.

Porro alius ingrediebatur per viam Bethoron, 13, 18: Bethorun [sive] domus irae, mens [est] usui serviens linquae litigiosae. Quam certe domum sapiens ille inhabitat, qui ait, *Eccle. 7,10*: Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiscet: per hanc quidem ad cor stulti hostes ingrediuntur:

Alius ingrediebatur per viam Bethoron, quia maligni spiritus dum ad effraenata verba linguam solvunt, iras accedunt, et mutuam fidelium caritatem feriunt. Qui ergo cavere cogitationes noxias didicit, si oris custodiam tenere non novit, unius cunei impetum vicit, alterius non evasit.

6840 Tolgono ogni buona operazione meritoria e spogliano delle virtù, lasciando nei vizi. I greci cominciarono a diffidar nella fede, poi mancarono nella unità, ora sono nelle tenebre dei vizj, facendo perdere l'eterna vita, perché fuor dell'arca non c'è che naufragio: non più nell'acqua ma nel fuoco.

Tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim, contra desertum, 1 Reg. 13,18.

Tertius... verterat se ad iter termini: Terminus cogitationis et verbi [est]

consummatio boni operis. Nam idcirco bona cogitamus et loquimur, ut ea ad finem boni operis perducamus. Sed cum antiquus hostis verbis et cogitationibus nocere non praevalet, in finem laqueos tendit, et bonum opus fidelium evacuare vel impedire appetit.

6841 Iter termini [est] studium bonae operationis. Quia ergo multis insidiis maligni spiritus nituntur, ut studium boni operis deseratur, [didicit]:

Tertius... verterat se ad iter termini. Termini: [hoc verbo intelligitur] etiam vitae nostrae finis.

Tertius... verterat se ad iter termini: quia interrumpere hostis opus bonum nititur, ne usque ad vitae finem perducatur. Unde et psalmista, lapsorum fletus in se exprimens, ait, *Ps. 139,6*: Absconderunt superbi laqueum mihi, et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi; ut bona electorum opera ante hujus vitae consummationem deserantur. Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego, donec transeam, *Ps. 140,10.*

6842 *Iter termini imminentis valli Seboim contra desertum, 1 Reg. 13,18*.

Iter termini [est] peregrinatio vitae temporalis, quia humana natura, quae in paradiso fuit posita, ad perferendas hujus mortalitatis aerumnas in hoc saeculum est ligata. *Tertius verterat se ad iter termini, ibi*: quia maligni spiritus in hac terra peregrinationis nostrae proelia contra nos movere possunt, in illa vero vita nostra non possunt. Sed electorum conversatio, quamvis in hoc captivitatis exilio posita sit, si iter termini perfecte custodit, post termini hujus angustias, ad altitudinem immortalitatis pervenit.

6843 *Termini imminentis valli Seboim, ibi*: [sive] caprearum. [Vallis caprearum est] mors pretiosa sanctorum, quia unde moriendo deponuntur, inde ad gaudia aeterna sublevantur. Dentes tui sicut dentes caprarum, quae ascenderunt de lavacro gemellis foetibus, *Canticum 4,2*. Capreae [enim sunt] velocia animalia, et magnos dant saltus, [quibus] sanctarum animarum dignitas [designatur], quae in morte corpora deserunt, et magnos saltus dantes, per ingentia merita ad superna regna conscendunt.

6844 Iter termini imminentis valli Seboim: quia etsi damnata est humana conditio, sic tamen est in Dei filio exaltata, ut cum ad vitae temporalis terminum ducitur, in morte datur, ut in aeternae vitae celsitudinem sublevetur.

Tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim, ibi, ut malignos spiritus ad hoc electorum extrema bona pervertere conari asserat, ut ad superna gaudia non conscendant.

Vallis Seboim contra desertum, ibi, [est] infernum. Desertum infernum [est] ubi electorum nullus invenitur, in quo aerumnarum solatia nulla sentiuntur. Vallis Seboim contra desertum, quia sanctorum mors diversum omne ab inferni meritis habet, et conveniens aliquid et dignum inferni poenis non habet.

6845 # MEDITAZIONE 52.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 13,19-23: *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Jsrael: caverant enim Philisthiim ne forte facerent Hebraei gladium aut lanceam.*

v. 20: Descendebat ergo omnis Jsrael ad Philisthiim ut exacueret unusquisque vomerem suum et ligonem, et securim et sarculum, (piccola marra ad uso di sarchiare, ripulire dall'erbe salvatiche tagliandole col sarchio).

v. 21 Retusae itaque erant acies vomerum et ligonum, et tridentum (forca a due o tre rebbj per rammontar paglia etc.) *et securium, usque ad stimulum corrigendum.*

v. 22: Cumque venisset dies proelii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi qui erat cum Saule et Jonatha, excepto Saul et Jonatha filio ejus.

v. 23: Egressa est autem statio Philisthiim ut transcenderet in Machmas.

6846 Ora su questa lettera edificato etc. diciamo come avendo considerata la disobbidienza del reprobo pastore nella sua natura, nelle sue circostanze e ne' conseguenti, prima che ne veggiamo gli ultimi effetti, o siano i frutti più velenosi, resta che ne consideriamo, quasi in sullo sbocciare e rompere, le prime gemme infauste, e i fior mesti e gravi di questo tetro aconito o nappello.

[SPUNTO PER IL TERZO PRELUDIO]: Orazione. Voi per ubbidire alla legge che non vi obbligava, avete sostenuto oggi il taglio doloroso della circoncisione: e vi prego per quell'amaro taglio della circoncisione a darmi grazia onde levare il mio spirito a Voi per etc.

6847 *1 Reg. 13,19*: *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Jsrael; caverant enim Philisthiim ne forte facerent Hebraei gladium aut lanceam. v. 20: Descendebat ergo omnis Jsrael ad Philisthiim ut exacueret unusquisque vomerem suum et ligonem, et securium et sarculum.*

Haec profecto omnia describuntur, ut modus subsecuturae victoriae insinuetur. Armati quippe ab inermibus victi sunt, ut totum quod vincitur omnipotentis Dei laudibus tribuatur. Nos autem, si more nostro spiritualiter ista prosequimur, mysteriis vascua non inveniemus.

6848 Arma nobis suppeditant non humaniores, sed divinae litterae. Prosunt tamen [humanae litterae] ad sacrae Scripturae intellectionem.

Per lo studio della Scrittura giova:

- Grammatica - Studio delle lingue latina, toscana: esotiche, orientali, greca, ebrea, siriaca, araba, caldea, armena.
- Geografia, cronologia.
- Storia profana;
- Rettorica, poesia, erudizione antica e moderna.
- Fisica, astronomia, matematica.
- Dialettica, etica politica, jus naturale.

Ut saecularia nesciamus, diabolus est auctor. Le lettere umili sono una gran cosa, anche per l'orare e 'l meditare.

6849 *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Jsrael, 13,19:* quia ad spiritualia bella non per saeculares litteras, sed per divinas instruimur. Faber ferrarius non inveniebatur in... Jsrael, quia fideles Domini videntes, arte saecularis scientiae contra malignos spiritus nequaquam proeliantur. Fabri namque arte adjuti vincerent si saecularis eloquentiae jaculis occultis hostibus praevalerent; quae profecto saecularium librorum eruditio, et si per semetipsam ad spiritualium sanctorum conflictum non prodenst, si divinae Scripturae conjungitur, ejusdem Scripturae scientia subtilius eruditur.

6850 Ad hoc quidem tantum liberales artes discendae sunt, ut per instructionem illarum divina eloquia subtilius intelligantur. A nonnullorum cordibus discendi desiderium maligni spiritus tollunt, ut et saecularia nesciant, et ad sublimitatem spiritualium non pertingant. *Caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebraei gladium aut lanceam, 1 Reg. 13,19*. Aperte quidem daemones sciunt quia dum saecularibus litteris instruimur, in spiritualibus adiuvamur; cum ergo nos ea discere dissuadent, cavent ne lanceam aut gladium faciamus.

6851 Dicat ergo historia, et studium sanctorum propheta insinuet et exponat: *descendebat... ad Philisthiim*: [Descendimus] quando ad discendos saeculares libros animum inclinamus. Descendebat: quia christiana simplicitas in alto est; saeculares litterae in plano esse dicuntur, modus vero docendi sublimis; quia cum coelestia nulla narrent, et miro dicendi ordine quae proponuntur explicant, et narrando sublimantur, et carnalia dicendo deponuntur.

6852 Quem profecto dicendi sive intelligendi modum qui scire appetit.

Descendebat... ut Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum et ligonem; [descendat] ut ad saecularium etiam carnalia audienda deponatur, qui eorum eloquentia instrui penitus nititur. Hanc quippe saecularem scientiam opnipotens Deus in plano anteposuit, ut nobis ascendendi gradus faceret, qui nos ad divinae Scripturae altitudinem levare debuisset. (M. Rollin). Idcirco eam praemittere voluit, ut in ipsa nos instrueret ad spiritualia transire.

6853 Unde et Moyses qui nobis divinorum eloquiorum principia èdidit, non

prius divina dìdicit, sed ut capere vel exprimere divina posset, in omni Aegyptiorum scientia rudem animum informavit. Isaias etiam prophetis aliis eloquentior èxtitit, quia nec ut Hieremias Anathorites, nec ut Amos armentarius, sed nobiliter instructus atque urbanus fuit. Paulus quoque vas electionis, ante ad Gamalielis pedes instruitur, quam repiatur in paradisum, vel ad tertii coeli altitudinem sublevetur, *Act. 22,3. - 2 Cor. 12,2.* Et ideo fortasse per doctrinam Apostolis excedit, quia futurus in coelestibus, terrena prius studiosus dìdicit.

6854 Sed am, ut arbitror, ruralium instrumentorum proprietates spiritualiter exquirendae sunt.

Vomerem suum: [vomere] qui praeeuntibus bobus trahitur, affectus geminae caritatis insinuatur.

Ligonem: [ligone] quo solus quisque in agri cultura exercetur, privatae vitae studium ostenditur. Quidam namque et dites et fortes ruricolae in bobus arant, quia et Dominum fortiter diligunt, et per fraternum amorem animarum lucris diligentius intendunt. [Sequitur]:

Ad Philisthiim, ut exacueret unusquesque vomerem suum, 1 Reg. 13,20, [sive] apud fabros Philisthinorum; quia [hi] sanctae praedicationis studium de saeculari eruditione componunt.

6855 Sai che là corre il mondo ove più versi...

Lucretius, *lib. 1 et 4:898*

Ac veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore
Ut puerorum aetas improvida ludificetur
Labrorum tenus; interea praeponet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur
Sed potius tali facto recreata valescat.

6856 Nonnulli vero ut pauperes ligone utuntur, quia qui ad lucrandas aliorum animas se non posse sufficere arbitrantur, sibi solis non desinunt praeparare de aeternitate quod possint. Ligone velut utitur quisque eorum, quia agrum suae mentis divino cultui praeparare non desinunt. Et quia in hoc etiam privatae vitae studio valde sibi saecularis eruditio prodest, exacuit (cum docetur) ligone, quia in propriae vitae studio eruditus, quaequae subtilius intendit.

6857 Securi non terram fodimus, sed ramos arborum detruncamus. [Quae] zelus bonae aemulationis signat. Nam quando ad imitando meliorum exempla succendimur, velut ramos nobis incidimis, quibus ignem depellendis negligentiae nostrae frigoribus nutriamus. Non multis [autem exemplis] opus est, sed efficacibus. [Haec] facilius intrant sed et haerent. Hanc securim nos tenère Paulus apostolus praecipit, *Gal. 4,18*: Bonum autem aemulamini in bono semper.

Exacuerent... securim: quia eruditi fideles sicut melius agnoscunt exempla fidelium, ita et ferventius imitari concupiscunt.

6858 Sarculum tridens subtilius terram fodit, ita ut non tam fodere quam scalpere et glebas confringere cognoscatur. [Per] sarculum tridens, virtus discretionis exprimitur, per quam certe dum acta vel agenda subtili consideratione discutimus, velut serendae terrae nostrae glebas in tenuem pulverem complanamus. Sarculum tridens [est], quia vis discretionis non solum agenda, sed etiam cogitanda et loquenda componit. A manu quidem, corde et lingua cuncta noxia reserat, ut semen quod terrae mentis nostrae committimus, uberem fructum ferat.

6859 *Descendebat ergo omnis strael ad Philisthiim ut exacueret unusquisque vomerem suum et ligonem, et securim et sarculum, 1 Reg. 13,20*, quia affectum geminae caritatis, privatae vitae studium, alienae perfectionis exempla in sacro eloquio legimus, sed ejusdem sacri eloquii profunditatem penetrare, ignari saecularis scientiae, non valemus. Unde et rationabiliter subinfertur: *1 Reg. 13,21*: *Retusae itaque erant acies vomerum, et ligonum et tridentum, et securium usque ad stimulum corrigendum*.

6860 Il popolo [si trova] nella ignoranza della dottrina cristiana quanto ai dogmi più necessari e alla legge divina, e al modo di ricevere i sacramenti.

Retusae... acies: senza filo, ottuse; nam replicatae aut attritae (ripiegate o consunte, o rotte o guaste) nihil incìderent.

Retusa, etsi celeriter non incidit omnia, quaedam objecta in mora laboris secat. Sic nimirum sunt corda simplicium; quae si subtiliter spiritualia non intelligunt, acuitatem ingenii non acutam habent, sed retusam. Saepe enim discutere obscura volunt, sed dum vix diu cogitando ad ea etiam quae sunt aperta perveniunt, velut retusa acie morando incidunt.

6861 Quod certe non solum in occultis sacramentis Scripturarum ostenditur, sed etiam in latentibus suggestionibus daemonum. Depellere quippe a se hostem nequeunt, quem cognoscere cito non possunt. Dum ergo magna mora cogitationis insidias malae suggestionis expellunt, velut retusa acie secant, quod per acuitatem intenii abscindere velocius poterant.

6862 Sacerdoti e pastori. Pastori del secondo ordine muti per ignoranza e ciechi. *Usque ad stimulum corrigendum, 13,21*.

Stimulus (pungetto) [est] increpatio praelatorum. *Eccle. 12,11*: Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defici, quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. *v. 12*: His amplius, filii mi, ne requiras. Stimulus, quia dum culpas arguit, mentem pungit. Sed retusus est stimulus, quando praelati languet intellectus, ut subditorum culpas nec cognoscendo reperiat, nec inveniendo reprehendat. Stimulus [est] increpatio rectoris; quia tumores vitiorum pungere non praevalet, si ejus mens erudita per scentiam pungenda non videt.

Unde et in typo eruditorum praelatorum bene subjungitur:

6863 *1 Reg. 13,22*: *Cumque venisset dies proelii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi qui erat cum Saule et Jonatha, excepto Saul et Jonatha filio ejus.*

Lancea [est] sanctorum praedicatorum acuta providentia: ensis, eorum intelligentiae subtilitas. Per lanceam longe nobis ante objecta perfodimus; per ensem, vicini et fere nobis conjuncti hostes trucidantur. Lancea [est] providentia electorum, per quam occultos hostes percutiunt, antequam vicinum eorum impetum patiantur; dum enim futuras daemonum insidias cavendo praeveniunt, velut a longe lancea feriunt, quorum vicinos excipere ictus nolunt.

6864 Unde et apostolus Paulus, dum a longe armatos fornicationis spiritus cerneret, coniugalem castimoniam quasi lanceam tenuit, et eos accedere propius non permisit, *1 Cor. 7,2*: Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat. *v. 3*: Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. *v. 4*: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. *v. 5*: Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram.

6865 Hinc etiam de semetipso ait, *1 Cor. 9,27*: Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte sul aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. Qui enim ne reprobus fieret corpus castigaverat, nimirum lancea hostes suos longiuscule positos, ante se perfodiebat. Providentia ergo abstinentiae pro edomanda carnis libidine quasi lancea accipitur, per quam venturi hostes feriuntur. Per ensem intellectus exprimitur, quia qui pravas maligni spiritus suggestiones in praesenti tempore cognoscit et abjicit, velut vicinum et juxta se positum hostem ferit. Qui etiam velut ense utraque parte acuto incidit, quia tam falsa bona, quam vera mala reprehendit.

6866 *Non est inventus ensis et lancea in manu totius populi qui erat cum Saule et Jonatha, excepto Saul et Jonatha filio ejus, 1 Reg. 13,22*.

Sed in manu non sunt eorum qui acute vicina et praesentia intelligunt, et futura praevident, et ad extinguenda ea fortia non exercent. Aperte sciunt, quia antiquus hostis maximam partem humani generis per robur carnis in fornicationem praecipitat; qui tamen carnem per abstinentiam castigare non curant. Sic etiam nonnulli praesentia mala conspiciunt, sed haec vitare minime conantur. Hi nimirum ensem et lanceam habent, sed in manu non habent.

6867 [Tale situazione] rende in altri inutile la scienza acquisita, perché non l'adoprano. È in testa, non alla mano. Sanno bene in speculativa per la scienza: errano sformatamente in pratica per difetto di probità: il raziocinio pratico è guasto. Sanno per combattere la Chiesa con paralogismi, e sostenere lo scisma: non sanno per salvare se stessi ed altrui.

Saule la tiene in mano: cioè ha l'intenzione ancora di adoperar e di giovare; ma non gioverà [a] nessuno, perché quando i generali non istanno all'obbedienza dell'imperatore o capo generale, resta loro oziosa la spada in mano, ovvero torna in rovina del tutto il valore particolar fuor d'ordine, di tempo etc. d'una parte. Manca lui lo spirito di Dio, il quale diriga la mano e le fa dare i colpi giusti. Qui docet manus meas ad proelium, *Ps. 143,1.*

6868 Dio per altro tiene li suoi eletti anche tra li nemici, e vi lascia alcuno pure per guida, com'è Gionata. Questi ha la spada in mano, e ne usa con frutto. I demonj attentano con tutto l'impeto la semplicità de' fedeli, e Gionata li salverà.

1 Reg. 13,22: Cumque venisset dies proelii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi... excepto Saul et Johatha filio ejus: quia solum electi viri sunt qui et praesentia et futura mala intelligant, et ea cordis intentione vincere ardentius concupiscant.

6869 Quod tamen hoc loco ideo dicitur, ut populus nihil in manu tenuisse doceatur, qui vomeres, ligones, secures et sarculos tenere ostenditur. His enim verbis non electi distinguuntur a reprobis, sed hebetes a peritis. Sed quia jam armatos viros ostendimus, modum certaminis explicemus: *1 Reg. 13,23*: *Egressa est autem statio Philisthinorum ut transcenderet in Machmas.*

Egressa est autem statio Philisthinorum: quando malorum spirituum turba electis mentibus per suggestiones noxias demonstratur. Quae *statio* idcirco dicitur, quia electorum bella describuntur.

6870 Stare, malignis spiritibus est in electorum pugna magnas vires exercere; nam stando validius unusquisque quam sedendo conari ad aliquid faciendum potest.

Egressa est autem statio Philisthinorum: ut daemonum conatus in bello nostro aperte colligatur. Et quia velut se inferiores atque minores opprimere fideles cogitant, [dicitur]: *Ut transcenderent in Maghmas.* Vel [transcendunt] quando parvulorum corda decipere tentando moliuntur.

6871

MEDITAZIONE 53.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 14,1-3: Et àccidit quadam die, ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: Veni et transeamus ad stationem Philisthinorum quae est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicavit.

v. 2: Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa, sub malogranato quae erat in

Magron, et erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum.

v. 3: Et Achias filius Achitob, fratris Ichabod filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed et populus ignorabat quo isset Jonathas.

6872 Causa - origine - porogresso - termino - esito cattivo.

Ora su questa lettera edificato il senso etc. diciamo come dopo aver considerato la disobbedienza alla prima Sede, come trista causa del decadimento del reprobo pastore, nella sua natura, circostanze e conseguenti, e prossime disposizioni al perfetto suo parto, resta ora che ne consideriamo il frutto, o sia l'effetto ultimo e più esiziale, cioè l'esito cattivo della conversazione del reprobo pastore. E poiché Iddio dovunque ha li suoi eletti e cari [e] li salva, vedremo primo la provvidenza circa di questi, e come li mette in securo, e con quai mezzi.

6873 [*Rifacimento del numero precedente*]: Avendo già considerata la disobbedienza del reprobo pastore alla prima Sede nella sua natura, circostanze, conseguenti, e ultime disposizioni al compiuto suo effetto, disobbedienza che vedemmo nata dalla superbia occulta, derivata per una serie d'insensibili cadute di negligenza, e perciò rilevata questa causa esiziale nella sua origine, progresso e termino, resta ora che veggiamo l'effetto.

6874 [*Altro rifacimento dello stesso numero*]: Riconosciuta la causa dell'esito cattivo della conversazione del reprobo pastore, cioè la disobbedienza alla prima Sede nella sua origine (= superbia), progresso (= serie di successive cadute o negligenze), termino o consummazione (natura [delle] circostanze conseguenti, disposizioni più prossime all'effetto) seguita ora che questo esiziale ultimo effetto consideriamo, cioè l'esito cattivo etc. E perché alla corruzione del capo si guastano le membra, secondo quello: sic populus, sic sacerdos, vedremo come prima Dio ne salva e ne cava i suoi eletti: li stromenti con che salva - le vie per che salva - il modo con che salva.

6875 Jonata, guida degli eletti sudditi d'un reprobo pastore, altri li salva mettendoli in sicuro col suo valore, altri salva portandoli seco alla guerra, compagni della sua gloria; insegna loro l'arte di combattere, li guida alla pugna onde trionfino. Dum nos ad pugnam provocant, ipsi priores pugnant. Li salva con gran gloria tra le maggiori burrasche, portandoli alla esecuzione de' consigli.

6876 *1 Reg. 14,1: Et accidit quadam die ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: Veni, et transeamus ad stationem Philisthinorum, quae est trans locum illum.*

Electi praedicatores, dum tentata corda subditorum intelligunt, ferre auxilio non morantur. Hos velut in tuto reponunt, illos secum ad sustentanda pericula bellorum

ducunt.

Et accidit... ut diceret Jonathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, et transeamus ad stationem Philisthinorum.

6877 Ad bella armiger ducitur, quia per scientiam eruditi subditi, ad internorum certaminum victoriam promovendi sunt. Quidam namque artem phisicam sciunt, qui medendi experientiam nesciunt; sic nimirum in sancta Ecclesia, quidam sunt qui artem interioris pugnae didicerunt, sed ad districtas necessitates certaminum adhuc perducti non sunt. Magnos viros pugnantes audiunt, sed proelia quae magni magnifice tolerant, auditu sciunt, virtute nesciunt. Tales quippe sunt qui ad imitanda vestigia Redemptoris invitantur, *Matth. 16,24:* Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

6878 Armiger: Arma vero Jonathae sunt hortamenta doctoris. [Armiger vero] arma portat cum quibus non ipse sed alius pugnat. Sic nimirum sunt qui in sancta Ecclesia noviter instruuntur; dum enim virtutes a doctoribus audiunt, quibus ipsi doctores contra malorum spirituum versutiam pugnant, illud nimirum habent in ore quod nondun habent in virtutis exhibitione.

Diceret Jonathas... ad... armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem Philisthinorum: quia electi doctores subditos suos docent non solum artem qua dìmicent, sed etiam ad bella pertrahunt quo triumphent.

6879 Et quia remissi pastores, bella quae insinuant suscipere nequaquam curant, non dicit: Vade et transi ad stationem Philisthinorum, sed: *veni, et transeamus ad stationem Philisthinorum*. Alios quidem ad certamen provocant, sed eadem certamina ipsi priores tentant.

Quae est trans locum illum: Quidam locus in sancta Ecclesia est, qui magnis proeliis clausus, non expositus est. Possidere quidem bona saeculi, uxorem ducere, eo munitum ab hoste manere est, quo aliquid impositum in eo ordine positis onerosum non est.

6880 Sed hunc locum si quis melioris vitae desiderio accensus transire nititur, necesse est ad gravissima bella praeparetur. Divitias namque contemnentes, paupertatem Christi amplectentes, spernentes conjugia, amorem pudicitiae semper amplecti debent. Habent continuo isti insurgentia gravissima proelia carnis, illi impugnationem cordis; quia nec paupertas leviter fertur, nes sine magnis agonibus pudicitiae corpora subjungantur. Unde bene per quemdam sapientem dicitur, *Eccli. 2,1: Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem.*

v. 2: Deprime cor tuum et sustine; inclina aurem tuam et suscipe verba intellectus, et ne festines in tempore obductionis.

6881 *v. 3: Sustine sustentationes Dei: conjungere Deo et sustine, ut crescat in novissimo vita tua.*

v. 4: Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe.

v. 5: Quoniam in igne probatur aurum et argentum: homines vero receptibiles in camino humiliationis.

v. 6: Crede Deo, et recuperabit te: et dirige viam tuam, et spera in illum. Serva timorem illius, et in illo veterasce.

v. 7: Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus.

6882 Quasi dicat: Quia egredi voluisti de loco muniminis, necesse est ut jam patenti bello contra fortissima hostium castra muniaris. Dum ergo: Trans locum "illum" non "istum" dicit, doctorum Jonathas virtutem insinuat, qui per singulare propositum religionis, semper sunt in aperto campo certaminis. Et quia de omni quod strenue dimicant, de omni quod nobiliter triumphant jactantiae et elationis vitium fugiunt, sequitur: *Patri autem suo hoc ipsum non indicavit, 1 Reg. 14,1.*

6883 Carattere di chi sono da Dio eletti a guide è l'umiltà, congiunta a grandi opere.

Tacenda quidem sunt electorum virtutes, ne per jactantiam dicantur; sed aliquando ad Dei gloriam eas manifestare culpa non est. Quia vero nos in Saul magnos praedicatores expressimus.

Patri suo hoc ipsum (pugnae initium) non indicavit; quia magna quae agimus quandoque propter humilitatem laudabiliter celamus. Tales quidem jam facti per corruptionem sumus, ut boni videri etiam ab illis qui praesunt nobis, sine elatione nunquam valemus.

6884 Cum ergo de manifesto latens malum nascitur, sapienter bonum absconditur, ne malo superveniente maculetur. Sed inter haec sciendum est quia illi virtutes celare praelatis suis ista necessitate possunt, qui bene cognoscere bonum quod agunt sciunt. Si enim nimis sunt simplices, saepe non est bonum quod esse bonum arbitrantur; et dum vitium quasi virtutem non indicant, in se absconditum hostem portant. Unde et Jonathas qui patri belli propositum texit, tantus asseritur, ut sub ejus ducatu pars excercitus producta referatur: *Supra, 13,2*: *Erant cum Saul duo millia in Machmas et in monte Bethel: mille autem cum Jonatha in Gabaa Beniamin.*

6885 *1 Reg. 14,1*: Patri autem suo hoc ipsum non indicavit: quia eruditi viri, dum elationis vitium incurrere de magnis operibus suis metuunt, ea nimirum ipsis abscondunt, a quibus adjuvari potuerunt. Quae nimirum praedicartoris auxilia melius discimus, si ipsos in loco suae perfectionis videamus.

Praedicatores tum in opere, tum in contemplatione praestant.

Dio salva i suoi fedeli eletti restando il male occulto nel cattivo pastore, e il buono al di fuori; la virtù dell'opera [e] della orazione al di fuori: la superbia e la

inobbedienza dentro.

6886 *1 Reg. 14,2: Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa, sub malogranato quae erat in Magron.*

Gabaa [latine est] collis; Magron: de fauce. Praedicatores autem sancti, sublimes valde sunt non solum opere, sed etiam contemplatione.

In extrema parte Gabaa: Extrema pars ista, sublimitas est operis.

In Magron: Intima vero illa, contemplationis. Per hanc quidem extremam partem suae celsitudinis, ad exemplum a nobis conspiciuntur; per illam vero intimam, in magno amore Conditoris conjuncti sunt.

6887 Provvidenza di Dio circa gli eletti, che la corruzione del reprobo sia occulta, finch'essi sono in salvo. Onde, quando Dio leva dal mondo li suoi servi, è da temere di qualche castigo. S. Teresa.

Hos quidem nobis extrema parte suae celsitudinis propheta mirandos ostendit, *Isai. 60,8*: Qui sunt isti qui nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas? Ut nubes volant, quia a gravedine culpae sunt leves, et gratia Spiritus Sancti in bono opere veloces. Quasi columbae ad fenestras suas, quia ad exemplum per bona opera se nobis quasi per foramen porrigunt, sed de ostensa vitae munditia, laudis appetitu nequaquam capiuntur.

6888 *Porro Saul morabatur... sub malogranato*: Rex sedet, quia in umbra Redemptoris praedicator requiem habet; magno quidem labore fatigatur, sed verborum Domini consolatione reficitur.

Malogranato quae erat in Magron: [sive] in eo loco qui de fauce dicitur, [quo] dulcedo sancti evangelii designatur. Sic enim nunc morari in umbra Redemptoris possumus, si videlicet verba ejus ad consolationem de evangeliorum meditatione capiamus. Sed in loco residere quietius praedicatores possunt, qui quo altius et propius illud divinae faucis verba suscipiunt, dulcius saginantur.

6889 Coelesti cibo pascant et pascantur. Pascunt vere: pasci videntur.

Haec etiam causa est qua rex Saul non stare, neque sedere dicitur, sed:

Morabatur... sub malogranato... in Magron: quia perfectus doctor Dei docibilis est; et dum pascere cibo alios nititur, ipse multiformium deliciarum spiritualium dulcedine satiatur. Nam dum Redemptoris amoena singulariter aspicit, in miram contemplationem virtutum surgit,

6890 (Malogranato), et quasi de uno cortice plurima grana colligit, dum per ea omnia quae in Redemptore recolit, deliciosam mentem gratanter ducit.

In hac quidem Redemptoris amoenitate, sponsa se requiescere gloriatur, quae dicit, *Cant 2,3*: Sub umbra illius quem desideraveram sedi: [quod est] in ejus contemplatione requiescere. Umbra [est] ejus contemplatio, quia in ejus visione protegimur, ne diabolica tentatione velut solis ardore denigremur.

6891 Quia ergo tam sublimiter requiescunt, ferre se consulentibus auxilia

utiliter possunt; sed tamen nonnulli electi subditi, dum infirmitatem propriam metuunt, dum solum Deum agonis sui testem requirunt, tantorum hominum judicia fugiunt, ut a solo Deo in bona sua actione videantur.

Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa, sub malogranato, 14,2.

Patri autem suo (Jonatas) hoc ipsum (belli propositum) non indicavit: *14,1*: quia dum perfecte cavere elationem non possumus, bonum de quo nasci potest, omnibus abscondi debet.

6892 Fedeli di buona vita e assai lodevole. Verbi comministri quales. Predicatori buoni e saggi, che colle saggie prediche difendono il popolo dagli occulti nimici, e colla buona vita ad imitazione di Cristo sono potenti col loro esempio a tener sodi gli altri vacillanti, e con belle virtù seguendo nostro Signore fanno luce agli altri tra le tenebre. Sequitur: *et erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum, 1 Reg. 14,2.*

6893 Sexcentorum virorum: [hos] fortes in bono opere supra diximus.

Cum eo, [sive] cum rege erat, quia per studium boni operis concordes sunt vitae doctoris sui. Sed habent praedicatores Ecclesiae sub se non solum qui magna agant, sed et verbi comministros qui summa doceant; habent duces qui ad bella ferventes roborent, habent qui audacter currant, habent qui potenter protegant.

6894 *1 Reg. 14,3*: *Et Achias filius Achitob fratris Jchabod filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, portabat ephod.*

Achias [latine est] umbraculum, protectio; [in quo figurantur] qui in sancta Ecclesia minores quoslibet ab occultis adversariis protegunt. Qui autem residet, ardorem solis sentire non potest; ostenditur [autem] sol reprobus, quo viror mentis exuritur. *Matth. 13,6*: Sole autem orto aestuaverunt, et quia non habebant radicem statim aruerunt. Sol [est] fervens ardor concupiscentiae, qui velut luce ardeat, sed qui mentem cui lucet exurat. Dum ergo majorum exhortationibus omnium concupiscentiarum blandimenta respuimus, in umbraculo amoeno substernimur, ubi tentationum incendia declinemus.

6895 Umbraculum [item] diminutive [dicitur] Ecclesiae minister, ut Redemptori nemo comparetur. De illius namque protectione sponsa in Canticis gloriatur, *Cant. 2,3:* Sub umbra illius quem desideraveram sedi. *Ps. 16,9:* Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt. Sed unde tantus Achias iste procedit exponitur:

Filius = Achitob, [latine] frater meus bonus, [qui est] Redemptor noster; frater quia naturae particeps, bonus, quia naturam nostram quam suscepit ab aeterna morte liberavit: vel quia omnes nos mali sumus. *Matth. 7,11*: Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris... Potentia pastorum ab imitatione Christi derivatur.

6896 *Achias filius Achitob, 1 Reg. 14,3*: ut qui in Ecclesia potentes sunt, eorum

potentia ex sola Redemptoris imitatione eis inesse sentiatur.

Achitob fratris Jchabod: quia a translatione gloriae nuncupatur; nam Redemptor noster secundum carnem de Judaeorum gente est natus; a quo nimirum populo, quia omnis ornatus templi, omnes sacrificiorum ritus, omnia Scripturarum mysteria ad gentilem populum transierunt, translatio gloriae in Achitob fratre nuncupatur.

Jchabod filii Phinees: quia Judaicus populus, in erroris sui perfidia qua se mersit, ejusdem gentis suae doctores se valde nequiores habuit. Unde:

6897 Phinees, [latine] os mutum, sive ori parcens. Os, quia per eumdem populum Dominus locutus est; mutum os, quia dum Redemptorem repulit, loquentem in se olim Spiritum pariter amisit. Parcens ori, quia sic semel in reatu tanti sanguinis cecidit, ut per poenitentiam et confessionem ad emum converti nequaquam possit. Parcens ori, quia confitendo pie erubescere dedignatur. Quo contra beatus Job, ex persona conversorum promittit, *Job 7,11*: Quapropter et ego non parcam ori meo: loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animae meae.

6898 Sed quia item religionis dignitatem in Patriarchis et Prophetis habuit, [sequitur]: *Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, 1 Reg. 14,3*.

Heli [latine est] Deus meus; Silo: missus. Dii vero aliquando electi praedicatores in Scriptura sancta intelliguntur; unde ad Moysen a Domino dicitur, *Ex. 7,1*: Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis; *Ex. 22,28*: Diis non dètrahes.

6899 Pater ergo Phinees, Deus meus dicitur, quia nimirum Judaicus populus eorum secundum litteram Scripturas imitatur, qui verbum Dei et revelata mente meruerunt cernere, et theca litterae ne videretur occultare. Hos nimirum per semetipsam Veritas ostendit, cum verba Psalmistae exposuit. *Jo. 10,34*: Respondit Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra quia: Ego dixi, dii estis? *Ps. 81,6. v. 35*: Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi scriptura...

6900 Phinees qui ortus fuerat... in Silo: quia Judaicus populus, licet carnaliter, adhuc tamen in Scripturis spiritualibus eruditur. Quia ergo electus quisque et sapiens in sancta Ecclesia natum Dominum ex Judaico populo per doctrinam sequitur, Achias, [sive] umbraculum, filius Achitob fratris Jchabod, filii Phinees [esse perhibetur]. *Qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, portabat ephod. 1 Reg. 14,3*: quia protegere alios nequaquam potest, qui pulchritudine bonae conversationis luceque non fulget.

6901 Bona opera celanda.

Sed et populus ignorabat quo isset Jonathas, 1 Reg. 14,3: quia electus doctor ea quae intendit agere studet per humilitatem celare. *Matth. 6,3*: Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Dextera, aeterna: sinistra, praesens vita. Homines in sinistra, Angelos ad dexteram habemus. Quando autem per bona opera ad

consortium supernorum civium tendimus, dextera manus nostra operari perhibetur. Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; [nesciet] si cooperatores nostros, fideles videlicet sanctae Ecclesiae, adjutores habemus in opere, et laudatores habere nolumus ad elationem.

6902 *Populus ignorabat quo isset Jonathas*, quia tunc solum bene agere magna nitimur, cum ea quae agimus pandere ad ostensionem vitamus. Sed...

Prudenza umile; grande impresa e secreta. I milior piani svaniscono parlando, o per imprudenza facendoli abortire, o per vanagloria perdendo la grazia.

6903 MEDITAZIONE 54.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 14,4-12: *Erant autem inter ascensus per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petrae ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc et inde praerupti, nomen uni Boses, et nomen alteri Sene.*

v. 5: Unus scopulus prominens ad aquilonem ex adverso Machmas, et alter ad meridiem, contra Gabaa.

v. 6: Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile salvare vel in multis vel in paucis.

v. 7: Dixitque ei armiger suus: Fac omnia quae placent animo tuo: perge quo cupis, et ero tecum ubicumque volueris.

v. 8: Et ait Jonathas: Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis.

v. 9: Si taliter locuti fuerint ad nos: Manete donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos.

v. 10: Si autem dixerint: Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum.

v. 11: Apparuit igitur uterque stationi Philisthinorum, dixeruntque Philisthiim: En Hebraei egrediuntur de cavernis in quibus absconditi fuerant.

v. 12: Et locuti sunt viri de statione ad Jonatham et ad armigerum ejus, dixeruntque: Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Jsrael.

6904 Ora su questa lettera, visti nell'antecedente li strumenti per cui vuol Dio salvare li suoi eletti, son da vedere le vie per cui li salva dal comun guasto imminente.

1 Reg. 14,4: *Erant autem inter ascensus per quos nitebatur Jonathas transire*

ad stationem Philisthinorum eminentes petrae ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc et inde praerupti: nomen uni Boses, et alteri Sene.

Quia [ad] exemplum electorum ista proferimus, non solum quo eat, sed etiam qua eat explorare attentius debemus.

6905 Sforzo, contenzione.

Cum electorum vita alta sit meritis, ima vero conditio malignorum spirituum, quare dicitur: *inter ascensus per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philisthinorum, ibi.* Nam de eisdem Philistaeis, in typo daemonum, dictum est supra *13,5*: Et ascendentes castrametati sunt Machmas. Sed super nos esse dicuntur quo minores fortitudine videamur; super nos etiam esse cognoscitur, quod penetrare per intelligentiam non valemus.

6906 Quoties ergo cum spiritibus reprobis certare proponimus, robur parare debemus ad ascensum, quia homines cum Angelis pugnare contendimus. Unde et ille athleta strenuus, confortans vehementer commilitones suos, [dicit], *Eph. 6,12*: Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potetstates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Quia nim contra principatuum et portestatum spirituales nequitias se pugnaturum praenoverat, nimirum robur mentis ad altitudinis conscensum parabat.

6907 Continua meditazione e orazione, preparando i modi.

Peccatorum corda dum nequam spiritus sibi subjiciunt, eis utique per multiformia vitia dominantur. Si ergo illuc quoque eos expugnare contendimus, valde nos oportet ascendere, ut eorum possimus agmina potenter ferire. Aliter enim lubrici, aliter salvandi sunt acediosi, aliter vanaglorii, aliter superbi. Ut vero ad haec omnia electus doctor possit sufficere, quia per assiduae meditationis consilia mentem levat, quasi ad ascensum Philisthinorum se roborat.

6908 Discrezione di varj mezzi opportuni contro molteplici mali e nemici, contro sopra tutto le passioni che offuscano la ragione e tolgono la luce della verità.

Ascensus: Non unus sed plures; quia innumeris hostibus multis itineribus occurrendum est. Quod tunc bene agitur, quando vitiis singulis congruentes et propriae curationes adhibentur. Nam ut aliqua ex eix breviter perstringamus, fornicationis spiritus continentiae virtute depellitur; sed tamen levius superatur, si caro impetum suum per abstinentiam minuit, ne se mundanae concupiscentiae victa substernat.

6909 Gula per abstinentiam frangitur; sed abstinentiam ciborum corporalium habere non potest, qui mentem spiritualibus cibis non replet; potenter enim corpus extenuat, qui amore coelestium cor inflammat; quia dum spiritualia fortiter diligit, desideria carnis valenter premit. Avaritiae quoque vitio bonum paupertatis volun-

tariae contrarium est; sed pauper spiritu esse non poterit qui adhuc aeternos therauros nescit. Sic nimirum ira vincitur, si amore coelestium perfecte terrena omnia despiciantur; quia unde irascatur jam non habet, qui damnum temporale non timet.

6910 Sic quoque acediae vitium, idest taedium cordis repellitur, si semper bona coelestia cogitentur; taedere quidem mens nullatenus potest, quae tam jucunda bona laetanter videt. Tristitiae etiam angustiosum malum spiritualis laetitiae campo devoratur; sed tamen ipsa spiritualis laetitia se menti non infundit, quae temporalis vitae angustias transgredi contemplando non novit. Bene quidem tristitia vincitur si temporalium laborum praemia videantur; quia unde electa mens temporaliter se affligi considerat, inde gaudere in coelesti patria aeternaliter sperat.

6911 Quia ergo magna diversitate consilii ad diversos animarum morbos curandos praedicator utitur, quia idem consilium alta mentis consideratione comprehenditur, [sequitur]: *Ascensus per quos nitebatur Jonathas transire ad* diversos animarum morbos curandos praedicator utitur, quia idem; consilium alta mentis consideratione comprehenditur, [sequitur]: *Ascensus per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philisthinorum, 14,4.* Et quia ad expugnandos malignos spiritus a peccatorum cordibus, plures difficultates obviant, [addit]:

6912 *Erant autem inter ascensus... petrae... et scopuli, ibi*. Nomen uni Boses, [latine] in primatu; [quae est] concupiscentia, quae prior occupat mentem quam se mens peccasto substernat.

Et nomen alteri Sene, [latine] Sol, sive auditio. [Haec est] peccantium sige peccati delectatio; quia a veritatis intuitu [sol iste] mentis oculo claudit, et ad vanitatem aperit.

6913 Unde et in primis hominibus, a seductore spiritu per serpentem dicitur, *Gen. 3,5*:... In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum. In commessatione quidem illa peccando aperti sunt oculi transgressorum, ut falsae lucis radios in experientia delicti perciperent, et a supernae claritatis alta contemplatione caliigarent. In hanc quippe lucem aperire oculos psalmista refugiens, Dominum obsecrat, *Ps. 118,35*: Averte oculos meos ne videant vanitatem. Hanc beatus ob alta mente despiciens, perfectorum meritis se inseri cooptans, [dicit], *Job 3,13*: Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem, *v. 14*: cum regibus et consulibus terrae, qui aedificant sibi solitudine, *v. 15*: aut cum principibus qui possident aurum et replent domos suas argento, *v. 16:* aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem. Qui peccare fortiter caverunt.

6914 *Nomen uni Boses, et nomen alteri Sene, 14,4*: quia si concupiscentia in mente sibi locum vendicat, ejusdem mentis oculos ad placidum peccati blandimentum, quasi ad solis lucem videndam, levat.

Petrae dicuntur, quia iniquorum mentibus ista duo conveniunt, ut jam redire

praedicatores ad se facile non admittant; scopuli hinc inde praerupti, quia tam mente quam corpore praeruptum retinent usum pravitatis; dum enim nulla morum, nulla operum integritate solidantur, in modum scopuli hinc inde praerupti sunt.

Quasi in modum dentium, 1 Reg. 14,4, quod saepe videmus quia qui praedicatorum hortamenta despiciunt, eorum vitam mordère detractionibus conantur.

6915 Prediche contra i vizj e confessioni con carità, prudenza e zelo forte. Non sono soli gli innocenti e i giusti; molti ancor peccatori sono fra gli eletti, molti de' quali hanno grande rispetto alla fede in qualche senso, benché in istato di peccato sia da cattivi abiti macchiata lor vita.

1 Reg. 14,5: Unus prominens ad aquilonem, ex adverso Machmas, et alter ad meridiem contra Galaa. Unus prominens ad aquilonem, alter ad meridiem, quia per concupiscentiam fervor caritatiis extinguitur, et per peccatum ardor concupiscentiae augmentatur. Mens enim reproba, dum concupiscentiae subditur, caritate spoliatur, et dum peccata non metuit, acriora in se valde peccandi desideria accendit. Quasi enim in summa diei suae altitudine et calore posita, in fluxu peccati immoderate laetatur, et ardenter resolvitur. Male ergo mederi concupiscentiae morbo satagit, quia ad hoc explere concupiscentias peccando cogitat ut quiescat; tanto quidem erit post peccatum concupiscentia major, quanto ipsa sibi esse incipiti peccati delectatio gratior.

6916 Unus... ex adverso Machmas [latine] humilitas, alter... contra Gabaam [latine] collis.

Ex adverso utique concupiscentia humilitatem habet; blandimentum vero peccati coelestem conversationem. Omnis enim qui vètita concupiscit, dum praeceptorem dèspicit, superbit. Ex adverso itaque humilitatem habet, quam in obedientiae devotionem non retinet. Sed et qui in peccati fervore, velut meridiana claritate resolvitur, contra Gabaa, collem, prominet, quia dum adversatur coelestibus, poenis tartareis praeparatur.

6917 Sed quia tales etiam ad aeternam vitam sanctorum praedicatione perducuntur, ipsorum praedicatorum studium in Jonthae facto videamus.

1 Reg. 14,6: Dixit autem Jonathas ad adolscentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis, quia non est Domino difficile salvare vel in multis vel in paucis.

Statio Philisthinorum: robur [est] malignorum spirituum. Sancti enim viri, cum ad peccatorum correctionem se praeparant, aperte sciunt quia cum de coelo lapsis Angelis pugnant; pugna ergo haec, quia Angelorum est hominum, pugnatur a fortibus cum infirmis, cum simplicibus ab astutis. Nam ab his fortibus insultum acceperat, *Ps. 58,4*:... Irruerunt in me fortes, *v. 5*: Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine. Astutias lapsi Angeli etiam Paulus intuens, *2 Cor. 2,11*: Ut non

circumveniamur, [inquit] a Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus.

6918 Predicando unirsi con compagni e discepoli dello stesso spirito. Cauta prudenza contra l'astuzia serpentina. Preghiera quotidiana contra i forti.

Contra astutos igitur via cautae rationis quaerenda est; contra fortes vero, divina sunt auxilia petenda. Ut ergo magna cautela praedicatio exhibenda esse sentiatur, [sequitur]: *Dixit... Johathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus*.

Et ut in expellendis hostibus de Dei miseratione praesumatur: *quia non est Domino difficile salvare, vel in multis vel in paucis.*

Et quia flagitiosorum conversio facilis non est: *si forte faciat Deus pro nobis; quia de plena criminosorum salute adhuc plenius non praesumit.*

6919 Sed formam electi subditi in virtute ostendit humilitatis: *1 Reg. 14,7*: *Dixitque ei armiger suus: Fac omnia quae placent in animo tuo; perge quo cupis, et ero tecum ubicumque volueris.*

Nonnulli subjecti, dum mensuram ordinis sui negligunt, eamdem mensuram sic confundunt, ut praelatorum suorum dispositioni communicent, sed obedire imperiis recusent. Emendare quidem majorum dicta facile audent; sed facile implere quae praecipiunt, non conantur.

6920 In questa società sia ordine: presidenza libera in ogni cosa, obbedienza pronta in tutto.

Dixitque ei armiger suus: Fac omnia etc. ibi, quia relinquenda est praepositis dispositio libera, tenenda est subditis obedientia non remissa. Ut enim liberam disponendi auctoritatem praedicatoribus assignent, [dicit]: Fac omnia quae placent in animo tuo. Et ut subditorum pronam voluntatem ad omnia servitia ostenderet:

Perge quo cupis, et ero tecum ubicumque volueris. Nec ibi quidem dixit: Quaedam fac quae sunt in animo tuo, quaedam non fac, vel aliter fac; nec hic:

Perge illuc et ero tecum, et illuc non ero tecum; [sed] fac omnia; quia dispositione praelatorum disponenda sunt omnia. Ero tecum ubicumque volueris, quia alicui praecepto obedientiae subjectus optimus deesse non debet.

6921 Circospezione diligentissima [circa il] quid, quantum quando, quibus loquantur illis qui venerantur fidem et fidei verbum et retinere fortiter concupiscant; nei quali sebben la fatica e il pericolo è grande, grande ancor è il lucro della salute.

1 Reg. 14,8: *Et ait Jonathas: Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis*

v. 9: Si taliter locuti fuerint ad nos: Manete donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos.

v. 10: Si autem dixerint: ascendite ad nos, ascendamus quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum.

6922 Certa et indubitata sanctae Ecclesiae sententia est, quia electi praedicatores non solum quid, quantum et quando loquantur considerare debeant, sed quibus etiam loquantur. Unde et Dominus a quorumdam notitia verbum recondens, discipulos pohibet, *Matt. 7,6*: Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos. Hinc item Scriptura inutiliter effundi verbum vetat, *Eccli. 32,6*: Ubi auditus non est, non effundas sermonem.

6923 *Et ait Jonathas...* Si taliter locuti fuerint ad nos: *Manete donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos; si autem dixerint: Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum, 14,8 sqq.*

[Ita dicit] quia electus praedicator attente debet colligere quibus verbum verbum vitae debeat proferre. Sed quia hoc ostendi nunc in sensu litterae videtur, nos subtilius exprimamus:

6924 *Ecce nos transimus ad viros istos:* Ad peccatores praedicatores transeunt, quando his quibus verba exhibent non solum verbo sed etiam vita placent. Qui ergo sunt qui dicunt: Si dixerint: Ascendite ad nos, nisi hi qui devotionis signa proferunt, quia salutis verbum et venerabiliter audiant, et retinere fortiter concupiscant?

Ascendamus: Ascendendum ad istos est, in quibus, etsi magnus labor est in opere ministerii, sunt et magna lucra salutis. E contrario vero ad doctores peccatores transire gestiunt, quando tam profunda caecitate merguntur, ut ad imitandae suae pravitatis examplum, ipsos etiam praedicatores convertere nitantur. Proni quippe ad malum sunt corde impoenitentes, et peccati lepra quam induunt, maculare alios non expavescunt.

6925 Quando sono impenitenti e cercano non di convertirsi, ma di sovvertire chi vuol ammonirli. Qui justus est justificetur adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc. Ecce venio cito, *Apoc. 22,11 sq*. Ma debbono riguardare i predicatori che loro non si attacchi o per le parole, o per gli esempli, il contagio.

De quibus sapiens ille loquitur, *Prov. 2,14*: Qui laetantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis. Et item propheta de his vaticinans ait, *Isai. 3,8*: Ruit enim Jerusalem et Judas concidit, quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus. *v. 9*: Agnitio vultus eorum respondit eis, et peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt. Vae animae eorum, quoniam reddita sunt eis mala.

6926 Stemus in loco nostro: Quasi dicat: Si illos lucrari non possumus, nosmetipsos in bona conversatione servemus.

Loco nostro: [qui locus] bona conversatio est. *Ecclesiastes 10,4*: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Locus quidem

iste non solum a spiritu, sed etiam ab homine cavendus est; quia ipse spiritus non solum per se nobis obviat, sed contra nos etiam per hominem pugnat. Si vero locus noster Dominus est, cum mali se nobis objiuciunt, in loco nostro persistamus; quia cum incorrigibiles praedicatorum monita non recipiunt, solerter debent ipsi circumspicere, ut ad se nulla possint eorum exempla pervenire. Quod aliis doceant, ipsi priores exemplis praeferant. Rispetto e obbedienza alla Chiesa: adesione alla fede.

6927 *1 Reg. 14,11*: *Apparuit igitur uterque stationi Philisthinorum, dixeruntque Philisthiim: En Hebraei egrediuntur de cavernis in quibus absconditi fuerant. v. 12: Et locuti sunt viri de statione ad Jonatham et ad armigerum ejus, dixeruntque: Ascendite ad nos, et obstendemus vobis rem.*

Apparuit igitur uterque stationi Philisthinorum: Jonathas [scilicet] cum armigero, quia doctor ipse prior debet bonum ostendere quod alios contendit edocere. Non enim potest in praedicatione venerabiliter recipi, si prius in se honorem ministerii non praefert luce bonae conversationis. Unde et egregius praedicator confidenter asserit, *Rom. 11,13*: Quamdiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo.

6928 Apparet doctor non tam cum verbo loquitur, quam cum vita et moribus venerabiliter demonstratur. Propheta igitur cum typis sacrae historiae praedicatorum mores ostenderet, rationabiliter subintulit:

Apparuit igitur uterque stationi Philisthinorum. Quasi dicat: Qui docere proposuit, prius iis quibus loqui disposuit vitam monstravit.

Dixeruntque Philisthiim: En Hebraei egrediuntur de cavernis in quibus absconditi fuerant: Philistaeis apparentes despiciunt, et tamen [sequitur]:

Et locuti sunt viri de statione Philisthinorum... Ascendite ad nos: quia plerumque illi etiam praedicatorum optimam vitam despiciunt, qui eorum praedicatione ad poenitentiae lamenta cursuri sunt.

6929 Preceda la vita santa, come fu quella di Cristo, a tanta impresa, in cui s'abbia avuto il comodo di formare lo spirito: allora si guadagnano anche quelli che ci disprezzano, perché la virtù si scorge più soda.

Et dum eos deserere vitae remotioris studium reprehendunt, eos nimirum de cavernis egressos asseverant. *En Hebraei egrediuntur de cavernis in quibus absconditi fuerant.* Quasi dicant: illi nunc sub colore praedicationis ad saeculum exeunt, qui hoc fugisse tota intentione videbantur.

6930 Sed plerique justos praedicatores arguunt, qui mala quae eis objiciunt in eis esse suspicantur; qui nimirum eo ipso quo malum damnant, spem praedicatoribus tribuunt quia ad bonum quod defendunt exequendum, pertrahi facilius possunt. Dum ergo bona intentione falsa justorum mala vituperant, insaniunt quidem voce, sed praedicatoribus fructum suae salutis etiam insaniendo

spondent.

6931 Coraggio a patire, e animo disposto a sostenere persecuzioni. Qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur, *2 Tim. 3,12*; sempre, anche in tempo di pace, ma molto più in tempo di guerra. Non solum volunt pie vivere, ma volunt ut alii pie vivant in Christo.

Et quia de ascensu superius dictum est, restat inquirere quid sit quod dicunt: *ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem, 1 Reg. 14,12.*

Ad litteram minas significat, quasi dicant: Si huc ascenderitis, quantum valemus patiendo sentietis.

6932 In malorum vero conversione item facile est colligere, cum justos expellunt, quantum soleant nocere. Sed quia, auctore Deo, carnalitatem historiae ad spiritualem intelligentiam duximus, dum sancti doctores erumpentibus quibusdam signis peccatorum conversionem considerant, *res* etiam ab eis promittitur, quia ad verum esse redire pollicentur.

Rem: [Res] aliquid habet esse; peccatum vero nullum habet esse. *1 Cor. 8,4*: Scimus quia nihil est idolum in mundo. Peccator autem quia peccando ad nihilum tendit, cum nihil illud cui inhaesit deserit, quasi ad esse redit. Ostendere rem, in se, (id est aliquid quod habet esse) potest, qui per divinam gratiam opera virtutis tenet.

6933 Speranza del frutto, fiducia nell'impresa, attribuendo non a sé ma a Dio il frutto. Fuggire la propria gloria: cercare quella di Dio.

Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem, 1 Reg. 14,2. Quasi igno quodam peccatores repromittant et dicant: Si verbo ita in nobis laborare proponitis, sine magno lucro non erit quod laboratis. Quare et de aliorum certitudine subjunctum est: *et ait Jonathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Jsrael, ibi*. Quisquis nititur magna agere, haec bene pensare novit, si semper studuit divinis laudibus imputare.

6934 Bene ergo Jonathas, de consequenda victoria confidens, non in manus suas, sed in manus Jsrael tradendos inimicos asseruit:

Ascendamus, sequere me, tradidit enim Dominus eos in manus Jsrael, ut triumphum ostenderet, et qualis esse debeat triumphator pariter designaret. In manus Jsrael [sive] videntis Deum, ut non ea quae ei manu data sunt doceatur attendere, sed tenens datum, ad largitorem munerum cor levare. Aliud enim tenet manibus, aliud oculis videt: ut triumphi palmam fortiter teneat, sed videntem Deum retenta palma victoriae non extollat.

6935 MEDITAZIONE 55.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 14,13-18: Ascendit autem Jonathas manibus et pedibus reptans, et armiger ejus post eum. Itaque alii cadebant ante Jonatham, alios armiger ejus interficiebat, sequens eum.

v. 14: Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathas et armiger ejus, quasi viginti virorum in media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit.

v. 15: Et factum est miraculum in castris, per agros; sed et omnis populus stationis eorum qui ierant ad praedandum obstupuit, et conturbata est terra: et accidit quasi miraculum a Deo.

v. 16: Et respexerunt speculatores Saul qui erant in Gabaa Beniamin, et ecce multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens.

v. 17: Et ait Saul populo qui erat cum eo: Requirite et videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Jonatham et armigerum ejus.

v. 18: Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei: (erat enim ibi arca Dei in die illa, cum filiis Jsrael).

6936 Ora su questa lettera, edificato etc. diciamo come conosciuti gli strumenti e l vie, segua a vedere il modo con che Dio salva li suoi eletti.

Primo modo: Molta compassione, umiltà.

1 Reg. 14,13: *Ascendit autem Jonathas manibus et pedibus reptans et armiger ejus post eum.*

6937 Reptans manibus: [Hoc est] corpus omnino curvare; nihil in se sublime relinquere, superba membra ad inferiora officia peragenda inclinare, quia multa compassione eget conversio peccatorum. Reptans manibus Redemptor noster videbatur, cum publicanorum amicus fieret et peccatores reciperet, et cum ipsis manducaret; manibus reptans cum dicebat, *Matth. 9,12*: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. *v. 13*: Euntes discite qui est: Misericordiam volo, et non sacrificium; non enim veni vocare justos, sed peccatores.

6938 Insegna il modo di vivere convertiti non colle parole, ma con l'esempio.

Hanc etiam incurvationem reptandi, in sacro eloquio *cameli* appellatio designat; quia ad hoc Salvator noster usque ad ima nostra se voluit humiliare, ut nos ad alta suae divinitatis extolleret. Hunc namque reptantem manibus Paulus seqyui se insinuans, ait, *1 Cor. 9,22*: Omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos.

Manibus, opera solent significari. Manibus reptans pastor [est] quando peccatoribus viam quam tenere conversi debeant, non profert sapientia verbi, sed exemplo conversationis. Reptare manibus praedicatores suos docebat dominus, *Matt. 5,16*: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est. Caritatem exhibet, caritate allicit.

6939 Ascendit autem ad stationem Philisthinorum Jonathas manibus et pedibus reptans, quia ad destruenda peccatorum vitia pervenire ille doctor potest, qui ipsos

peccatores magna humilitatis ostensione et magna caritatis affectione demulcet. Nam dum convenientiam gratiae foris porrigit, manus intus ad incidendum mentis languorem mittit. Unde [sequitur]: *itaque alii cadebant ante Jonatham, alios armiger ejus interficiebat, sequens eum, 1 Reg. 14,13*.

6940 Ante Jonatham. Facies Jonathae cernitur quando qui verbum praedicatoris audiunt, caritatem etiam mentis ejus agnoscunt; cum videlicet hunc audiunt et coelestia praedicare, et eos quibus ipsa pandit coelestia, mira caritate diligere.

Cadebant ante Jonatham: quia dum bona quae sunt in mente praedicatoris agnoscunt, statum pravitatis deserunt. Sed et dum ad remedium poenitentiae plures veniunt, alii in magnorum, alii in minorum exempla confugiunt.

6941 Alios armiger ejus interficiebat. Interficiebat, [quod est] a vita reproba privare.

Armiger ejus interficiebat: [Ab illo interfectus cadit] cujus exemplo vel monitis malum quis deserit. Generali quippe sententia, signulorum victorias exponens beatus Jacob, *Jac. 5,20*: Scire debet [inquit] quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

6942 *1 Reg. 14,14: Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathas et armiger ejus quasi viginti virorum in media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit.*

Plaga prima: quia sancti percutere noxios etiam post, in ultimo judicio describuntur, *1 Cor. 6,3*: Nescitis quoniam Angelos judicabimus? Quanto magis saecularia? *Ps.149,5*: Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis, *v. 6*: exaltationse Dei in faucibus eorum. *v. 7*: Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

6943 Plaga prima: ista conversionis, secunda damnationis; quia modo sancti converti nos ad Dominum rogant, sed non conversos tunc durius damnant.

Quasi viginti virorum: [Viginti] mortui [sunt], ut quinarii numeri mysterium commendetur. Quinquies enim quattuor repetiti, aut quater quinque, viginti fiunt. Et quia vigore quinque sensuum omne tempus peccati perficitur, et in quattuor Evangeliorum libris remedia nostrae salutis invenimus, viginti virorum typo omnes salvandi peccatores exprimuntur.

6944 *In media jugeri, quam par noum in die arare consuevit ibi*.

Boves [sunt] praedicatores, [qui] arant dum praedicant; qui dum verbis coelestibus corda auditorum aperiunt, quasi in bona terra semen spargunt. In die arant, quia Dominus comminatur, *Jo. 9,4*: Venit nox quando nemo potest operari. [Quasi] par boum arant Jonathas et armiger ejus, aut sapientes et simplices, aut minores et altioris ordinis sacerdotes. Generaliter etiam omnes praedicatores sanctae Ecclesias [intelligi possunt], quia et geminae caritatis gratia pleni sunt, et se

privato amore non diligunt.

6945 [Il buon ministro] predica con massime forti e terribili. La parola di Dio o vi salva o vi condanna: non torna vuota.

Media pars jugeri [est] vita praesens. Ista quidem temperata ad cultum, imbribus mollescit hiemis: illa ad sterilitatem pigrorum, caloribus torretur aestivis.

Quam par boum in die arare consuevit: Illam arare non possunt, quia in hac vita bona opera seminanda sunt: in illa vero non seminanda opera, sed operum retributio metenda.

Plaga... viginti virorum... in media parte jugeri: quia converti peccatores hic solum salubriter possunt, ubi magnitudo criminis purgari creditur per lamenta conversionis.

6946 Sed nonnulli in subita peccatorum conversione mirantur, quia eis propter usum curae exterioris, quotidiana tot quae agit Deus mira viluerunt.

1 Reg. 14,15: Et factum est miraculum in castris, per agros. Perfecti quique in omnibus quae facta sunt, sive fiunt, omnipotentis Dei virtutem et sapientiam mirari non desinunt. *Ps. 67,33*: Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Jsrael ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae, benedictus Deus. - *Ex. 15,11*: Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in Sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? Mirabilis... in sanctis: quia quo altius divina conspiciunt, eo et mirabilius obstupescunt; quia nimirum altissima contemplatione vident quibus stupeant, non quae ratione comprehendant.

Quoties ergo praeter quotidianum usum nova quaedam accidunt quae carnales ac simplices admirentur:

Factum est miraculum... per agros. In comparatione namque sanctorum, velut agrestes homines sunt qui tot Conditoris antiqua opera, tot dispositiones temporum, et tot ordines creaturarum mirari nesciunt.

6947 Condur la gente al riflesso. Lo stupor nasce dal veder l'effetto e non conoscer la causa: il desiderio di conoscerla genera il riflesso. Desolatione desolata est terra, eo quod non sit qui recogitet corde. *Ier. 12,11*. Non est intelligens aut requirens Deum: simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. *Ps. 32,3 sq*. Bene igitur in eadem rusticitatis hebetudine omnes generaliter concluduntur: *Sed et omnis populus stationis eorum qui ierant ad praedandum, obstupuit, 1 Reg. 14,15*.

Stationis: Philisthinorum.

6948 Eccitare la emulazione santa col produrre le nuove conversioni e proporre la vita e la grazia dei convertiti. Con questo mezzo instupidire il demonio e renderlo inattivo per la vua viltà, rompendo ogni ostacolo da lui posto.

Omnis populus stationis eorum... obstupuit: quia aliquando conversionem peccatorum alii peccatores obstupescentes aspiciunt, et dum bonitatem Dei in

illorum visitatione intelligunt, ad simile conversionis propositum accenduntur.

Omnis pupulus... qui ierat ad praedandum: [ivit] quando agere perverse non metuit. Quod enim prohibente Deo, Scripturis minantibus, contradicentibus doctoribus, quis audet agere, quasi per violentiam nititur suis usibus usurpare.

Populus... qui ierant ad praedandum, [sunt] etiam daemonia, cum violentas tentationes ingerunt, et captivas animas peccatorum ducunt.

6949 A timore et conturbatione incipit conversio.

Obstulit: quia cor poenitens, quod daemones habere non possunt, qua gratia conversi peccatores [recipiant], non intelligunt. Sed dum peccatores

resipiscunt, tam sibi quam aliis prosunt; quia nonnulli eorum exemplo corriguntur. *Et conturbata est terra*: *1 Reg. 14,15,* dum populares viri nova mira conspiciunt; quia saepe contingit ut dum per exteriora miracula alii convertuntur, aliorum duritia, incrementis quibuisdam, ad propositum boni operis moveatur. Male enim tranquilla est terra, quando vita carnalium in mundi jacet delectationibus secura, quando peritura, quae ardenter desiderat, hanc dulciter oblectant.

6950 Conturbatur terra, quando casrnalis mens a mala sua soliditate concutitur, et cogitare fluctuando inchoat, inter mala quae respuit et bona quae amat. Conturbari enim menti tunc est serenitatem malae delectationis proposito christianae religionis obducere. Sed carnali affectus concutitur ut ut spiritualis vita reveletur: unde [sequitur]: *et accidit quasi miraculum a Deo, ibi*. Quando namque mens hominis carnali delectatione deprimitur, ejus utique visus obtunditur, ut spiritualia bona ignorare mereatur. Sed cum in suis carnalibus infirmari incipit, paulatim in spiritualibus convalescit, ut superna proficiendo videat, infirma obliviscendo derelinquat.

6951 Profecto quidem conversae mentis ostenditur, quia prius [dicitur]: Conturbata est terra; deinde: Et accidit quasi miraculum a Deo.

Miraculum a Deo [illud est] quod sine homine facit Deus. *Ex. 16,1 sqq*.

Quod enim manna in deserto filiis Jsrael pluerit Dominus: quod *ibidem v. 13*, concupiscentibus volatili praebuerit, miraculum utique sine homine Deus fecit: sed dum mare dividere voluit, virga hoc Moysen tangere praecepit, ut miraculum ostenderet quod per hominem populo demonstraret, *Num. 20,2 sqq.* Sic nimirum virga petra percutitum, ut aquae fluenta producantur, quia nimirum miraculum quod ostendere voluit, per hominem non per semetipsum fecit; ut dum hominem venerabilem redderet, huic jsraeliticus populus humiliter subjici et devote obedire debuisset.

6952 In peccatorum conversione quaedam per se Deus praestat, quaedam per homines. *Et accidit quasi muraculum a Deo, 1 Reg. 14,15,* postquam conturbata est terra, quia dum Sanctus Spiritus mentem ad conversionem commovet,

commotae menti electorum exempla insinuat, quae et venerabiliter videat, et imitari devoti concupiscat.

6953 Miraculum hoc, juxta historiam [sic accipitur] quia plures interficiebantur; nunc vero in sancta ecclesia, ad religiosam vitam peccatores convertuntur, quos alii ad virtutis exemplum sequuntur. Spiritus quidem Sanctus illos trahit, et quia trahuntur aliis ostendit, ut tractos trahat, et videntes tractis inserat, quatenus per largitatem suae gratiae utrosque comprehendat. Quando enim hoc sine homine per semetipsum operatur in cordibus fidelium, utique miraculum non fit "quasi" a Deo, se a Deo; quando autem praedicantibus hoc aeternae vitae doctoribus agit, [accidit] quasi miraculum a Deo, quia mirabiles satis ministros ostendit, ut qui eos aspiciunt devote valeant imitari.

6954 Sed quia summos sacerdotes Saul signare superius diximus, Jonatham vero filium ejus subditas praedicatorum personas, si sequentia attendimus, sollicitudinem apostolicam in summis pontificibus quam retinent invenimus; de quo nimirum, *2 Cor. 11,29*: Quis infirmatur, et ego non infirmo? Quis scandalizatur et ego non uror? Et antea *v. 28*: Praeter illa quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum. Qui vero omnium ecclesiarum solicitudinem gerebat, non solum parvulorum, sed etiam ad discutienda majorum facta vigilabat.

6955 Super cathedram Moysis sederunt Scribae: quaecumque ergo dixerint vobis facite, secundum autem opera illorum nolite [facere], *Matth. 23,2 sq*.

1 Reg. 14,16: *Et respexerunt speculatores Saul qui erant in Gabaa Beniamin, et ecce multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens. v. 17: Et ait Saul populo qui erat cum eo: Requirite et videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Jonatham et armigerum ejus.*

6956 I Vescovi [sono] giudici della fede: non i preti, né i parrochi. O Timothee, depositum custodi, *1 Tim. 6,20*.

Et respexerunt speculatores Saul... et ecce multitudo prostrata, 1 Reg. 14,16.

Pugnam Jonathae Saul speculatores aspiciunt, quia summi pontifices non solum subditorum facta discutiunt, sed etiam doctrinam praelatorum; istos quidem explorant si bene agant, illos autem an recte doceant; saepe conversationem aliorum audiunt, sed ne sint bene eruditi pertimescunt. Et aiit Saul...: Requirite quis abierit ex nobis: quia qui ad praedicationem mittitur, talis esse debet, ut onus ministerii ei secure imponant, ut mens mittentis nulla dubitatione fluctuet, quod recte doceat, et doctrinae verba operibus ostendat.

6957 [Il Vescovo deve] fare che la sua condotta sia approvata canonicamente, cioè per la canonica inquisizione.

Et respexerunt speculatores Saul, 1 Reg. 14,16: quia summum culmen universalis Ecclesiae sic per orbam praedicatores ordinat, ut circa se ministros habeat per quos illorum doctrinam discutiat, et opera diligenter inquirat. Sed qui

summi culminis ministerio et legatione funguntur, in alta vitae et scientiae sede sublimantur; unde et bene [dicitur]: *speculatores Saul, qui erant in Gabaa Beniamin, ibi*, [sive in] colle filii dextrae, qui jam per sublimem vitam et per altam scientiam ad conformationem videntur pertingere Redemptoris. Hi nimirum victorum acta de sublimi conspiciunt, quia bonorum vitam probare et mlalos discutere ex vitae mereantur celsitudine, et summae scientiae perfecta eruditione.

6958 Per esame posato, prudente; consulta coi più scienziati.

Cumque requisissent, repertum est non adesse Jonatham et armigerum ejus, 14,17: quia lucra praedicationis tunc optima esse considerant, cum praedicatoris laudabilem personam probant.

1 Reg. 14,18: *Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei,* quia modum certaminis a speculatoribus audiunt. Quod quidem a summis sacerdotibus bene spiritualiter agitur, cum ea quae a relatoribus audiunt, non ante dijudicant, quam eorum rationem in consilio internae meditationis quaerunt. Et quia saepe alienae mentis consilia sequuntur, [dicit]: *Ait ad Achiam: Applica arcam Dei.* Arcam quippe sacerdos habet qui scientia spirituali mentem vacuam non habet. Ait Saul ad Achiam: applica arcam Dei, quando summus doctor consilium a minoribus suis et eruditis quaerit. Ibi enim sunt postulanda consilia ubi spiritualis scientiae gratia coruscat.

6959 Per consulta d'uomini pii e spirituali. Guarda quali autori tu consulti.

Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Jsrael, Ibi.

Quasi dicat: Hoc applicare praecepit quod esse cognovit. Ab irreligiosis quidem religionis consilium, aut sapientiae a stultis petere, non est consilium accipere, sed praecipitare.

Erat enim ibi arca Dei: quia in rebus dubiis, illos debeamus consulere, quibus aperte scimus spiritualia dona non deesse.

6960 MEDITAZIONE 56.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 14,19-26. *Cumque loqueretur Saul ad sacerdote, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum, crescebatque paulatim et clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdo-*

tem: Contrahe manum quam.

v. 20: Conclamavit ergo Saul et omnis populus qui erat cum eo, et venerunt usque ad locum certaminis: et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, et caedes magna nimis.

v. 21: Sed et Hebraei qui fuerant cum Philisthiim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt ut essent cum Jsrael: qui erant cum Saul et Jonatha.

v. 22: Omnes quoque Jsraelitae qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philisthaei, sociaverunt se cun suis in proelio. Et erant cum Saul quasi decem millia virorum.

v. 23: Et salvavit Dominus in die illa Jsrael: pugna autem pervenit usque ad Betharen.

v. 24: Et viri Jsrael sociati sunt sibi in die illa: adjuravit autem Saul populum dicens: Maledictus vir qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus populus panem.

v. 25: Omneque terrae vulgus venit in saltum in quo erat mel super faciem agri.

v. 26: Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel: nullusque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus juramentum.

6961 Ora su questa etc. diciamo come, visto l'ordine della Provvidenza nella salute degli eletti posti in quelle circostanze, è da vedere l'ordine della loro corrispondenza con che si salvano.

In obscuris tantum consilia et morae adhibenda [sunt]; non in apertis, quae cum festinatione sunt implenda, dove siamo massimamente accertati dai nostri prelati. Quaecumque dixerint facite: secundum vero opera etc., *Matth. 23,3*.

6962 *1 Reg. 14,19*: *Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum, crescebatque paulatim et clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam.*

v. 20: Conclamavit ergo Saul, et omnic populus qui erat cum eo, et venerunt usque ad locum certaminis.

Quaedam sunt quae per consilium, quaedam vero quae per auxilium meliorantur. Ubi enim aperta et indubia necessitas est, illic non est idonea mora consilii, sed celeritas subventionis. Ambigua quidem et obscura melius consulendo peragimus, sed aperta et cognita, subventionis. Ambigua quidem et obscura melius consulendo peragimus, sed aperta et cognita, subveniendo et festinando sublevamus.

6963 Prius Saul applicare arcam petiit, deinde: *Ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam: ibi:* quia obscura debemus consulendo disponere, et quae clarius innitescunt cum festinatione complere.

Tumultus crescebat paulatim: [quod est] (praedicatori) conversorum

peccatorum devotionem cognoscere. Crescebatque paulatim, quia dum mentem nostram ad bona opera spiritus dirigit, hanc ad meliora per quotidianos profectus leniter ducit.

Conclamavit ergo Saul et omnis populus qui erat cum eo, 14,20: quia se praedicatoribus sociant.

6964 Siccome hanno grandi combattimenti e conflitti, altri si pongano sotto la direzione d'un discreto ministro: altri meglio si convertano a vita religiosa sotto ubbidienza. *Et venerunt usque ad locum certaminis, 1 Reg. 14,20:* locum certaminis [qui] cor est verbum Dei audientis, quia verbum quod recipitur, cum praeterita conversatione proeliatur; placent enim ei jam coelestia quae audit, sed vetus consuetudo insurgit, et ut audita contemnat, suggerit. Fit pugna item gravior quia quod praedicator laudat, hoc maligni spiritus dissuadendo vituperant, et quasi proeliando se contra Sanctos erigunt, dum illud bellando destruunt, quod istorum voce praedicatur.

6965 *Et venerunt usque ad locum certaminis*: [quod est] per exquisitionis aditum, pervenire ad secreta cordis auditoris, ubi hostes celeriter inveniat, et potenter caedat. Nam qui discutere interna nesciunt, ad locum certaminis pervenire non possunt. Locus certaminis, ubi crebra fama magnae religionis est; illuc quippe dum ab innumeris curritur, qui et vitam deponere veterem, et induere novam concupiscunt, [fit] locus certaminis; quia quotidie illic spiritualium virtutum exercitus pugnat cum numerositate vitiorum. Illic quidem, quanto graves pugnae, tanto [sunt] gloriosae victoriae; illic quo frequentius accessus hostium, eo et laudabilior numerus triumphorum; ubi non solum magnorum alta virtus extollitur, sed communis omnium strenuitas mira fortitudinis ostensione monstratur.

6966 *Et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, et caedes magna nimis, 14,20.*

Gladius spiritus, quod est verbum Dei: *Eph. 6,17*. Gladium uniuscujusque locis ad omnipotentis Dei servitium conversi sunt, quia verbo Dei inseparabiliter inhaerent, quasi juxta se quisquis gladium tenet.

Et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, quando hi qui in monasteriis conversi sunt, et vicissim se verbo Dei perforant, et carnalitatem in se penitus necant. Velut enim alterutro vulnere interficiuntur, dum alter alterum verbo Dei percutit, et quidquid in se carnaliter vivit, extinguit. Qui, quia nuper conversi a saeculari vita ceciderant, Philisthiim typo signati sunt.

6967 Così ciascuno risponde, che chiama il suo prossimo. Qui audit, dicat: Veni, *Apoc. 22,17*. [Così fece] S. Bernardo co' suoi fratelli; e [ricorda] la risposta del piccolo.

Vel [alter alterum ferit] quando per conversorum exhortationem, nondum conversi peccatores ad Dominum convertuntur; quando non solum hi qui praesunt

verbo praedicationis alios lucrifaciunt, sed multitudo subditorum quotquot possunt verbis et exemplis instruere, et praesentis vitae desideriis conatur velut interfectos subducere, et aeternae vitae vivos exhibere. Haec quidem lucra peremptorum jam in tota ecclesia per orbem universum diffusa conspicimus, quia quicumque per divinam gratiam jam Deo vivunt, alternae caritatis mucrone huic mundo mortui videntur. [Item] quia omnes electi se in sancta Ecclesia vicissim roborant, et ad coelestem patriam studio alternae praedicationis inflammant.

6968 Conversioni stabili, intiere, perfette.

Et quia innumerabilis populus quotidie Deo acquiritur, [sequitur]: *et caedes magna nimis, 1 Reg. 14,20*. [Nimis magnum] in magnitudine potest quodcumque dignosci; sed excellentia non valet comprehendi. Ad hanc quidem magnam nimis caedem oculos extulerat [ille qui dicebat], *Ps. 138,17 sq*: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur.

[Potest etiam intelligi caedes magna nimis] non solum ut multi, sed etiam ut bene interfecti videantur; quod quidem in conversione peccatorum fieri cernitur, cum sic praeterita deserunt, ut ad eadem delectamenta numquam reviviscant. Caedi [enim] peccatoribus [est] ad tempus a turpi vita separari: caedi nimis, [sive] vehementer, temporalis vitae illecebras perfecte deserere, et futurae gaudiis inhiare.

6969 Ipsorum vero qui convertuntur quia multa diversitas est; [sequitur]: *1 Reg. 14,21*: *Sed et Hebraei qui fuerant cum Philisthiim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt ut essent cum Jsrael; qui erant cum Saul et Jonatha.*

Hebraei qui fuerant cum Philisthiim, [sunt] peccatores a religiosa conversatione lapsi; de quibus non valde supra dictum est, *13,7*: Hebraei transierunt Jordanem. Hebraei [quidem] ordine religionis. [Sed] Qui fuerant cum Philisthiim... ascenderantque cum eis; [quod fit] quamdiu per suggestiones noxias illuduntur, et in prava operatione proficiunt. [Qui] fuerant cum malignis spiritibus, proposito et voluntate peccati: ascenderant cum eis, quia ipsis impellentibus in audaciam se extollunt iniquae operationis; vel fuerant cum eis, cum peccata sua operando perficiunt, ascenderant cum eis, cum pravitatis suae exempla aliis imitando proferre non metuunt.

6970 Apostatarum etsi dificillima conversio sit, non est tamen impossibilis. Totum habet qui bonam voluntatem habet. Non occorre che aspettino chi li scomunichi: essi sono già separati. Ipsi recesserunt prius; possono ritornare, basta che il vogliano. La Chiesa sempre il desidera.

Reversi sunt ut essent cum Jsrael, 14,21: quia tales etiam plerumque resipiscunt. Reverti [est] amorem religiosae vitae resumere; esse cum Jsrael, intra

sanctam Ecclesiam in caritatis unitate persistere. Ad hoc quippe revertendum, ut cum Jsraele esse proponatur; quia nulla est conversio peccatoris, si conversus perseverantia careat boni operis, et unitate caritatis.

6971 *1 Reg. 14,22: Omnes quippe Jsraelitae qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philisthaei, sociaverunt se cum eis in proelio.*

Hoc quoque toties fit, quoties remotiori vitae dediti, ad quaerenda animarum lucra intorquere studium dignantur. [Namque] sociaverunt se cum eis in proelio, cum vera aeternae vitae gaudia cum sanctae Ecclesiae doctoribus praedicant, pariterque a peccatorum cordibus malignos spiritus fugant.

Audientes quod fugissent Philisthaei, sociaverunt se cum eis in proelio: praeclara quidem victoria non est fugientes insequi, sed resistentes effugare. Sed his verbis remotioris vitae convenientia lucra signantur.

6972 La corrispondenza attira maggiori grazie e maggiori soccorsi. Iddio fa conoscere li suoi eletti, che suol tenere più occulti nel suo cuore, onde i convertiti più approfittino e crescano; e gli eletti giusti, salvati in abscondito faciei suae donec transeat iniquitas, *Ps. 30,21 et 56,2*, corrispondano all'amor del Signore e alla grazia che Dio loro ha fatta, coll'invitare altri a perfettamente servirlo.

Mos namque illorum virorum esse solet, ut verbum potius consulentibus se, quam sibi obsistentibus proferant: quia nisi devotum cor auditoris agnoscunt, praedicationem suam quasi in vanum perituram emittere dedignantur. Prius ergo quam *sociant cum eis in proelium* audiunt quod fugissent Philistaei: quia non tam scelestis convertendis invigilant, quam conversis ad perfectioris vitae fastigia sublevandis.

6973 Ipsa autem sublimitas vitae perfectioris, quia suaderi magnae exhortationis laboribus solet, [dicit]: *audientes quod fugissent Philisthaei, sociaverunt se cum eis in proelio.* Hostes itaque fugiunt, sed nuper absconditi proeliantur, quia remotae vitae viri non dignantur loqui, nisi devotis auditoribus; sed loquentes vitae quam ipsi tenent altitudinem, magna verborum atque exemplorum pugna suadere vix possunt.

6974 Altri profittano alla emulazione de' celesti spiriti, e de' santi cittaditi.

Et quia magna lucra praedicationis infirmi et imperfecti colligere non possunt, [sequitur]: Et erant cum Saul quasi decem millia virorum. *v. 22*. Non ait: decem millia, sed: quasi decem millia; hujus denique numeri perfecta perfectio in terra non invenitur, sed in coelo. Quia enim novem sunt ordines Angelorum, et ad illorum societatem electorum illa hominum multitudo sustollitur, decem millia virorum illa sunt, quae in sanctis Angelis et electis hominibus in illa aeternae gloriae sede gratulantur. Quasi decem millia virorum illa sunt, quae in istius adhuc saeculi exilio posita, illius beatae societatis formam in moribus susceperunt.

6975 Quindi attraggono maggior grazia, e pervengono al dono della

contemplazione, in quanto corrispondono alla maggior grazia levandone gli ostacoli.

Quia item illius supernae vitae amore peccatorum tenebrae relinquuntur, [sequitur]: *1 Reg. 13,23*: *Et salvavit Dominus in die illa Jsrael*.

Contemplatio quidem internae lucis, splendida valde atque clarissima dies est, in qua Dominus Jsraelem salvat; quia quorum corda luce intimi splendoris irradiat, in celsitudinem perpetuae salutis levat.

Salvavit Dominus in die illa: quia ad aeternae vitae amorem nemo succeditur, cui intime lucis splendor occultatur.

6976 Corrispondono anche quelli che erano riputati più dispregevoli ed inutili. Infirma et stulta mundi et contemptibilia elegit Deus, *1 Cor.1,27 sq*

Ad hanc salutis gratiam non solum electa, sed etiam despecta quae sunt mundi perveniunt. Unde: *pugna autem pervenit usque ad Bethaven 1 Reg 14,23*.

Bethaven, [latine est] domus inutilis. Hanc quippe inutilem domum Dominus in parabolis ostendens, regem servo in nuptiis praecipientem introducit, *Luc. 14,21*: Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, et caecos, idiotae ac simplices; quia dum coelestia nequaquam vident, lumine mentis carent; claudi, qui gressum boni operis perdiderunt.

6977 Pugna pervenit usque ad Bethaven: quia saepe inutiles personae, dum sermonis Dei bello capiuntur, in ejus reductae servitium, utiles fiunt: Pugnatur quidem cum caecis, ut videant; cum claudis, ut subsistant; cum pauperibus, ut morum thesauros accipiant; cum debilibus, ut ad robur boni operis convalescant. Pugna [ergo] pervenit usque ad Bethaven, quando illi sanctorum praedicatione capiuntur, qui utilitatem alicui necessariam habere nullam videbantur.

6978 Corrispondono d'ogni condizione, siccome nulla conversionis et salutis expers conditio est. *1 Reg. 14,24: Et viri Jsrael sociati sunt sibi in die illa*.

Omnis quidem vir praedicatori conjungitur, quando conditio hominum nulla relinquitur, ex qua conversi ad bonam conversationem minime perducantur.

Viri... sociati sunt sibi, [idest] Sauli: quia qualescumque in saeculo sumus, in Dei omnipotentis servitio esse fortes admonemur; nisi viri etenim praedicatoribus nequaquam sociantur, quia cum eis non conveniunt nisi fortia ipsi agant, quae illi docendo laudant.

6979 Sed jam devictis hostibus, jam sibi fortibus congiunctis, quid rex agat attente considerandum est. *Adjuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis, ibi.*

Inimicis meis, [seu] praedicatoris: [Hi sunt] ii de quibus Psalmista obsecrat dicens, *Ps. 58,1*: Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. Inimici sanctorum [sunt] immundi spiritus, quia mundi blandimenta quae illi suggerunt, amplecti isti magno studio detestantur. Nam quibus adhuc ali-

quid de maligni spiritus consiliis placet, ejus utique inimicus non est; quia odisse nondum novit, cujus blandimenta non respuit. Inimici etiam sanctorum dicuntur, ut ex sacro eloquio detegantur; nam per omne quod suggerunt, per omne quod blandiuntur, eas animas quibus delectabiliter favent, perdere conantur.

6980 Adjuravit... populum dicens: Maledictus qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis.

Sed notandum quia jam devictis hostibus ista loquebatur. Comedere victoribus [est] de peracto virtutis opere cibos vanae laudis delectanter accipere.

Maledictus qui comederit panem usque ad vesperam, *ibidem:* quia qui modo vanas laudes gratanter excipit, tunc aeternas Creatoris laudes amittit.

Adjuravit autem... populum: Maledictus qui comederit: quia doctorum praecepto [populus] constringitur, ut de bono opere inaniter numquam glorietur. Fortia bene vivendo agat; sed quamdiu vixerit, appetere de fortitudine laudes caveat, ut laudari post mortem aeternaliter non amittat.

6981 Corrispondono alla nuova grazia con che Dio per la bocca del pastore li esorta: Quaecumque dixerint facite, *Matth. 23,3*: e fuggono le laudi e si tengono in grande umiltà, non invanendo per la loro corrispondenza. Non ego, sed gratia Dei mecum, *1 Cor. 15,10*. Maledictus qui comederit ante vesperam: ad vesperum utique manducandum esse concessit. Vespere [est] finis diei; in vesperum comedunt qui abstinere possunt ante vesperum; quia qui laudari modo de magna asctione despicit, cum ad vitae finem ducitur, aeternis dignus laudibus invenitur. Hoc est quod Dominus se daturum electis in evangelio repromittit, *Matt. 25,23*: Euge serve bone et fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Hinc iterum ad judicium veniens dicit, *ibidem,* v. 34: Venite benedicti Patris mei: percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.

6982 *Donec ulciscar de inimicis meis, 1 Reg. 14,24*: quia omnes tunc diabolicae tentationes evanescunt, quia enim ultra daemonum insidiae tentando nihil obsunt, cum per carnem morimur, de inimicis nostris ulciscimur quos jam velut interfectos penitus non pavemus. *Usque ad vesperam, ibi*: Vel ergo usque ad vesperam comestionem differimus, si laudis nostrae praeconia in fine venturo judici reservemus; tunc quidem manducandum est, quia qui judex tunc venit, modo dux nostri exercitus commilitonibus repromittit, *Luc 12,37*: Faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Discumbunt tunc victores, quia internae quietis alta sede recepti, perennis vitae laudibus delectantur, quando ipsis tacentibus, omnium bonorum operum praeconia concinunt, et simul proferuntur ad gloriam, quae hic magna virtute ferebantur ad pugnam.

6983 *1 Reg. 14,24*: *Et non manducavit universus populus panem. v. 25: Omneque terrae vulgus venit in saltum in quo erat mel super faciem agri. v. 26:*

Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel: nullusque applicuit manum ad os suum.

Saltum: [hic] silvosus atque clivosus locus est, [significans] corda saecularium; quia dum tota intentione curis exterioribus serviunt, velut silvos loca ad fructum boni operis praedicationis vomere [culta] non sunt.

Vulgus: [sunt] religiosi viri et simplices. Terrae vulgus: quia in bono opere magni sunt, sed tamen altissima contemplatione magni non sunt; nobiles quidem actione, sed vulgus summorum virorum comparatione.

Terrae vulgus venit in saltum: quia religiosi et simplices viri, per exempla bonorum operum saepe ad notitiam saecularium deducuntur.

In quo erat mel super faciem agri: quia de exemplo boni operis apud saeculares inveniunt, et devotionis latitudinem et fructum venerationis. In quo saltu, ager [est] devotio in occulto et expurgato corde saecularium; mel [autem] super faciem agri, dulcedo favoris.

6984 Corrispondono con fedele umiltà alla soprabbondante grazia. Mentre scorrono per fama le buone loro opere, hanno piacere che Dio si glorifichi: essi a sé niente attribuiscono, né de' doni si piacciono.

Ingressus est itaque populus saltus, et apparuit fluens mel. 1 Reg.14,26 quia videlicet aspera saecularium corda, si prius religiosorum exempla non vident, nec latitudine devotionis se valent distendere, nec alienae sanctitatis gloriam praedicare. Ante ingressum quidem tantum saltus est, nec agrum habet nec fluens mel; post ingressum, et latitudinem agri habet et dulcedinem mellis, quia saepe qui mundum diligunt, sanctorum exempla ferventi amore recipiunt, ut bonum quod vident sibi non solum placeat, sed etiam praedicare ttentius concupiscant. Ipsa tamen sanctorum vita laudanda est, et laus ista ab eis quorum est per vanam gloriam nullatenus capienda; videri tantum debet, excipi non debet; ut glorificari Deum quisque in suo opere gaudeat, sed de Dei gratia extolli contemnat. Unde et caute expressum est:

6985 *Apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum, ibidem.*

Fluit mel, quia dulcis fama sanctorum dulciter velociterque currit; nullusque applicuit manum ad os, quia de opere bono dulcedinem laudis non accipit. Applicare manum ad os cum melle, [est] laudem operis sui gratanter accipere. Decurrat ergo mel, nullusque applicet manum ad os: ut sanctorum fama dulciter fluat, et ipsos a quibus defluit non extollat. Fluat ut alios satiet, sed non sumatur, ne mortem propinet. *Timebat enim populus juramentum, 14,26*.

Juramentum regis est, *Luc. 18,41*: Omnis qui se exaltat humiliabitur. Item quod contra hypocritas profert, *Matth. 6,16*: Amen dico vobis: ecceperunt mercedem suam.

Timebat populus juramentum: quia ne aeternas amittat, temporales recipere

laudes cavet.

6986 MEDITAZIONE 57.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 14,27:-34 *Porro Johathas non audierat cum adjuvaret pater ejus populum; extenditque summitatem virgae quam habebat in manu, et intinxit in favum mellis, et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus.*

v 28: Respondensque unus de populo ait: Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem hodie: (defecerat auntem populus).

v. 29: Dixitque Jonathas: Turbavit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paullulum de melle isto.

v. 30 Quanto magis si comedisset populus de praeda inimicorum suorum quam repperit? Nonne major plaga facta fuisset in Philisthiim?

v. 31: Percusserunt ergo in die illa Philisthaeos a Machmas usque in Aialon: defatigatus est autem populus nimis.

v 32: Et versus est ad praedam, tulit oves et boves et vitulos, et mactaverunt in terra: comeditque populus cum sanguine.

v. 33: Nunciaverunt autem Sauli dicentes quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Praevaricati estis: volvite ad me jam saxum grande.

v. 34: Et dixit Saul: Dispergimini in vulgus, et dicite eis ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud, et vescimini: et non peccabitis Domino comendentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem, et occiderunt ibi.

6987 Ora su questa lettera etc. diciamo come osservato l'ordine con che Dio salva gli suoi eletti, e per parte della sua Provvidenza e per parte della loro libera corrispondenza, sèguita che osserviamo l'ordine ancora con che egli salva lo strumento di cui si servì a guida e salute delli suoi eletti; giacché circa questi uomini di tal genere, il Signore si degna di favorirli d'una Provvidenza speziale; e tanto è loro necessaria, atteso gli stupendi pericoli a che sono esposti per amor suo. E prima vedremo la caduta e i difetti che Dio permette per la loro riparazione.

Primo grado: Comincia ad invanire. Saepe verbo et opere, magni a vana gloria non satis cavent. *1 Reg. 14,27*: *Porro Jonathas non audierat, cum adjurasset pater ejus populum: extenditque summitatem virgae quam tenebat in manu, et intinxit in favum mellis, et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus.*

6988 Jonathas [illos insinuat] qui verbo et opere magni sunt, sed tamen studio

circumspectionis magni non sunt; alta quidem praedicant, fortia exercent, sed in humilitatis circumspectione se non viriliter tenent.

Virgae quam tenebat in manu: quia disciplina qua peccare alios prohibet, semetipsum non coercet. Virga qua parvuli solenti corripi, [est] sermo correctionis. Virga et manus, [sunt] praedicatio et opus bonum.

Extendit... virgam.. in favum mellis, et convertit manum suam ad os ejus: [quod est] tam de praedicationis verbo, quam de studio boni operis vani favoris gustum recipere.

6989 Sed quia more electorum peccat, non virga, sed Summitatem virgae... intinxit in favum mellis et in os ejus. Virgam quippe et manum melle plenam ad os convertunt qui, *Matth. 23,5*: Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus. Dum enim suis laudibus saturantur, mel non ad tenuem gustum habent in summitate virgae, sed vel in tota virga, vel in manu ad plenam refectionem. Tales utique erant quibus Dominus in Evangelio exprobrat, *Jo. 5,44*: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quae a solo Deo est non quaeritis? Summitatem virgae: quia plerumque et Dominum glorificare in suo opere quidem volunt, et apparere ipsi laudabiles non refugiunt.

6990 Porro Jonathas non audierat cum adjuraret pater ejus populum: quia

Dei sive ejus praedicatoris verba non audit, qui eam implere negligit.

Et illuminati sunt oculi ejus: quia qui vani favoris auram recipiunt, ex eodem ad agenda fortia roborantur. Hoc quidem loco non dicuntur aperti oculi ut clausi fuisse sentiantur, sed ut reparato vigore corporis ad videndos intelligantur et ad extinguendos hostes reparati. Quod nimirum elatis omnino convenit, qui ex eo majora et fortia agunt, quo laudabilia opera sua efferri conspiciunt. Sed saepe minor zelo caritatis accenditur, qui delinquentes magnos viros ad scripturarum memoriam reducere conatur.

6991 Seconda conseguenza del difetto nel capo: Quam caute ac humiliter patres, seu superiores a filiis et inferioribus, ubi necessitas cogit, sint admonendi. Ne segue nondimento che invece di correggere egli con vigore i sudditi, i sudditi lo riprendano; ond'è subito l'ordine confuso. S'indebolisce prima la subordinazione, perché la vanagloria dà subito negli occhi, che si sospetta anche dove non è: come in S. Francesco secondo si attacca a' sudditi subitamente il difetto de' Superiori, perché ancorché dispiaccia negli altri la vanagloria, piace però in se stessi il cercare la propria gloria. *1 Reg. 14,28*: *Respondensque unus de populo ait: Jurejurando constrinxit pater tuus populum dicens: Maledictus vir qui comederit panem hodie*

6992 Respondit...: Jurejurando constrinxit pater tuus populum dicens: Maledictus etc.: quia cum minor errantem vult praelatum dirigere, non debet aspere objurgare, sed dulciter atque humiliter ad majorum statuta memoranda reducere.

Jurejurando constrinxit pater tuus populum: ut non loquentis personae humilitas, sed ostensa auctoritas attendatur, ut si suggerentis ordo despicitur, illius qui monstratur celsitudo timeatur. Quam tamen asseruit patrem, ut praecepta majorum et timori esse debeant, et amori.

6993 Jurejurando constrinxit pater tuus populum dicens: Maledictus qui comederit panem hodie. Quasi dicat: Eorum te memorem esse velim, quae tua non mea sunt; quia dum culmen majorum obtines, eorum leges quasi hereditario jure servare debes.

Panis [est] favor adulantium: quia mentem vanitati intentam et satiat et confortat, dum hanc ad agenda quae laudari debeant valentiorem reddit. Quod quidem arrogantibus valde convenire cernitur, qui ad loquendum prolatis laudibus animantur.

6994 Et quia arrogans praedicator habet similes sibi subditos laudis cupidos, [sequitur]: *Defecerat autem populus*; ad litteram: lassescerat. Qui enim laudes transitorias de verbi praedicatione requirunt, deficiunt cum laudantur, quia nullo vigore verba proferunt quae non laudari cernunt; velut enim lassescentes deficiunt dum despecti obmutescunt. Sed et dum non comedunt videntur deficere, quia si licitum haberent cibum favoris, velut refecti et fortes insequentur vitia praedicationis verbi. Unde et arrogantis praedicatoris forma ostenditur, per id quod subjunctum est.

1 Reg. 14,29. Dixitque Jonathas: Turbavit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei eo quod gustaverim paululum de melle isto. v. 30: quanto magis si comedisset populus de praeda inimicorum suorum? Nonne major plaga facta fuisset in Philisthiim.

6995 [C'è] chi accagiona la Santa Sede della perdita dell'Inghilterra, della rovina de' conventi.

Dixitque Jonathas: Turbavit pater meus terram: Majores statuta sua per imperitiam confudisse redarguit.

Terram: [haec est] subditorum humilitas. Turnavit terram quando, errante pastore, tranquillae veritatis ordinem deserere videtur. Et quia dum favores hominum arrogantes inhianter ambiunt, et hoc licitum esse asserere conantur, profectus suos in testimonium perducunt, [sequitur]: *vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paullulum de melle isto, ibi*. Quasi dicat: Ex laude subjectorum crevi, dum non esse minor laudibus studui. Nam et electorum praedicatorum mos esse solet, ut dum se laudari considerant, hoc quod de se foris audiunt, esse viribus contendant.

Gustavi paullulum melle: quia arrogans linguae favores se excipere licenter putat, ad vitae profectum non ad intentionem vanitatis.

6996 Sed omnino alius est laudis praeconia moribus adaequare contendere,

aliud laudes appetere, ut in iisdem; laudibus profectum vitae possit invenire. Laudes quippe suas moribus exaequare conantur, qui ipsas laudes despiciunt, qui laudari ab hominibus nunquam volunt. Quantum certe in eis est laudare vehementer refugiunt; sed quia non possunt omnino effugere ne laudentur, conantur esse quod audiunt. Sed quidam bonis ostensis operibus idcirco laudari volunt, ut laudati majus conscendant in opus virtutis. Qua profecto praesumptionis sua aestimatione falluntur; quia qui in minimis laudes appetit, cum majora opera fecerit, ardentius et valde avidius laudes quaerit. Et fortasse ideo post patrem Jonathas non potuit regnare, quia illos signabat qui dum vane se extollunt vere deficiunt.

6997 Secondo grado: Avanzamento del male: farne massima, e ripugnare al prelato. Cresce la superbia e vanagloria col disprezzo dell'avviso e precetto del suo prelato, e colla massima falsa: altro è cadere in atto alcuno di vanagloria, altro è formarsi massima, e riputar bene il male.

Addit quoque ratiocinando, et dicit: *Quanto magis si comedisset populus de praeda inimicorum suorum quam repperit? Nonne major plaga facta fuisset in Philisthiim? 14,30*.

Mellis paullulum in virgae summitate gustare, est de doctrinae facundia qualitercumque gloriari.

Comedissent... de praeda inimicorum: [quod est] virtutis opera per memoriam repetere, et recolendo gaudere. Praedam inimicorum facit, dum ea in quibus hostibus quis praevaluit, ad memoriam ducit; comedit quoque ad saturitatem, qui quasi sua virtute haec fecerit, se inaniter et vehementer extollit.

Quanto magis si comedisset populus de praeda inimicorum suorum, quam repperit? Nonne major plaga facta fuisset in Philisthiim?

Quasi dicat: Cum ex brevi gustu favoris tantus profectus sit, quid electi praedicatores facerent, si plenas operum laudes licitas ac justas haberent?

6998 Prima conseguenza: Anche i sudditi crescono nella vanità, e operano e predicano non solo con vanità, ma per la vanità.

1 Reg. 14,31: *Percusserunt ergo in die illa Philisthiaeos a Machmas usque in Ajalon.*

Dies mentis [est] splendor eruditionis. Sed illi quos arrogantes erudiunt, quia ambitione temporalis gloriae fortia fieri viderentur.

Percusserunt in die illa, doctrina et exemplo superborum, quia ad hoc ministerium praerdicationis inserviunt, ut splendorem gloriae temporalis adipiscantur.

6999 Et quia omnibus innotescere cupiunt, [sequitur]: *a Machmas usque in Ajalon.* Machmas, [sive] humilitas, [sunt] pusilli et simplices in sancta Ecclesia. Ajalon, vel Aion [sive] frater meus maerens, [sunt] illi quos Dominus collaudat. *Matth. 5,5*: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Qui enim jam temporalia

cuncta novit despicere, et ad aeterna magnis desideriis anhelare, dum horret teneri in corpore, et gemit in illa aeternae vitae laetitia nondum esse, [est] frater meus moerens: frater, quia Christi cohaeres jam esse coepit, ad cujus beatissimam illam atque laetissimam haereditatem totis desideriis ingemiscit; moerens, ut perfectorum luctus inenarrabilis esse designetur.

7000 Moerere: non quomodolibet, sed affectuosissime flere est; quia enim Spiritus Sancti gratia repleti sunt, ad illam fletuum ubertatem pervenerunt, quam egregius doctor asserit, Rom. 8,26: Ipse autem Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Moerens frater, quia Redemptori in magna familiaritate perfecti quique conjuncti sunt; quem enim singulariter Redemptor diligit, quem singulari dignitate ad perpetuae haereditatis possessionem nutrit, cum frater eius asseritur, singulari numero declaratur. Unde et ad Moysen quasi singularem amicum, dicit, Ex. 33,12: Novi te ex nomine. *Jo. 21,20*: Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus. Qui enim omnes discipulos diligebat, dum hunc diligere dicitur, frater singulari numero demonstratur.

7001 *Percusserunt ergo in die illa Philistaeos a Machmas usque in Ajalon: 14,31*: quia arrogantes, ut lucem gloriae saecularis accipiant, non solum parvulis parva praedicant, sed alta quae perfectiores agnoscant; et quia cum sibi per intentionis perversitatem obsunt nonnullis in Christo parvulis, pluribus etiam perfectioribus prosunt loquendo, [sequitur]: *percusserunt... a Magmas usque ad Ajalon*: non *pugnaverunt.*

Percusserunt... Philisthaeos [quod est] daemonum insidias, vel vitiorum tyrannidem ab electorum corde perimere. Sed saepe elati doctores aliis per verbum prosunt, et ejusdem verbi laudes nullas accipiunt quas concupiscunt. Unde et frequenter accidit, ut dum laudari et efferri se non considerant, velut fatigati magnis laboribus obmutescant: *Defatigatus est autem populus nimis, 1 Reg. 14,31*.

Mos quoque esse elatorum solet, ut cum ab eorum laudibus lingua aliena silet, aestimatio sua non silet. Tacentibus quidem aliis, clamat; quia aestimationis suae praeconia in corde portant. Bene ergo de eodem populo [dicitur]:

7002 *Et versus ad praedam tulit oves et boves et vitulos, et mactaverunt in terra: comeditque populus cum sanguina, 1 Reg. 14,32*.

Tulit oves: qui innocentiae suae causas multiplices ad elationem recolit.

Et boves: quando labores praedicationis suae cogitat, et quidquid aliis loquendo, velut terram excolendo, profecit, memorando coacervat.

Et vitulos: cum de eo extollitur quod compressi motus lasciviae ad mentem reducuntur. Quia enim duo in magna justorum laude praecepta sunt, videlicet splendor caritatis cum luce boni operis, dum aestimatione sua quisque arrogans extollitur, tulit oves... et vitulos. Oves, in innocentia bonorum operum; vitulos, in mortificatione corporalium passionum. Quibus et boves inseruit:

7003 Tulit oves, et boves, et vitulos: quia perfecte non extollitur qui se infirmum et impotentem in parte aliqua contemplatur. Magnus quidem apud se jam est aestimatione pudicitiae et boni operis; sed in fastu amplioris elationis se elevat, dum perfectum se recolit in labore praedicationis. Sed haec omnia ad quem finem perducantur, subsequenter [expositum est]. Et mactaverunt in terra, *14,32*, oves et boves et vitulos: [quod est] de virtutum conscientia, ima et carnali laetitia exultare. Unde et per Oseam, de elatis et arrogantibus, dicitur, *Os. 5,2*: Et victimas declinastis in profundum. [Declinant] qui coelestes virtutum hostias non in coelum per gratiarum actionem sublevant, sed ad terram per appetitum vanae laudis inclinant.

7004 Seconda conseguenza: cresce il male ne' sudditi, che anche tacendo altri, essi invaniscono; perché dal primo grado ch'era invanirsi all'udire la stima altrui, passano al secondo, ch'è invanirsi alla stima propria. Il primo è quasi un rubare, quasi in secreto non avvedendosi; il secondo è proprio un rapire. *Comeditque populus cum sanguine. 14,32*.

Mentis cibus interna ejus laetitia est. Comeditque... cum sanguine: [quod est] ab interno appetitu mentis, intentionem vani favoris nequaquam removere. Velut enim sanguis abjicitur, cum mens a gaudio boni operis intentionem removet vanitatis; hujusmodi enim mens laetari in bono opere novit: quia appropinquare coelestibus per opera bona gaudet, quae in eisdem operibus videri ad tempus refugit.

Comederunt cum sanguine: [hoc est] gaudium boni operis sumere, permixtum vanitatis intentione. Quod nimirum cum ab aliis offertur, elatis simplex cibus est; cum vero nullis laudantibus conscientia superborum intumescit: *et versus ad praedam tulit, ibi*: violenter tollunt, quod aliquis sponte non tribuit.

7005 *Reg. 14,33*: *Nunciaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccasset Domino comedens cum sanguine. Qui ait: Praevaricati estis: volvite ad me jam saxum grande.*

v. 34: Et dixit Saul: Dispergimini in vulgus, et dicite eis ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud, et vescimini, et non peccabitis Domino comendentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem, et occiderunt ibi.

Praedicatorum sanctae Ecclesiae proprium est et perpetratas culpas reprehendere, et qualiter reprehensae vitari debeant monstrare. Reprehensae quidem innotescunt, sed si vitari nesciantur, ostensae repetuntur.

7006 Comederunt cum sanguine: [per quod ostenditur] latens elationis virtus. Latentia autem vitia, nisi exposita non curantur; ut ergo praedicatorum mores insinuet, Saul prius ait: Praevaricati estis. Deinde: Volvite ad me saxum: [volvitur] cum coram eo Redemptoris exempla memorantur. Volvite: ut ex omni parte videatur. Grande: quia per Danielem crescere perhibetur, et omnem orbis faciem

implere, *Dan. 2,35.*

7007 Non ergo quomodolibet, sed ab utroque latere revolutus aspicitur, ut ab arrogantibus conspiciatur Deus, et eorum arrogantia deprimatur. Videat ergo arrogans quam potens in virtute, quam sublimis in majestate, quam humilis in virtute Redemptor noster apparuit; nam caecos illuminans, aegros sanans, praecipiebat ut quod potenter egisset, nemini diceretur.

Matth. 8, 4; 16,20. In monte resplenduit, Patrem testimonium suae divinitatis produxit: et tamen discipulis ait, *Matth. 17,9*: Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis a mortuis resurgat. Et fortasse idcirco, resurgente jam Domino, ad monumentum Angelus apparuit, qui ab ejus ostio lapidem revolvit. Tunc quippe revolvendus erat lapis, quia Christus verus homo et potens Deus post resurrectionis gloriam erat agnoscendus.

7008 Si ergo unam partem lapidis aspexit elatus, volvat lapidem et aliam videat. Non qualitercumque lapidem videat, quia non est mortuus Christus, sed revolutum ab Angelo, quia a mortuis surrexit. Aspiciat ergo facundiam praedicationis hinc, et volvat et miretur illinc splendorem humilitatis; videat signorum potentiam hinc, et inde videat quia qui virtutis potentia claruit, eamdem virtutem praecepto silentii occultavit. Sed dum videt partem humilem, videat et sublimem. Ecce humilis pars lapidis cernitur, quia dicit, *Philipp. 4,8*: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem; sed si ista pars volvitur, altera revelatur, *ibi v. 9*: Propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.

7009 Dio subito accorre colla grazia sua perché non cresca il male. Etiam cum ceciderit apponit manum suam. Dove mai si arriverebbe, se Dio non ci arrestasse e sostenesse col suo braccio?

Primo soccorso: La riprensione pubblica del prelato, ancorché in sé cattivo. Quaecumque dixerint facite: super cathedram, *Matth. 23,1 sq.* finché sta cioè nella cattedra della verità; perché se va nella cattedra di pestilenza, *Ps. 1,1*, non bisogna sedervi insieme.

Volvite ad me jam saxum grande: *1 Reg. 14,33*: [Volvimus] cum coram praedicatore Redemptoris nostri potentiam et humilitatem memoramus; cum et in operibus eum attendimus humilem, et ex humilitate in coelo sublimen.

Adducat ad me unusquisque bovem suum, et arietem, et occidite super istud, 14,34: ut in omni hominum genere elationis vitium, Christi contemplatione mactetur.

7010 *Et non peccabitis Domino, comedentes cum sanguine, ibi.*

Ibi omnis sanguis effunditur: quia qui exemplo Christi instruitur, magna agit, sed de illis magnis operibus non se extollit. Pascitur quidem laetitia

boni operis, sed non cruentatur cibus ejus sanguine vanae laudis. Nam lapis ille si in verbis revolvitur, dicit: *Jo.15,25*: Si opera non fecissem in eis, quae nemo

alius fecit, peccatum non haberent; sed quia de verbis non tumuit, volvens se dicit, *Jo. 8,50*: Ego non quaero gloriam meam.

Bos ergo et aries in lapide occiditur, quando exemplo Redemptoris omnis cornuta elatio condemnatur; quando electus quilibet et bene agit, et optime docet, sed nec vita eum erigit propria, nec eruditio aliena.

Aries [est] robur propriae innocentiae; bos: labor et fortitudo praedicationis. Occidite [eos] super istud: ut sic electam mentem gaudio reficiant, ut ei mixtum in se cruorem carnibus non impendant. Hoc quidem non solum electus praedicator loquitur, sed etiam persuadet.

7011 Secondo soccorso: l'esempio del popolo, da lui convertito e diretto, che si ravvede. *Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem, et occiderunt ibi, 14,34.*

Adduxit... unusquisque bovem in manu sua: [quod est] peccatum elationis poenitentiae afflictione delere; dum enim operando delet quod superbiendo deliquit, mactandum bovem in lapide per manum ducit.

Usque ad noctem: quia et peccare non licet, sed delere peccata usque ad mortem licet. Non in nocte: quia dum vivimus peccata delere poenitendo possumus; post mortem fructuosam agere poenitentiam non valemus.

7012 MEDITAZIONE 58.

Orazione preparatoria.

Preludio.

1 Reg. 14,35-43: *Aedificavit autem Saul altare Domino: tuncque primum coepit aedificare altare Domino.*

v. 36: Et dixit Saul: Irruamus super Philisthaeos nocte, et vastemus eos usque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis fac. Et ait sacerdos: Accedamus huc ad Deum.

v. 37: Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philisthiim? Si trades eos in manus Jsrael? Et non respondit et in die illa.

v. 38: Dixitque Saul: Applicate huc universos angulos populi, et scitote et videte per quem acciderit peccatum hoc hodie.

v. 39: Vivit dominus salvator Jsrael, quia si per Jonatham filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.

v. 40: Et ait ad universum Jsrael: Separamini vos in partem unam, et ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera. Responditque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac.

v. 41: Et dixit Saul ad Dominum Deum Jsrael: Domine Deus Jsrael, da indicium. Quid

est quod non responderis servo tuo hodie? Si in me aut in Jonatha filio meo est iniquitas haec, da ostensionem; aut si haec iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Jonathas et Saul, populus autem exivit.

v. 42: Et ait Saul: Mittite sortem inter me et Jonatham filium meum. Et captus est Jonathas.

v. 43: Dixit autem Saul ad Jonatham: Indica mihi quid feceris.

7013 Or su questa lettera etc. diciamo come vista la caduta e il difetto dello strumento della salute degli eletti, per la sua fragilità e incircospezione avvenuto, e per una speziale provvidenza di Dio soffermato nel suo corso al precipizio, ora è da vedere la sua riparazione: e prima per parte d'una speziale provvidenza di Dio, che ne promove i mezzi al risorgimento.

Primo mezzo. Esempio del popolo. Profitto palese di gran gloria a Dio nel propolo ravveduto e compunto, che aspira al cielo con gran perfezione, dà stimolo a risorgere, e dà speranza di poterlo fare. Si isti et istae, cur non ego? An in se putuerunt, et non in me? cur in te stas, et non stas? *Aug. Confess. 8,11,27 t. 1,155 E.*

7014 *1 Reg. 14,35*: *Aedificavit autem Saul altare Domino: quia dum peccatores convertuntur, quasi ex lapidibus coeleste aedificium fabricatur. Tuncque primum coepit aedificare altare Domino.*

Altare, compunctio [est] cordis. Aedificare altare Domino: [aedificatur] quando per verbum doctoris compunctio cordis erigitur.

Primum coepit aedificare altare: Primum aedificatum dicitur, quia est compunctio amoris. Unde *Exod. 27,1 sqq. et 37,* in tabernaculo foederis duo altaria fieri a Domino jussa sunt, [primum] adolendis scilicet thymiamatibus, [secundum] comburendae carni. Primum foris erat, secundum intra Sancta Sanctorum. Primum altare [est] compunctio timoris: secundum altare, cumpunctio amoris. Illud quidem peccata lugentium est: istud vero ad aeterna gaudia totis desideriis inhiantium. Illius lapides [sunt] recogitationes peccatorum: hujus lapides, meditationes perennium gaudiorum.

7015 *Primum coepit aedificare altare*: quando culpas exponit, quas dum in se peccator aspicit, ingemiscit.

Altare etiam [est] compunctio, quia incensat. Sed cum diu pro peccatis suis unusquisque compungitur, poenitendo proficit ad usum securitatis; nam post afflictionis tempora ardere incipit ad aeternam vitam; et qui prius lugebat pro pavore supplitii, flere jam copiosius incipit pro dilatione mercedis. Quia ergo prius electorum compunctio ex timore nascitur, dum per typum regis et populi praedicatores et nuper conversi subditi designantur, [dicitur] *Tuncque primum coepit aedificare altare Domino, 1 Reg. 14,35.*

7016 Sed ex aliorum profectu saepe doctor ad aliorum lucra consequenda accenditur: *1 Reg. 14,36*: *Et dixit Saul: Irruamus super Philisthiim nocte, et vastemus eos usque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum.*

Hoc supra satis expositum est.

Irruamus super Philisthaeos nocte, et vastemus eos usque dum illucescat mane: quia ne in futurum nocere daemones possint, a cordibus peccatorum modo expellendi et perimendi sunt.

Nocte: [Nox est] vita haec, cum aeternae vitae comparatur; nam qui illam vitam contemplari digne potuerit, illius comparatione quidquid hic lucidum cernitur, noctis obscuritas esse judicatur.

Illucescat mane, [scilicet] dies illa, quando in fine hujus vitae electis animis se aperit. In egressu quippe de suo corpore, electa anima illucescentem sibi aeternitatem videt, quia lucem praesentis saeculi, quasi tenebras non aspexit.

7017 *Vastemus eos... nec relinquamus ex eis virum, ibi*.

Omnis Philisthaeus vir vastari debet: parvulus omnis nequaquam vastari potest: nemo enim sine peccato, nisi solus Deus. Viri, capitalia crimina et vitia principalia sunt, fortes cum peccatorum sibi corda subjiciunt.

Nec relinquamus ex eis virum: quia conversi peccatores sanctorum praedicatorum consilio fortia quaeque peccata et vitia deserunt, sed nullum peccatum aut vitium habere non possunt. Possunt cavere crimina, sed omnia non possunt vitare peccata; possunt vitia extinguere, sed ne aliquo eorum quomodocumque pulsentur, non praevalent exercere.

Nec relinquamus ex eis virum: quia praedicatores sanctae Ecclesiae et vitia nos eradicare praecipiunt; sed dum fortia et principalia in nobis necant, agere nequeunt ut quaedam eorum per tenuem motum nequaquam vivant.

7018 Obbedienza cieca del popolo, che fa lui aprire gli occhi sulla sua temerità di giudicare il decreto del superiore, e mormorarne con iscandalo.

Et de populi obedientia subjungens, ait: *Dixitque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac.*

Oculis tuis, [scilicet] praedicatorum. [Hi sunt] intuitus rationis. Qui ergo arbitrio doctoris committitur, dicere ei recte perhibetur: Omne quod bonum videtur in oculis tuis fac; quasi dicat: Qui nos de rationis nostrae illuminatione diffidimus, rationis tuae luci committimus, quod nobis deesse judicamus.

Sed hoc quod dixit Saul: Irruamus super Philisthaeos, potest intelligi quia non deliberata protulit, sed hoc dicendo an esset super Philisthaeos irruendum consuluit. Quod autem populus cito assensum praebuit, hoc quod videmus insinuat, quia nonnulli intra sanctam Ecclesiam, antequam verba majorum intelligant, probant.

7019 *1 Reg. 14,36*: *Et ait sacerdos: Accedamus huc ad Deum.*

v. 37: Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philisthaeos? Si trades eos in manu Jsrael? Et non respondit ei in die illa.

Regis verba quae populus laudat, sacerdos ad Dominum esse deferenda denuntiat: quia obscura et magna negotia quae simplices latent, nunquam bene disponuntur, si eorum exitum in sacrario mentis, subtili meditatione non quaerimus.

Accedamus... ad Deum: [quod est] ejus voluntatem secreta contemplatione cognoscere. Accessus [dicitur], quia ab exterioribus ad interna tendimus, quando operis nostri exitum in divina voluntate cognoscere tentamus; nam qui occulta et intima quaerit et exteriora non deserit, ea quae nescit adire non invenit.

7020 Quando ergo a nobis de occultis rebus consilium quaeritur, accedamus ad Dominum; ut tunc demum quod agendum est proponatur, cum in divina voluntate cognoscitur. Multa enim videntur bona esse et non sunt; pleraque etiam facienda sunt, sed utilius fiunt si congruo tempori reserventur. Quaedam quoque alii facere debent, alii non debent; quae nimirum si electus quilibet in secreto meditationis videre negligit, ea utique recto ordine non disponit. E contra autem qui discutere ea, vel agere meditando consuevit, non solum agenda, sed etiam vitanda cognoscit.

7021 *1 Reg. 14,37*: *Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philistaeos? Si trades eos in manus Jsrael? Et non respondit ei Dominus in die illa.*

Dies, cogitatio [est] mentis quae bona putatur, et non cognoscitur; nam dum bonam se esse simulat, quasi lucem portat.

Et consuluit Saul Dominum... et non respondit ei in die illa: quia verbum Dei cum mala deliberatione convenire non potest. Per responsum verbi, patefacere solemus sensum intimae voluntatis.

Et non respondit... in die illa: quia omnipotens Deus in simulata cogitationis luce non cernitur, qui semper in claritate veritatis invenitur.

7022 *Et consuluit Saul Dominum, ibi*.

Notandum: Qui consilium dedit accedendi ad Deum sacerdos fuit; quid enim sanctius quam consilium accedendi ad Deum? Sacerdotes ergo sumus quoties fratribus bona consilia ministramus; sacrius enim nihil dari potest, quam id per quod quisque ire ad Conditorem debet. Nos autem, quia ordinem spiritualis pugnae describimus, continuare priora sequentibus debemus. Verbum quidem Saul fuit, ut sic Philistaeos vastaret ut ex iis virum non relinqueret; quod sic etiam intelligi potest, quia ita volebat Philistaeos perimere, ut eorum nullus ultra movere bella potuisset. Magna quidem haec dies mentis est, qua sic aeterna quaeruntur, ut temporalis hostis nullus a caede relinquatur. Sed quia nulli conceditur sic temporaliter vincere ut non debeat omni tempore pugnare, [sequitur]: *et non respondit Dominus ei in die illa.*

Respondit: [Respondere Dei] non solum intimi verbi ejus est, sed gratiae et

muneris. Quando enim benigne concedit quod pie petitur, respondet. Non respondit [autem] in die illa, quia permittit quidem electis ut vincant, sed de hostibus quasi viventes deserit, ut cum quibus semper pugnent inveniant.

7023 Secondo mezzo: Sottrazione de' doni e grazie speziali, non solo a sé ma anche agli altri. Con questo quegli che inveniva come innocente, si confonde al vedere il nocumento, e lo ravvisa prima negli atri; e poi passa a rifletterlo in sé, onde si umilia.

Quod tamen, si ideo dicitur quia Jonathae culpa celatur, magnus timor praelatis incutitur. Filius quidem peccat, et patri ejus responsionem negat; unus etiam deliquisse cognoscitur, sed pro unius culpa insequi hostes suos omnes pertimescunt. Quia peccata subditorum non solum sibi,

sed etiam praelatis et secum communiter viventibus nocent.

7024 Quia vero latens haec culpa a rege discutitur, videamus jam qua sublimitate latentia quaeque perquirantur. *1 Reg. 14,38*: *Dixitque Saul: Applicate huc universos angulos populi, et scitote, et videte per quem acciderit peccatum hoc hodie. v. 39: Vivit Dominus salvator Jsrael, quia si per Jonatham filium meum factum est, absque retractatione morietur.*

Quibus nimirum verbis ordinatum valde judicii ordinem demonstravit; quia culpa prius invenienda est, deinde poena irroganda; nam judicii ordo confunditur si ante inventae culpae discussionem proferatur.

7025 Ne enim ante discussionem feriat, dicit:

Applicate huc universos angulos populi, et scitote, et videte per quem acciderit peccatum hoc hodie, 14,38. Et quia cognita culpa austerius ferienda est, jurat dicens: *Vivit Dominus salvator Jsrael, quia si per Jonatham filium meum factum est, absque retractatione morietur, 14,39*. Tractari quidem diutius debet ut inveniatur culpa; sed postquam inventa est, in ea vivus aliquis relinqui non debet.

Absque retractatione morietur, qui vivere in peccato, statim ut innotuerit, prohibetur. Sed istud *absque retractatione* scilicet perimere, absque retractatione non est; quia multa consideratione pastor utitur, ut culpa quam retractando invenit, feriri absque retractatione et extingui velociter possit.

7026 Quod si juxta historiam hujus paterni juramenti pondus attendimus, et illius temporis fervorem, et hujus temporem contuemur. Antiqui enim Patres, ut Deo placerent, ad mortem filiis etiam non parcebant; nos autem eos quos secundum carnem diligimus, etiam tenui asperitate verborum insequi non audemus. Ecce qui ad regnum filium nutriebat, dicit: *Quia si per Jonatham filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ibidem*.

Nos peccantes cernimus, et objurgare peccantes aut nolumus, aut timemus, quia Deum sicut illi nequaquam diligimus. Nam Moyses ut peccatum idolatriae bene vindicaret, Levitus viginti tria millia [virorum] jussit occidere, *Ex. 32,26*: Si quis

est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii *Levi. v. 27*: Quibus ait: Haec dicit Dominus Deus Jsrael: Ponat vir gladium super femur suum. Ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum. Quasi dicat: In hoc ostendat quisque quia sit Domini, si pro ejus amore fratri, proximo vel amico non parcit.

7027 Dicat ergo Saul de filio: *absque retractatione morietur*, quia nobis iam sub Redemptoris gratia viventibus, etsi mors non decernatur corporis, peccati non debet vita dilatari. *Absque retractatione morietur*: Rector interficit cum affectus carnis non aspicit, sed cum crimen invenit, velociter ferit. Retractat qui ne scelestum acriter pungat, obsequia ab eo impensa aut consanguinitatis affectum cogitat.

7028 Terzo mezzo: severo zelo di giustizia e di disciplina nel prelato. [Ciò] umilia molto il superbo. Il superbo è duro, [e] dalla durezza del giudice viene infranta la sua durezza. Noli fieri judex, nisi virtute valeas

irrumpere iniquitates. *Eccli. 7,6*. Responde stulto juxta stultitiam suam, *Prov. 26,5*, e quello che non teme Iddio comincia a temere la vendetta dell'uomo, onde poi temerà quella di Dio. Costernamento e ritirata di tutti quelli che ne potevano sostenere, e in cui si confidava; onde divenne altiero.

7029 Notandum: Non omnes culpae acriter feriendae sunt; nam leves pulveris maculae melius excutiendo, quam lavando aut ignem apponendo, terguntur. Graves etiam culpae in omnibus aequa asperitate insequendae non sunt, quia vulnera corporum pro ipsorum corporum natura et robore, vigorem exigunt medicinae. Plerumque tamen praelati Ecclesiae, cum culpas audiunt, plus justo infervescunt, et dum vindictam metiuntur, nec vulnerum qualitatem, nec personarum delinquentius vigorem respiciunt. Qui nimirum tolerandi sunt cum minantur, sed ab ultione bonorum consilio sedandi sunt. Unde et subjungitur: *ad quod nullus contradixit ei de omni populo, 1 Reg. 14,39*, quia majorum minae humiliter ferendae sunt.

7030 Et quia eorum nimietas salubri piorum consilio refraenanda est, non valde inferius cum eadem mortem filio inferre rex tentat, omnis populus clamat: Ergo ne morietur Jonathas, qui fecit salutem hanc in Jsrael? Liberavit ergo populus Jonatham ne moreretur, *14,45.* Sed quia nondum inventam culpam non ferire, sed invenire satagit latentem, [sequitur]: *1 Reg. 14,40*: *et ait ad universum Jsrael: Separamini vos in parterm unam, et ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera*: quia dum culpa latens et supspecta quaeritur, et superiores et inferiores personae discutiendae sunt; saepe quidem populus, saepe eorum rector delinquit; et aliquando ipsa subditorum culpa praelato adscribitur, quo negligente impleri perhibetur.

Cum ergo ostensis superius indiciis, quia lateat in populo culpa cognoscitur, et

in quo sit abscondita nescitur, se rex admisceat, ut ad sua sit culpa vel populi pastor sciat. Equidem rex Saul conscius culpae non erat, quam ipse nec consensu nec opere perpetraverat, et tamen discutiendus miscetur, ut si in se etiam latet, inveniatur. Quasi enim se peccati inscium perquirebat [qui dicebat]: *1 Cor. 4,4*: Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. Quasi dicat: Quaerere meipsum et invenire non desino, quia si mihi lateo, cui nuda sunt omnia non latebo.

7031 Dicat ergo rex peccati illius quod discutiebatur non conscius: Ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera: quia electi doctores cum in aliis per rectitudinis zelum saeviunt, sibimetipsis et suis familiaribus nequaquam parcunt. Quasi enim in una parte populum separant et semetipsos non separant qui subditorum culpas discutiunt, et ut semetipsos inveniant investigare non curant, Magnum quippe est humanae ignorantiae pelagus; nam si nospetipsos quaerere et quales simus invenire vix aut numquam possumus, alios quando possumus? *Ps. 39,13*: Cor meum dereliquit me. Eccle. 9,2: Ignorat homo utrum odio vel amore dignus sit. Item quaestionis suae fructum propheta denuntiat, *2 Reg. 7,27*: Invenit servus tuus cor suum. Si vix invenire cor Sancti possunt, nosmetipsos inquirere qua temeritate cessamus? Sed fortasse nec propheta potuit, quia subjunxit: Ut timeat te. Inveniret utique cor suum si pleniter cognovisset odio an amore dignus existeret. Qui ergo non invenit ut coram Deo securus esset, invenit utique ut timeret. At nos nec istud facile possumus, quia dum invenire peccata nostra et inventa pensare negligimus, quasi perdito corde securi sumus.

7032 Quarto mezzo: Far metter in ritiro e solitudine il Predicatore, onde dar luogo agli esami e discussioni sopra di sé; perché quel pensar sempre agli altri toglie la vista de' propri difetti, i quali talora crescono senz'avvedersene a gravi danni. [La] diffidenza del popolo di conoscer se stessi, avvisano il superbo a temer di sé; e la diffidenza del pastore di conoscersi, e la sua prontezza a pentirsi, svegliano il predicatore superbo. In parte ergo altera hi, illi in altera statuuntur, ut singulorum occulta considerentur, et inventa culpa digna poena feriatur. Quod quia laudandum valde, non dissuadendum est, sequitur: *responditque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac. 14,40*.

7033 Populo Saul ut se in partem unam separet praecepit, et populus facere regem rogat quod praecipit: quia inquirere semetipsos simplices nesciunt, etiam cum jubentur. Quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Quasi dicat: Tu melius agere nostra poteris, qui lumen cordis non solum tibi, sed etiam nostris praevidendis itineribus suscepisti. Sed rector de intima illuminatione laudatur, uam per gratiam habet per aestimationem non habet. Laudatur quidem quia cognoscere secreta aliorum possit, sed ipsae semetipsum posse scire diffidit.

7034 Quia ergo lumen sibi tantae gratiae non adscribit, a Deo postulare hoc

precibus non omittit. Unde et sequitur:

1 Reg. 14,41: Et dixit Saul ad Dominum Deum Jsrael: Domine Deus Jsrael, da indicium. Quid est quod non responderis servo tuo hodie? Si in me aut in Jonatha filio meo est iniquitas haec, da ostensionem; aut si haec iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem.

Domine Deus Jsrael, da indicium: [petimus] quando nobis abscondita revelari flagitamus. Sed quaerendum est quid sibi vult tanta verborum diversitas:

7035 Si in me aut in Jonatha filio meo est iniquitas haec, da ostensionem: aut si haec iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Quia electi doctores sciunt propriam fortitudinem, sciunt populi subjecti infirmitatem; pro se ergo solam ostensionem culpae petunt, quia austeritate poenitentiae hanc soleant insequi, sciunt. Pro populo autem sanctitatem quaerunt, quia culpas subditorum solum scire appetunt, sed quos inveniunt prava agere, rogant ad veniam per lamenta pervenire. Da sanctitatem: [hoc est] sanctifica quos demonstras. Mihi eorum occulta detegis; sed detegendo nihil agitur, si quos ostendis, gratiam infundendo non operis.

7036 Quia vero saepe stant subditi, et praelati cadunt, [sequitur]: *Et deprehensus est Jonathas et Saul, populus autem exivit.* Et quia ipsa etiam culpa non facile a quo sit perpetrata cognoscitur, [additur]: *1 Reg. 14,42*: *Et ait Saul: Mittite sortem inter me et Jonatham filium meum. Et captus est Jonathas.*

Mittite sortem: Qui sortes mittunt, per visibilium rerum conjecturas latentia saepe deprehendunt. Sic nimirum Jonas fugiens noscitur, *Jon. 1,7*; sic Matthias Apostolus apostolica celsitudine dignus invenitur, *Act. 1,26.* Sortes ergo spirituales ponimus, quando per exteriora signa operum ad occultorum notitiam pervenimus.

7037 Sortem: Uniuscujusque [sors] propria est conversatio; unde in Sapientia reprobi dicunt, *Sap. 2,8*: Coronemus nos rosis antequam marcescant; nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. *v. 9*: Nemo nostrum exors sit luxuriae nostrae: ubique relinquamus signa laetitiae: quoniam haec est pars nostra, et haec est sors. E contra autem, Psalmus *101,6*: Portio mea, Domine, in terra viventium. Philipp. 3,20: Nostra conversatio in coelis est. Doctor ergo quasi singulorum sortes tenet, dum uniuscujusque conversationem videt; et dum culpa nescitur, et persona nescitur, quasi sortes mittit dum modum facinoris comparat personae negligentis.

7038 Sed et forte culpam deprehendit dum quodam signo conjecturae, pervenit ad evidentem criminis veritatem. Negligenter quidem praeeminet qui commissorum sibi fidelium nescit et fortitudinem et infirmitatem. Nosse enim debet fortes subditos, quibus sunt virtutibus apti, quibus infirmi sint vitiis per negligentiam proximi. Nosse debet quae virtutum devotio istos excitet, quae illorum negligentiam qualitas vitiorum turbet. Quasi ergo in exterioribus sortes singulorum tenet, dum praevidet quibus illi possunt vitiis obrui, quibus isti

virtutibus exaltari. Causa igiturt cognita, quasi sortibus signa imprimit, dum patientis culpae notam illius conversationi adscribimus, qui per negligentiam pronus et vicinus ad illud facinus perpetrandum ante fuisse videbatur.

7039 Quinto mezzo: Convinto di negligenza, che serve da conghietturare la superbia e qualunque vizio. Precettata la Confessione.

Sed conjectura haec habeatur ad indagandam veritatem, non ad rei inventae certitudinem, quia illic statim subditum est: *1 Reg. 14,43*:. *Dixit autem Saul ad Jonatham: Indica mihi quid feceris*

Captus interrogatur, quia culpae quae signis aut conjecturis deprehensae videntur, feriendae adhuc non sunt. Quasi enim jam vulnus tenetur, sed adhuc tectum est: discooperiatur ergo, ut mederi valeat et curari. Cogendus quidem aut admonendum est, ut culpam quae jam velut palam cernitur, confiteatur.

Indica mihi quid feceris: quia crimen quod apertis quibusdam indiciis noscitur, ante judicandum non est, quam apertissime demonstretur.

7040 MEDITAZIONE 59.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 14,43-48:... *Et indicavit ei Jonathas, et ait: Gustans gustavi in summitate virgae quae erat in manu mea paullulum mellis, et ecce ego morior.*

v. 44: Et ait Saul: Haec faciat mihi Deus et haec addat, quia morte morieris, Jonatha. v. 45: Dixitque populus ad Saul: Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Jsrael? Hoc nefas est. Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Jonatham ut non moreretur.

v. 46: Recessitque Saul, nec persecutus est Philisthiim: porro Philistiim abierunt in loca sua.

v. 47: Et Saul confirmato regno super Jsrael pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus, contra Moab et filios Ammon, et Edom, et reges Soba, et Philisthaeos: et quocumque se verterat, superabat.

v. 48: Congregatoque exercitu, percussit Amalec, et eruit Jsrael de manu vastatorum ejus.

7041 Ora su questa lettera edificato... diciamo come vista la riparazione del difetto nello strumento della salute degli eletti per parte della speziale Provvidenza di Dio che ne promove i mezzi al risorgimento, seguita a vederla questa perfetta riparazione per parte della libera volontà del servo di Dio, che corrisponde pronto alla grazia, e risorge. E poiché Iddio molto si compiace ne' suoi servi e nel loro

ravvedimento, non rallentando dopo la riparazione, anzi sovente rinforzandosi la carità, siccome si vide in Pietro: Diligis me plus his? Tu scis Domine, *Jo. 21,15 sqq*., quasi festeggia il loro risorgimento con la larga copia di misericordie, che sparge ancora sopra degli altri per loro mezzo, sopra tutto a confermare i vacillanti, così son da vedere ancora queste conseguenze felici di questa reparazione. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos, *Luc. 22,32*.

7042 Modo con che risorge e confessione. Confessare il fatto.

1 Reg. 14,43... Et indicavit ei Jonathas, et ait: Gustans gustavi in summitate virgae quae erat in manu mea paullulum mellis, et ecce ego morior. Quia electorum est peccare et resipiscere: culpas perpetrare, et perpetratas confitendo detergere.

Gustans gustavi: Quare non dixit superius, *v. 29: Gustans gustavi paullulum de melle isto,* cum dixit: Vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paullulum de melle isto? Sed quidam dum peccata confitentur, ea nimirum quibusdam vocibus minuunt, dum se non ex toto animo commisisse ostendunt. E contra autem electi viri quando se de minimis accusant, ea utique non quasi parva sed quasi magna pronuntiant.

7043 Confessare i più difficili come grandi. Con gran timore.

Gustans gustavi: Quod foris peccatum exercui, magno concupiscentiae ardore complevi. *Morior*: Ait post peccati confessionem. [Quod est] mortem a se poenitendo et confitendo expellere, et expulsam timere. Quod quidem proprium est electorum qui peccata sua deserunt, et tamen haec quasi non deserta pertimescunt. Et quidem puris confessionibus et austeris poenitentiae cruciatibus dolent, sed quasi non deleta vehementer timent.

7044 Sinceramente.

In summitate virgae: quia dum nos confitendo insequimur, proferre contra nos mendacium non debemus. Peccatum quidem in confessione prodendum est, sed augmentandum mendacio non est; tale quidem debet esse in confessione, quale fuit in opere.

Ut ergo ardor concupiscentiae bene prodatur, [didicit]: *Gustans gustavi;* et ut qualitas ejus appareat, [addit]: *in summitate virgae*. Quasi dicat: Audacter inflammatus feci, sed hoc feci.

7045 [Confessione] umile.

Et quia filius regis confitetur, [sequitur]: *quae erat in manu mea*. Virga Jonathas [est] praedicatoris doctrina atque disciplina; quae in manu tenetur, quando non solum docet, sed quod docet operando exercet.

Quae erat in manu mea: non quae est: quia aestimationem electorum insinuat, qui etiam cum prava commitunt praedicationis ministerio se indignos arbitrantur.

In summitate virgae, quae erat in manu mea: quasi dicat: De illo superbiens

peccavi, quo peccando me indignum feci. Erat in manu mea: et non est: quia etsi aliquando feci quod docui, illud quod operando tenui, superbiendo amisi.

Nunc igitur timore perterritus, dicit: Ecce morior.

7046 Et quia idem metus aliquando divina inspiratione menti incutitur, aliquando comminatione doctorum, subditur: *1 Reg. 14,44: Et ait Saul: Hac faciat mihi Deus et haec addat, quia morte morieris, Jonatha. Subditur, v. 45: Dixitque populus ad Saul: Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Jsrael? Hoc nefas est. Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Jonatham, ut non moreretur.*

Ergone Jonathas morietur? [Quasi dicant]: Alius de eadem culpa moreretur. [Quibus verbis] virtus magnae discretionis ostenditur, quia in electorum exammine non solum culparum causae pensandae sunt, sed etiam merita personarum. Quod aperte his verbis ostenditur: Qui fecit salutem hanc magnam in Jsrael.

7047 Non ideo Jonathas non moriturus asseritur quia erat filius regis. Cum ergo magni viri cadunt, communi judicio tradendi non sunt, quia priora promerentur ut posteriorum gravitas levigetur. Ipsa autem culpae levigatio non acceptione personae decernenda est, sed respectu prioris vitae; quia ad absolutionem illius sanctae Ecclesiae lucra pensanda sunt, non carnalis affectio admittenda. Sed quid mirum si ad absolutionem peccatoris propria merita suffragantur, quod in sacri eloquii auctoritate discamus, quia alii pro aliis liberati sunt? Aliorum quidem bono opere alii adjuvantur, sicut ad peccantem regem Salomonem dicitur a Domino*, 3 Reg. 11,11*: Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum et praecepta mea quae mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. *v. 12*: Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum: de manu filii tui scindam illud.

7048 Conseguenza della riparazione dello strumento di sua divina Provvidenza alla salute degli eletti, sono le grandi misericordie ch'egli usa al cattivo prelato disobbediente, per ripararlo, facendogli scorgere la sua incautela e indiscrezione. Questo è un avvisarlo da lungo del bisogno ch'egli [ha] di obbedire alla prima Sede, e diffidar de' suoi lumi e di sua prudenza, mentre scorge di saperne meno del popolo chi volea saperne più del primo superiore.

Hinc est quod non solum patrum opera filiis prosunt, sed etiam cives pro civibus liberandos agnovimus. *Gen. 18,32:* Evertendae quidem Sodomae se promisit Dominus parcere, si in ea tantum decem justos inveniret. Jerusalem quoque respici misericorditer dicitur, quia aliquanta bona opera in ea inventa sunt. *Joel 2,18*.

7049 Hinc est quod Heli, vita propria justus sed auctoritate pastorali remissus, a viro Dei audivit, *1 Reg. 2,33*: Pars magna domus tuae morietur cum ad virilem

aetatem venerit: verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: ut sacra Scriptura hic aperte monstraret et pro dissolutione percussum, et pro praeterita conversatione respectum; sed percuti fortasse ex parte potuit, quia qualemcumque vitae immunditiam habuit. De Jonatha ergo bene dicitur: Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Jsrael? Hoc nefas est. Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Quasi dicat: qui magna opera fecit, absolvi ex toto digne promeruit.

7050 Quia igitur in ecclesiastica censura; etsi non est acceptio personarum, est tamen discretio meritorum, apte conclusit sententiam: *Liberavit ergo populus Jonatham, ut non moreretur, 14,15*.

Notandum quia rex bis jusjurandum interfectionis Jonathae superius protulit, quem tamen victus populi instantia, non occidit. Juravit, et juramenti assertionem nequaquam servavit. Ex hac re duo nobis documenta proveniunt: ut cauti scilicet et discreti esse debeamus: cauti quidem ne juremus; discreti si agere perversa juramus. Qui enim jurare cavet, perjurare omnino non potest; sed cum male juratur, justius jusjurandum dimittitur, quam compleantur crimina quae jurantur.

7051 Sit ergo unusquisque cautus antequam juret, ut aut ne omnino juret, aut facturum se mala non juret. Cautos quidem nos esse Dominus insinuat, *Matth. 5,37*: Sit autem sermo vester: est, est; non, non. E contra autem reprobi et incauti quidem sunt et discreti non sunt; nam saepe se acturos mala repromittunt, et revocare promissa, quasi perjurium incursuri, non satagunt. Hinc est quod *Marc. 6,23*, Herodes incaute juravit, et nefarium jusjurandum quod protulit, in praecursoris Domini morte complevit, *Marc. 6,26 sq*. Cauti ergo in nostris dispositionibus esse debemus, sed si cauti esse negligimus, praetermittenda sunt proposita, non implenda. Sic quippe a proposito desistere non est vitium levitatis, sed virtus discretionis. Tamen jurare quae revocanda et detestanda sunt, omnino cavendum est vehementer horrendum, quia cum tale jusjurandum non impletur, non omnino culpa vitatur, sed minor eligitur.

7052 Condurlo al proposito e all'atto di attendere a purgare il suo spirito, conoscendone il bisono, parte per l'esempio di Gionata, parte per la esperienza della sua imprudenza. Questo ritiro è diretto a dar luogo alla ragione di scoprire il maggior male ch'è la inobbedienza, il quale sta occultato da una sublime superbia e da un profondo amor proprio.

1 Reg. 14,46: *Recessitque Saul, nec persecutus est Philisthiim.*

Cum Jonathae culpa reperitur, cum jusjurandum rex non perfecisse cognoscitur, cessare Philistaeos persequi perhibetur, quia dum propria infirmitate pastores deprimuntur, lucra aliorum exquirere fortiter nequeunt.

Nec persecutus est Philisthiim: [quod est] ad tempus vitia aliorum insequi praedicando desistere.

7053 Prius enim esse intendendum judicant ad purificationem suam, deinde purgati vigilandum ad salutem alienam; quia dum silent semetipsos praeparant, ut quasi per poenitentiam suam ad lucra aliorum fortiter surgant. Et quia saepe dum doctor sibi conscius silet, quibusdam ejus subditis maligni spiritus impia suggerendo non silent, [sequitur]: *porro Philisthiim abierunt in loca sua.* Tacentibus quidem doctoribus daemones abeunt in loca sua, quia per pastorum silentium non pereunt, nisi qui ad vitam aeternam praeordinati non sunt.

7054 *Loca sua*, daemonum sunt: quia divina praescientia in habitaculum Dei praeordinati non sunt. Hinc est quod praedicantibus primis doctoribus dicitur, *Act. 13,48*: Et crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam. Hinc Paulus, *Rom. 8,29*: quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. *v. 30*: Quos autem praedestinavit hos et vocavit. Hinc, Act. *16,6* est quod volentes Apostoli transire in Asiam, a Spiritu Sancto prohibiti sunt. Qui ergo non praedestinati sunt, sive audiant doctorum verba, sive non audiant, vocari in Dei habitaculum nequeunt, quia per nequitiam in qua sunt, ante constitutionem mundi praecogniti, locum in se malignis spiritibus paraverunt.

Bene igitur, dum cessare dicitur, Philisthiim abierunt in loca sua: quia aliquando Dei dispensatione doctores tacent, ut illis tacentibus hi qui Domini non sunt a malis spiritibus recipiantur.

7055 Sed ut dixi, cum post culpam Pastores tacent, semetipsos humiliant, ut purgati in ministerium praedicationis potenter surgant. Dum tacent infirmitatem suam pensant, sed considerando semetipsos, contra occultos hostes se validius roborant. Unde [sequitur]: *1 Reg. 14,47*: *Et Saul, confirmato regno super Jsrael, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus*.

Confirmato regno suo: Debilitatur quidem regnum quando pastores in aliquibus culpis cadunt; sed debile confirmatur cum per satisfactionem poenitentiae, ad opus magnae virtutis eriguntur. Confirmato regno suo super Jsrael: Quia dum ad vitae altitudinem proficit, eos quibus praeeminet ordine vincit conversatione. Videntibus Deum praelatus est, sed supra videntes Deum extollitur, cum prae ceteris in divina assumitur contemplatione.

7056 Merito ergo dicitur:

Pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus.. et quocumque se verterat superabat: quia qui aeterna altius conspicit, facile conterit quidquid de infimis sibi ad pugna venit. Quia enim nulla terrena sibi jam placent, qui per magnam caritatem super Jsrael, idest in coelestibus, regnat, quocumque se vertit superat. Quid enim huic malignus spiritus suggerat, qui terrena nulla considerat, qui laeta saeculi nulla jam amat? Pugnat doctor dum praedicat, sed superat, quia quod praedicando prohibet de mundi delectatione contingere, conversationis

virtute persuadet.

7057 *Pugnabat per circuitum adversum... inimicos*: [quibus verbis] magnae laudis victoria esse demonstratur. Ex omni quidem parte perfectum esse doctorem docet, qui ex omni parte fortissimos habet inimicos.

Et quocumque se verterat, superabat: [quibus verbis] ejus gloria praedicatur. Per circuitum inimicos habere dicitur, quia maligni spiritus omnibus sensibus nostris insidiantur. Nam loquendo alios, alios videndo decipiunt; alios per auditum, alios per gustum vel olfactum fallunt; alios etiam per insidias illecebrosae delectationis pertrahere ad immunditias satagunt. Aliis foris obscoena offerunt quae mentis deliberatione sequantur.

7058 Sed ut rectius hunc circuitum demonstremus, [dicit enim]: "circuitum", hunc dum ad laeta pertrahunt, eis quasi ad dexteram insidias ponunt; illum dum per adversa dejiciunt, quasi a laeva parte constringunt; non dum ad praeterita oblectamenta invitant, quasi a retro praecipitant; ille quasi ab anteriori parte obviant, quia saepe infirmorum mentibus, districtae conversationis et vitae longitudinem quasi consulendo monstrant. Ab ante enim veniunt, quia proficisci ad coelum animas non permittunt. Per circuitum inimicos habemus, quia ante, retro, in dexteram et sinistram malignorum spirituum certamen patimus. *1 Petr. 5,8 sq,* nos cohortatur: Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide.

7059 Sed jam belli circuitum novimus: qualiter per circuitum reges vincant, videamus: *pugnabat per circuitum... et superabat*: [Superabant] qui linguam, os, oculos et omnia corporis membra, ab illicita actione custodiunt. Dum enim linguam perfecte per silentium maniunt, quasi in una parte victores sunt; et dum vident oculis quae concupiscere dedignantur, ex alia parte victores fiunt. Saepe etiam mala audiunt, et repellunt, et quia noxia reprobant, et reprobando triumphant. Cunctis ergo sensibus victores sunt, qui per eorum aliquem subdi malignis spiritibus nolunt. Sed et dum cordi inepta cogitatio offertur, hostis qui reprobatur eliditur; qui enim noxia quaequae abjicit, hostem potenter premit. Et quia item laeta contemnit et adversa non metuit, quae reliquit aliquando perversa non repetit, et ad coelestia ferventer currit; hostes quos in circuitum patitur superare declaratur.

7060 In quibus profecto adversariis, quia insidiae oppositae quinque corporis sensibus designantur, apte per quinarium numerum exprimuntur: *contra Moab et filios Ammon, et Edom, et reges Soba, et Philistaeos, 14,47.* Qui enim quinque gentium nomina posuit, oppositas quinque sensibus corporis fraudes daemonum designavit. Sed quia doctor non solum vivendo, sed etiam docendo dimicat, cum contra omnia vitia disputat, cum ea verbi gladio in auditorum suorum mentibus necat, nimirum in circuitu et pugnare cernitur, et quocumque se vertit superare. Sed quaedam specialiter nominantur, quae sibi principaliter obsistunt.

7061 *Contra Moab et filios Ammon et Edon, et reges Soba, et Philisthaeos.*

Moab, [latine est]: ex patre; Ammon: populus moeroris; Edom: rufus; Soba: incensa, sive convertens; Philistaeus: poculo cadens. His nominibus gradus pessimae vitae exprimitur.

Moab, [sive] ex patre, [est] concupiscentia; in mente quidem reproba quia a diabolo ponitur, quasi a patre generatur.

Ammon, [sive] populus moeroris, [est] frequentia malorum operum; quia enim multa sunt, [ideo dicitur] populus; et quia ad aeterni luctus amaritudinem reprobum unumquemque perducunt, [dicitur] moeroris.

7062 Edom, [sive] rufus, [est] peccandi fervor. Prius enim peccare quisque consuevit, deinde per usum peccandi proficit in augmentum fervoris, ut peccare saepius audeat, et hoc quod audendo ingeminat, semper iterare ardentius concupiscat. Quo nimirum peccandi ardore, agitur ut in mente reproba quidquid virtutis aut boni operis viruit, comburatur. Incensa ergo, post Edom, in spirituali bello describitur, quia ita est perditae mentis casus, ut cum ferventer mala congregare nititur, bonis omnibus quasi per combustionem perditis et nihilum redactis spolietur.

7063 Soba, vel Suba, [latine est] etiam convertens; quia et forma Dei de reproba mente fervens peccatum tollit, et hanc ad apostatae angeli formam redigit. De qua jam per divinam sententiam dicitur, *Prov. 18,3*: Impius cum profundum venerit peccatorum, contemnit. Superba quidem mens jam divina mandata despicit, et semetipsam carnalibus desideriis subdit. Quis ergo est rex soba? Ille de quo ad beatum Job a Domino dicitur, *Job 41,25*: Ipse est rex super universos filios superbiae.

Philisthaei, [sive] qui poculo cadunt, [sunt] qui omnibus supradictis malis ebrii sunt; qui sic coelestia obliviscuntur, ut haec evigilare aut vix aut numquam videantur.

7064 Moab [igitur] concupiscentia [est] carnis; Ammon, frequens usus malae operationis; Edon peccandi ardens desiderium; Soba, vastatio et combustio virtutum; Philisthaei, oblivio coelestium. Cum ergo electus doctor aliquem educere de tantorum laqueorum medio appetit, quantae virtutis certamen sumit! Et quia de omni hoc perditionis gradu per doctorum laborem ad poenitentiam redeunt, [sequitur]: *Et quocumque se verterat, superabat, 14,7*. Praedicando enim aliquando concupiscentiam in alicujus corde interficit, aliquando usum pravae operationis; modo alios trahit qui in usum peccandi transierant, modo illos qui combustis et ad nihilum redactis virtutibus, regi suo diabolo quasi incensi serviebant. Et quia praedicando superna memorat, cadentes poculo et coelestium oblitos, ad spiritualis vitae studium excitat, et per amorem ardenter inflammat.

7065 Quasi subito che accenna solo di convertirsi, e dopo i primi passi soli dati nel ritiro, Dio accorre colla sua grazia, e per quella prima piccola sua umiliazione

di ritirarsi e di porsi in silenzio, fa colla sua grazia che dalli primi ristauri e quasi lineamenti d'una miglior vita, proceda un esempio ch'edifica molte anime; e dalle sue prediche sorga un gran frutto, dopo quelli primi dì soli di silenzio. E tutto questo per allettarlo a proseguire l'impresa, finché abbia raggiunto il male principale, ch'è la disobbedienza superba alla prima sede, e vi ponga rimedio.

O chi conoscesse quanto a Dio premono le anime de' pastori! O chi secondasse le mire amorose di sua Provvidenza! Se tanto fa Dio con chi non è ancor convertito da vero, ma solo accenna e dà i primi passi verso la conversione, che farebbe con un vero e perfetto convertito? Quali cose non opererebbe per suo mezzo? Lo veggiamo in Pietro.

7066 *Et quocumque se verterat superabat. 14,47*. Quia dum de omni genere peccatores ad vitam trahit, triumphare ubique cognoscitur. Hos nimirum triumphos agere suos milites, suos principes imperabat Dominus, *Marc. 16,15*: Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Omnia genera hominum duci ad fidem voluit, ut dum nobiles regum suorum triumphos ostenderet, eos superare ubique monstraret. Unde scriptum est, *1 Tim. 2,4*: Qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire; quia de omni hominum genere eligit quos ad gaudium aeternae salutis trahit.

7067 Sed quid speciali fortitudine agat, exponit, *1 Reg. 14,48*: *Congregatoque exercitu, percussit Amalec, et eruit Jsrael de manu inimicorum ejus.*

Amalec, [seu] populus lambens, [est] fornicationis spiritus. Lambere eorum est ad peccandum mentem carnis blandimento delinire. Velut enim linguae tactu lambere ambiunt, cum levibus suggestionibus mentem tangunt. Contra Moab et Ammon, Edom, et reges Soba pugnabat... et superabat, non tamen exercitum congregabat; sed ut Amalec vinceret, exercitum congregavit:

7068 *Congregatoque exercitu percussit Amalec*: quia ad extinguendum fornicationis spiritum virtus una non sufficit. Abstinentia quidem ciborum contra hoc vitium fortissima est, sed sola non praevalet; velut enim miles est, et pugnare potest; superare non potest, quia Amalec non vincitur nisi exercitus congregetur. Qui ergo fornicationem percutere appetit, addat abstinentiae corporis virtutem humilitatis. Nam si mens Deo subdi humiliter despicit, carnis suae desideria dominando ac praeminendo non premit. Sed adhuc necesse est ut congreget, quia exercitum parvum habet.

7069 Virtuti ergo humilitatis et abstinentiae corporis, addatur frequens numerus orationis: affectus quidem cordis intenti coelestibus, contra carnis bellum fortes milites sunt. Jam ergo in frequenti assiduitate precum aciem habet, sed exercitus non unam tantum aciem, sed plures habet. Adhuc itaque exercitum perfectum non habet, et Amalec percutere nequaquam valet. Numquid ei prodest quod jejunando se atterit, quod ad tempus orando compungitur, si mens lubrica cogitet, et

phantasmata lasciviae in seipsa portet?

7070 Sed vitare turpes cogitationes non praevalelt, qui honestas in se non habet. Quia enim semper cogitamus, conquirenda sunt nobis bona, ne mala cogitemus. Quid vero sunt omnes turbae bonarum cogitationum? Bonae cogitationes [sunt] innumerabiles acies mentis; nam dum mentem ambiunt et muniunt ad eam accedere turpissimos inimicos non permittunt. Et quia cogitando ad desiderium magnae puritatis accendimur, armis potentibus milites nostri induti sunt, quibus fornicationis impetus et depellendo in fugam vertunt, et ad nihilum deducendo perimunt. Nam unde ad animam introducere cogitationes possint non habent, quae quasi fortissimo milite honestate cogitationum bonarum undique ornata est.

7071 Nunc ergo exercitum anima congreget quae Amalec vult perimere, et de manu vastatorum ejus viventem spiritum liberare. In hoc medio resideat, ut cincta exemplis electorum fortium, circumdata doctrinis Scripturarum, exercitus magnus et fortis est, sed ad congregandum difficile non est. Bene ergo de Jsraelis rege dicitur:

Congregatoque exercitu percussit Amalech, 14,48: quia fornicationis spiritus non ante vincitur, quam per abstinentiam corpus atteratur, et omnis turpitudo obscaenae cogitationis, bonis mentem replentibus, effugatur.

7072 Tunc quippe eum lambere, idest delinire populus lambens delectando non potest, quia domita carne jejuniis, humilitatis arce praedita, mente orationis armis accincta, intenta doctrinis coelestibus, exemplis munita, impiae suggestioni aditum praebere consentiendo non praevalet.

Quae nimirum exercitus congregatio bene regibus, idest Ecclesia doctoribus, convenit, quia quisquis ad extinguendam fornicationis rabiem electos subditos instruere nititur, haec plura auxiliorum agmina ei verbo congreganda sunt.

7073 *Et eruit Jsrael de manu inimicorum ejus* (alias: vastatorum ejus), *14,48*. Eruit: [Hoc est] evelli quod altas radices in profundiora mersisse sentitur.

Manu inimicorum [seu] vastatorum: [Haec est] potestas malorum spirituum. *2 Petr. 2,19*: A Quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Quia dum fornicatores desideriis carnis assentiunt, potestati malorum spirituum subiguntur. Quia item altum est fornicationis blandimentum, dum in hoc anima per desiderium mergitur, quasi in profundum radicibus tenetur.

Eruit... de manu inimicorum ejus: [Hoc est] a fornicationis abysso, qui in potestate daemonum est, liberari.

7074 Bene etiam [dicit]: Inimicorum, [seu] vastatorum. Fornicationis impetus [vastatores] dicuntur, quia de vitio luxuriae per beatum Job dicitur, *Job 31,12*: Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina quia quem invaserit, ei nimirum nulla virtutum dona derelinquit. Ad laborem quidem ministerii bona aliqua habere potest, sed ad meritum salutis ea habere non potest.

Vastari ergo dicitur cui perdita castitate, ad vitam bona alia nulla prosunt.

7075 Vastari etiam horti tenera dicuntur. Qui enim sunt horti superni sponsi, nisi corda sanctorum, per custodiam munita, et per castitatis odorem florida? Nam dum nullos motus turpes recipiunt, albo pudoris flore decorantur. Unde et sponsae in Cantico sponsi laudibus dicitur, *Cant. ultimo, 13*: Quae habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Et rursus, *ibidem* 4,12: Hortus conclusus, soror mea sponsa. Hortus, quia virtute eximiae castitatis floridus; conclusus, quia per continentiam munitus. Hinc sponsa quid sponsum oblectet exponit, *ibi,* 2,16 sq: Dilectus meus mihi, et ego ili: qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, et inclinentur umbrae.

Immundi ergo spiritus vastatores sunt, quia si pudica corda decipiunt, decepta teneros flores tantae virtutis perdunt. Qui itaque ab immunditiis ad castitatem redeunt, quia diras daemonum potestates effugiunt et a profundo perditionis ascendunt, [dicere possunt]: Eruit Jsrael de manu inimicorum ejus,*14,48*.

7076 MEDITAZIONE 60.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 14,49-52: *Fuerunt autem filii Saul Jonathas et Jessui et Melchisua: et nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitae Merob, et nomen minoris Michol.*

v. 50: Et nomen uxoris Saul Achinoam, filia Achimaas: et nomen principis militiae ejus Abner filius Nor, patruelis Saul.

v. 51: Porro Cis fuit pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel.

v. 52: Erat autem bellum potens adversum Philistaeos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem ert aptum ad proelium, sociabat eum sibi.

7077 Ora su questa lettera diciamo come viste le conseguenze felici della riparazione dello strumento degli eletti nella copia di grazie che Dio sparge a confirmazione del vacillante pastore, seguita a vedere queste conseguenze felici nella diffusione pure delle sue grazie sulla greggia molteplice, e sulle sue membra, nell'accrescimento e confirmazione delli suoi doni.

Le grazie che in vista dello strumento degli eletti convertito a Dio, si spargono dal pastore, e dal capo si diffondono nella greggia e nelle membra; e primo ne' sacerdoti predicatori e dottori, secondo ne' differenti ordini di vita attiva e contemplativa.

7078 *1 Reg. 14,49*: *Fuerunt autem filii Saul: Jonathas, et Jessui, et Melchisua;*

et nomina duarum filiarum ejus, nomen primae Merob, et nomen minoris Michol.

Filii Saul [illi sunt] qui non ad quamlibet haereditatem, sed ad regnum nascuntur. Illos insinuat de quibus sanctae Ecclesiae per psalmistam dicitur, *Ps. 44,17*: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram. Tres sunt, quia fidem sanctae Trinitatis praedicando defendunt. Sed quia percusso Amalech regis filii nominantur, eorum numerum ad virtutum merita referamus.

7079 Maceratio corporis, circumspectio mentis, simplicitas intentionis, tria sunt; quia ergo doctores sanctae Ecclesiae ad reprimendam carnis libidinem fortes sunt, ad cordis custodiam sapientes, intentionem cordis in coelum sublevando sublimes, tres [dicuntur] filii Saul. Tria etiam sunt fortitudo operis, virtus caritatis, affluentissima gratia praedicationis; doctores quippe sanctae Ecclesiae quia magna conversatione sublimes sunt, magna caritate ferventes, magna verbi sapientia facundi; ternario [igitur] numero apte signati sunt.

Quorum certe virtutibus nomina conveniunt: Jonathas, [qui latine est] columba donum; quia praecellentia dona Spiritus Sancti doctores habent.

7080 Jesuj, [sive] planities; quia inter dona sublimia humiles sunt; [vel] desiderium meum, quia pro subditis sibi fidelibus ardenter aeterna postulant. Quae quidem vox parvulorum subditorum esse cognoscitur, virtus vero tanti nominis praelatorum; qui enim parvuli et frigidi adhuc in nostris desideriis jacemus, ad coelestem patriam ardentibus desideriis non flagramus. Sed quod nos ardenter flagitare non possumus, pro nobis postulant qui ad illam quam nobis adipisci desiderant, patriam, magnis desideriis anhelant. Pro excellentia ergo caritatis, non "desiderantes", sed "desiderium" regis filius dicitur, ut in doctoris mente flagrare ignis dilectionis specialiter demonstretur. Unde et de Domino per psalmistam dicitur, Ps 103,4: Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem ardentem *Daniel, 9,23*, vir desideriorum dicitur, quia prospera populi sui, magnis praecibus postulare perhibetur.

7081 Melchisua [interpretatur] rex meus salus Praedicator [dicitur] rex, quia celsitudinem tenet ordinis, et dignitatem magnae conversationis; quia summam tenet celsitudines, et vigorem auctoritatis. Salus [dicitur], ut ejus integritate aegritudo populi depelli posse sentiatur; merito enim vitae et devota oratione, hoc agere quotidie debet doctor, ut subjectus sibi quisque pertingere valeat ad salutem. Sed notare iterum doctor debet quia cum a subditis nominatur, non rex noster, sed dicitur rex meus; quia tam familiaris esse debet omnibus, ut singulorum esse per amorem sentiatur. Rex meus, quia humilis et affabilis praedicator hoc ipsum quod praeeminet non videtur esse suum singulariter, sed speciale singulorum, cum tam communis per gratiam esse nititur, ut ejus celsitudo propria uniuscujusque fore videatur.

7082 Onus autem verbi dicitur, quia videlicet salus mea dicitur, per quod nimirum diligens praedicatoris studium et sollicitudo commendatur; quia sic debet intendere simul omnibus, ut quaerat et agat propria singulorum. Ab unoquoque enim salus mea dicitur, si uniuscujusque infirmi curam suscipit, et hunc ad aeternae salutis bonum perducit.

Filiarum ejus: [Hae sunt] praedicatori subditae electorum qualitates. Alii quippe activae vitae studiis serviunt, alii vero contemplativae remotionibus absconduntur. [Quae] filiae pro foecunditate [dicuntur]. Illa quidem parit multitudinem bonorum operum, ista vero internorum plenitudinem gaudiorum. Filiarum ejus, regis, quia dum concipiunt de verbo Dei, coelestes fructus parturiunt.

7083 Merob, de moltitudine [interpretatur]. Activa enim vita ex multis bonis operibus perficitur; vel quae qui Deo per activam vitam placent, multi sunt. Quia enim pauciores numero sunt qui per contemplativam coelestibus gaudiis inhiant, in comparatione illos qui activae vitae inserviunt, multos vocat. Qui profecto multi sunt numero, ministerio divisi; quia etsi unam coelorum patriam bonis operibus quaerunt, tamen variis operibus pietatis inserviunt. Quorum certe nonnulli in tantum amorem Conditoris proficiunt, ut ipsa etiam opera bona deserant, atque ad contemplativae vitae dulcedinem transire, et in ea Deo vacare concupiscant.

7084 Michol, [sive] ex omnibus; quia nullus est perfectus in contemplatione qui ex labore boni operis non pervenit ad arcem ejusdem contemplationis. *Matth. 11,28*: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Venite: Tunc qui laborat vocatur, quando bene agenti desiderium aeternitatis infunditur; et ad vocantem se accedunt, quando ad contemplativae vitae quietem veniunt. Reficiam: In qua laborantes reficiuntur, quia amoris gaudia de divina contemplatione abundanter summuns. Ipse quidem accedentes reficit, qui puris mentibus semetipsum ostendit. Et ego reficiam vos: In cujus revelatione quia contemplationis gaudia multa inveniunt, quasi omnimoda delectationis dulcedine, non ab alio sed ab ipso saturantur.

7085 Michol [interpretatur] ex omnibus; quia contemplativae vitae secretum nullus expetit, qui in aliqua prius operatione bona non fuit. Minoris [nomen est] Michol: non quia inferior [sit] dignitate, sed quia posterior tempore. Et si quis velit, nomen primogenitae Merob, et nomen minoris Michol, [quia] primogenita [est] contemplativa vita, minor activa; Merob [dicitur] de multitudine, quia multitudinis turbas deserit, et ad rariorem numerum in contemplatione perfectorum venit. Non ergo "multitudo", sed "de multitudine" esse dicitur; ut non hi cum quibus est, sed unde venerat agnoscatur.

7086 Michol [est] ex omnibus, ut in activa vita universalis vita sanctae Ecclesiae designetur; in activa enim vita etiam illi sunt prius qui postea ad

contemplativae secretum transeunt; sed in contemplativae remotione, exterioris vitae sollicitudine gravati non sunt. Illa ergo de multitudine, ista vero de omnibus; quia activa vita omnes continet, contemplativa omnium conspectum declinat, ut se conspectu mentis coelestibus jungat.

Filiarum ejus, [scilicet] Saul: quia utraque vita studio boni rectoris ostenditur. Qui enim nos docent bona agere, aeternae vitae studio vacare, ab illo nobis generantur cujus magisterio in corde nostro discuntur. Quod quidem quia de activae vitae operibus constat, mirum de contemplativa videtur, quae per Mariam Martae sororem, quae ad pedes Domini sedere et verbum ejus audire describitur, *Luc. 10,39*; sed facile respondetur, quia dum sedet Maria, perfectos in contemplatione signat.

7087 Filiae ejus... Merob: quia etsi sedens ad pedes Domini, quae vult ab eo audit et discit, tamen prius discere debet quomodo sedere possit. Hoc nimirum quia sapientis et eruditi doctoris eruditione cognoscitur, filiam ejus [scilicet] Saul, Merob esse memoratur. Quam profecto in conjugium David dare promisit, sed ei minorem dedit, *1 Reg. 18,17 et 27*; quia nonnulli contemplativae vitae pulchritudinem diligunt, ad cujus amplexus accedere nequaquam permittuntur. Quia enim regendis fidelibus gregibus foris necessarii sunt, summus rex sic ordinat ut Michol minorem accipiant; et Merob majorem numquam comprehendant. Plerique autem post minorem majorem accipiunt, quia post caritatis opera ad intimi secreti amorem recipiuntur. Quod bene Jacob insinuat, qui Rachelem amavit, sed prius Liam accepit, et sic deinde Rachelem in conjugium sumpsit. *Gen. 28,18 sqq*.

7088 Quid est hoc quod Jacob utramque sororem habere licuit, David autem ad majoris thalamum non pervenit, nisi quia David rex fuit, Jacob vero rex non fuit? Qui ergo regimen animarum suscipit, hunc censura ecclesiastica susciptum gregem deserere, et remotae vitae otiis vacare non sinit. Sed Merob David promittitur et nunquam datur: Michol sola datur, quia nonnulli cum curam animarum suscipiunt, putant se sic aliorum sollicitudinem gerere, ut sibi ipsis valeant per sollicitudinem vacare; et tamen quietem quam in praelatione quaerunt nunquam inveniunt; fitque ut dum impetrare a Domino gratiam tantae puritatis nequeunt, quasi iram incurrisse Domini pertimescunt. Quasi ergo irato rege promissam sibi primogenitam perdunt, quia cum quem se putabant in praelatione habituros amorem quietis intimae, amplecti non possunt. Haec autem breviter per excessum diximus: nunc ergo ad dimissa redeamus.

7089 Ambae ergo dicuntur filiae Saul, sed nomina diversa sortiuntur, quia et differunt et conveniunt. Conveniunt primo, quia ad aeternam vitam quam diligunt per amorem tendunt; secundo quia bona opera quibus haec indesinenter extenditur, illa quomodolibet operatur. Quia igitur ambae amant quae vident aeterna, ambae

ad illa per bonam operationem pervenire desiderant, quomodocumque conveniunt. Differunt autem: quia plus agit una, plus videt altera. Nam et Lia non dicitur fuisse caeca, sed lippa. Et Rachel si non tantos peperit, omnino tamen sterilis non remansit; nam si altera vita alteram contemplando aut operando superat, nulli autem eorum visionis claritas demitur, nulli foecunditatis gloria denegatur.

7090 Videndo tamen et agendo differunt, quia activa vita visionem habet in transitu, opus vero in intentione; contemplativa vero opus in itinere, intentionem in quiete. Unde bene evangelista Marcus, cum sub illarum trium mulierum specie contemplativae vitae amorem ostenderet, ait, *Marc. 16,1*: Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salmome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Quasi dicat: Steterunt in opere, ut currere valerent ad contemplationem. Emerunt aromata [quod est] per laborem boni operis, bonae opinionis odorem circumquaque dilatare. Ut venientes ungerent Jesum in sepulchro, [quod est] per mortificationem carnis ad devotionis intimae pinguedinem pervenire. Ungitur [anima] velut in sepulchro, quando a consepultis ad gaudium intimae claritatis suae devotissime pervenitur.

7091 In transitu ergo operationem habent, quia etsi aliquando operantur, quasi currendo hoc deserunt, qui ad locum dilectae solitudinis magno spiritus impetu impelluntur. Nam quia totiis desideriis in aeternorum amore requiescunt, videre magis quam ministrare appetunt. Rari ergo sunt in publico operis, assidui in secreto contemplationis; foris parum, satis intus immorantur; nam et fornicationem [esse] solent judicare, vel ad momentum a Christi contemplatione discedere. E contra autem activa vita, quae frequens circa ministerium satagit, rara est in secreto contemplationis; nam quae aeterna sibi praeparare, non sedendo et audiendo, sed satagendo et ministrando proposuit, non damnum sed dispendium putat si sibi vacans, et sua petens et non quae aliorum, a solita, obsequiorum oblatione requiescat.

7092 Plus igitur operando laborat, munis obsecrat; unde et Martha, *Luc. 10,40*: satagebat circa frequens ministerium, quae stetit, et ait. Quae stetit: ei nimirum sedere non licuit, quia si ad audiendum sederet, imparatum fortasse ministerium et insufficiens impendisset. Notandum quia transeundo Dominum Martha vidit non tamen transeundo, sed stando loquitur.

Quae stetit et ait: Quo profecto exemplo instruimur ut qui fratribus ministeria exhibemus, si per moram sedere ad Redemptoris pedes non possumus, per aliquantulam moram Redemptori assistere debeamus. Sed bene ei assistimus si transeundo et serviendo "videamus"; [quod est] in omni nostro bono opere ad ipsum cordis intentionem dirigere. Transimus quando huc illuc discurrendo in membris suis Domino ministramus; sed transeundo Dominum cernimus, si per omne quod agimus, praesentem nobis ipsum cui placere cupimus, contemplamur.

7093 Notandum quia confidenter Martha loquitur, *Luc. 10,40*: Domine, non est tibi curae quod soror mea reliquit me solam ministrare? Quod certe perfectis quibusdam operariis sanctae Ecclesiae convenit, qui omnipotenti Deo preces tanto fiducialius offerunt, quanto laboriosius ei in membris suis se ministrasse meminerunt. Sed quia in ipsis etiam qui activae vitae deserviunt nimìetas sollicitudinis cohibenda est, ibi Martha reprehenditur, *v. 41*: Sollicita es et turbaris erga plurima. Actionis quidem fervor tunc recte disponitur, cum sic insistimus operi, ut tranquillo corde eum cui opera nostra consecrare nitimur, videamus.

7094 Nimìetas soccitudinis [est] confusio supernae intentionis; quia dum se erga plurima dividit, divisa jam ad supernorum intuitum non assurgit; illud enim aeternum et simplex bonum aeternae visionis, anima quia vix unita comprehendit, se nimirum ad id divisa non erigit. Dicit ergo operum nostrorum dispositor et receptor, *ibi, v. 42*: Porro unum est necessarium, ne se mens ad multa dividat, ut per tranquillitatem unita ad summi boni intuitum potenter surgat.

Duae igitur filiae Saul, etsi pariter regis sunt filiae, nominibus differunt, quia vita activa et contemplativa nobilitate religionis generosae sunt, sed non sunt pares pro diversitate officii.

7095 Sed quia earum patrem ostendimus, matrem pariter demonstremus.

1 Reg. 14,50: Et nomen uxoris Saul Achinoam, filia Achimaas.

Uxoris Saul: [quae est] bona voluntas. Qui enim per amorem bonae voluntati conjungitur, et ei utique quasi ex nobili conjuge filii oriuntur. Nam cum bonorum operum fructus proferre volumus, necesse est ut prius eos in bona voluntate semi-nemus.

Achinoam [latine est] fratris requies. Frater noster [est] ille qui a mortuis resur-gens Mariae Magdalenae dixit, Jo. 20,17: Vade et dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum. Hinc Paulus, nobilitatem electorum asserens, ait, Rom. 8,17: Haeredes quidem Dei, cohaeredes mautem Christi. Fratris requies, quia Redemptor humani generis in bona cohaeredum suorum voluntate requiescit.

7096 Dio dona la buona volontà per la sua grazia a' suoi predicatori, onde generare figliuoli spirituali. Quando Dio vuol beneficare una popolazione, dona buona volontà a' sacerdoti.

Et quia ab ipso nobis bona voluntas impenditur a quo inhabitatur, [sequitur]: *Filia Achimaas*. Achimaas [interpretatur] fratris decor, vel frater decor: [qui est] Redemptor noster; quia humana natura per peccatum primi hominis dignitatis suae vigorem perdidit, sed in persona Redemptoris aucto sibi splendore radiavit. Decor noster est, quia quicumque in sancta Ecclesia virtutum claritate fulgescunt, de plenitudine lucis illius omnes accipiunt. *Col. 2,9*: Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.

7097 Dum ergo bonam praedicatorum nostrorum voluntatem propheta Samuel

respicit, typis visa exprimit dicens: Achinoam filia Achimaas; quia nimirum magna est pulchritudo bonae voluntatis, sed de infusione nascitur Redemptoris. Debet namque amari ut conjux, sed si pater aspicitur, et nobilitate amplius amatur.

1 Reg. 14,50: Et nomen principis militiae ejus Abner, filius Ner patruelis Saul.

Abner [interpretatur] pater meus lucerna. Ner: Lucerna, [quae est] sermo Scripturarum. Littera quidem sacrae Scripturae quasi hujus lucernae testa est; intellectus vero, spiritualis claritas luminis; oleum vero ejus devotio amoris.

7098 Filius ergo lucernae est qui verba Scripturarum libenter audit et sapienter intelligit; et quae per intellectum colligit, per affectum caritatis apprehendit. Filius lucernae, quod de lumine nascitur lumen est. Peccatum [enim] tenebrae: bonum opus, lumen [est]. Sancti enim viri, dum ad ducatum Scripturarum gressus operum dirigunt, quasi ex lumine lumen accipiunt spiritualis eruditionis. Hoc quippe lumen de lumine Joannes exprimit, *1 Jo. 5,18*: Omnis qui natus est ex Deo non peccat, sed generatio Dei conservat eum. Natus... ex Deo: [quod est] cognitam in sacris Scripturis ejus voluntatem diligere. Non peccat: [hoc est] in luce justitiae semper consistere. Quasi enim de luce lucem nos facere volebat, *2 Petr. 1,19*: Habens firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.

7099 Abner [ergo latine est] pater meus lucerna; Ner: pater ejus lucerna; quia illi in sancta Ecclesia lucere per exempla aliis possunt, qui eruditione Scripturarum et claritatem acceperunt luminis, et oleum perfectae caritatis. Sed per Joannem, *1 Jo. 5,18*, non peccare dicitur, ut praedictorum robur insinuet, qui sic peccatoribus manum porrigunt, ut tamen ipsi peccatorum tenebris non foedentur.

Patruelis Saul: [scilicet] natus ex fratre patris.

7100 *1 Reg. 14,51*: *Porro Cis fuit pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel.*

Et cum eligendus rex peteretur, dictum est, 1 Reg. 9,1: Et erat vir nomine Cis, filius Abiel. Cis... filius Abiel: quid ista stirpis regiae nomina significent, plenius exposuimus. Abner... patruelis Saul: Saul, filius Cis, [sive] duri, [figurat] durae conversationis viros. Abner [est] lucernae filius [scilicet] Ner. Cis fuit [ergo] pater Saul, et Ner pater Abner [qui fuit] filius Abiel.

"Lucerna" et "Durus" (Cis *et* Ner) ejusdem patris filii esse dicuntur, [scilicet] Abiel; quia a Deo est et quod Scriptura sancta austerum praecipit, et virtus exterior durae conversationis. Frater quippe lucernae durus est, quia gratiam implendae legis ab eo habet, a quo ipsa lex ortum habet. Ps. 83,7: Etenim benedictionem dabit legislator. Legem dare, et praecepta vitae electis proferre; benedictionem dare, gratiam implendae legis impendere. Quia ergo ab uno sunt tam lumen Scripturae quam asperitas vitae nostrae, Cis et Ner [dicuntur] filius Abiel, [scilicet] unius patris.

7101 *Abner filius Ner patruelis Saul*:*14,50.* Quia qui ad curam animarum eligi-

tur, durae et asperae vitae debere esse judicatur. Sed qui praedicatorum adjutores esse cupiunt, nunquam agunt quod cupiunt, si lumen Scripturae sanctae in quo per cognitionem concepti sunt, in bona operatione atque sancta praedicatione velut nascendo non perficiunt. Cum vero sanctarum Scripturarum cognitio magis summis doctoribus quam eorum auditoribus subditis adscribatur, et exempla conversationis sequi magis minoribus quam majoribus convenire videantur, [cur] Saul duri filius rex [dicitur], Abner [autem] lucernae filius princeps militiae ejus, [scilicet] regis? [Sed] his verbis [Scriptura] non significat quod summi doctores et eorum adjutores habent, sed, suppresso quod habent, exponit quod singulis agendum est.

7102 Rex quippe, videlicet summus et electus praedicator, quia jam per altissimae eruditionis scientiam Scripturae lumen habet, non sic confidat de scientia, ut aliorum exempla minime sequatur. Princeps quoque, idest magni doctoris adjutor, quia exemplis ejusdem sui praepositi subditur, ad lumen innitatur; ut qui exempla sequitur, in doctrinae altioris eruditionem quasi in magna lucernae luce nascatur. Quia ergo eruditus ad majorum exempla per humilitatem reducitur, [et] exemplis instructus ad Scripturarum splendorem discendo sublevatur, bene rex "filius duri", et princeps "lucernae filius" esse perhibetur.

7103 Iddio dona a' pastori secondarj lume di scienza divina e fortezza di buona operazione, e umiltà, e timore per esser solleciti e forti nella pudicizia.

Lo alletta con altri doni [quae] in utilitatem habentur: macerazione della carne, circospezione della mente, simplicità d'intenzione, fortezza dell'operare, virtù di carità, affluenza della parola; doni eccellenti: umiltà sublime e dono di preghiera pei sudditi, altezza di vita e di autorità, integrità di costume e di esempio, affabilità, comunicabilità, sollecitudine. Tales viri quia electis fidelibus utiliter praeeminent, quia subjectos ad virtutum victorias fortiter provehunt [subjungitur]: *1 Reg. 14,52: Erat autem bellum potens adversum Philistaeos omnibus diebus Saul.*

Debile et omnino infirmum bellum illorum doctorum est, qui nec lumen habent divinae cognitionis, nec fortitudinem boni operis.

7104 Bellum potens [est] quando electis plebibus duri filii dominantur; quia ille potest aliis utiliter bona dicere, qui consuevit verba magna operatione praeire. Sed et subtiliter est intuendum quod implexius dicitur: *omnibus diebus Saul.* Dies Saul, lucis opera [sunt]; bellum doctoris [illud est] quod lingua conficitur. Omnibus diebus pugnat, qui multa alios docet; sed nihil docendo profert, nisi quod suo prius fulget opere. In die sua pugnat, qui verba praedicationis ex propria trahit luce virtutis. In die ergo alieno pugnare vult qui contraire reprobis spiritibus satagit, non loquendo quae agit, sed praedicando quae novit. Omnibus diebus pugnat, quia omnia praecepta Dei ostendit in luce operis, quae subsequendo vult pandere per curam praedicationis.

7105 Bellum potens [illud est] in quo cum omnimoda virtutum vel operum luce pugnatur. Omnibus diebus pugnare: [his verbis] agonis spirituali instantia designatur; qui enim vitam ducit plenam virtutibus, in diebus vivit.

Bellum potens omnibus ergo diebus [electi doctoris agnoscitur] quia is semper malos spiritus superare cernitur, qui a luce virtutum nunquam separatur. Sed habent electi viri virtutem proeliandi, habent et humilitatem timoris; per virtutem triumphant, sed per timorem auxilia congregare non cessant. Unde tanto fortius proeliantur, quanto et vires confligendi congregare non desinunt.

7106 Bene ergo causa potentis belli subjungitur: *1 Reg. 14,52: Nam quemcumque viderat Saul virum fortem et aptum ad proelium, sociabat eum sibi.*

Quasi dicat: Idcirco bellare poterat, quia congregare exercitum non cessabat. Sed quia non solum fortes, sed etiam aptos ad proelium sociabat sibi, in eligendis Christi militibus, cautus doctor demontrat.

Fortem et aptum ad proelium: [tales sunt] qui sciunt pugnare et volunt: per voluntatem fortes, per scientiam apti.

7107 Quorumdam ergo temeritas a Christi bello repellitur, cum apti et fortes electi memorantur; nam quidem sciunt cum diabolo pugnare et nolunt: sapientes quidem sunt ut sciant mala, bona autem facere nesciunt. Hi antiquo hosti servire volunt, resistere nolunt. Quid enim faciat doctor, si aptos istos ad proelium sibi societ? Magis tales possunt alios per exempla destruere, quam ipse per verbum aedificare; nam et saepe tales docere audent, et docendi virtutem operando non tenent. Cum loquuntur, nobiscum in hostes irruunt; sed per opera, subito in viscera nostra torquentur. Velut proditores quidem exercitus arma christianae doctrinae induunt, et per exempla subito parvulos Christi feriunt, quos velle protegere loquendo putabamus.

7108 Non apti ergo viri fortes non sociandi nobis sunt, quia per sapientes reprobos robur nostrum destuitur, non augetur. Qui ergo sunt fortes et non apti, nisi quos videmus onera saeculi fortiter ferre, et fortitudinem suam in servitium. Conditoris transferre nescire? Nam jugum hominum et magnos saeculi labores fortiter ferunt, sed ad servitutem Dei accedere velut infirmi pertimescunt. Isti fortes et non apti sunt, qui saeculi magna faciunt, et Christi agere levia et blanda non possunt. Saepe etiam in monasteriis convertuntur; et qui saeculi onera fortiter tolerant, in parvis quae agunt, quasi inter magnos labores sudant.

7109 His ergo verbis ostenditur, ut viros ad Christi militiam, cum magna nobis discretione sociemus, nec accedentibus ante praebeamus ingressum, quam eos et aptos per scientiam, et fortes per bonam voluntatem esse sciamus.

Fortes et apti ad proelium [dici etiam possunt] qui Amalech, idest libidunum, bella subsequuntur: nam viri fortes non sunt qui carnales concupiscentias extinguere nequeunt; et apti ad proelium non videntur, qui pro pudicitia apti ad

proeliandum non sunt.

Eligat ergo doctor milites Christi; eligat fortes, ut dum carnem fortiter domant, immundos spiritus potenter vindicent: eligat aptos et proelium, ut dum inter dona fortitudinis non superbiunt, triumphi gloria in coelestibus sublimentur.

7110 MEDITAZIONE 61.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *1 Reg. 15,1-2*: *Et dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus ut ungerem te in regem super populum ejus Jsrael: nunc ergo audi vocem Domini:*
v. 2: Haec dicit Dominus exercituum: Recensui quaecumque fecit

Amalec Jsraeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Aegypto, (uccidendo quelli che restavano addietro, *Deut. 25,17 sq*. Dio fino da quel punto gli avea condannati all'esterminio; dopo circa quattrocento anni viene all'esecuzione, e fa intimare a Saule): *v. 3*: Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus. Non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum.

7111 Ora su questa lettera diciamo come dopo aver la Provvidenza divina posti in salvo li suoi eletti... come seguita a vedere dopo l'economia ammirabile della Provvidenza divina nel porre in salvo i suoi eletti [e] l'esito cattivo della conversazione del reprobo pastore. Ov'è da considerare: primo la grazia ultima, secondo la colpa estrema, terzo la finale sentenza.

La grazia ultima. Abbiamo visto come per guarirlo dalla superbia e punirlo della disobbedienza, Iddio avea permesso che cadesse nell'affetto della lussuria, del quale mentre la giustizia divina usava per pena, la sua misericordia si serviva per medicina. Infatti s'egli si scuote per liberarsi da questo vizio, si scuote ancora della superbia e della disobbedienza. Tutta la sollecitudine adunque della misericordia è in farlo scuotere. Molte grazie avea premesso che non ottenevano che parziali effetti, e non quell'inteso: adesso dà mano a più forti incitamenti, e sono gli ultimi, secondo quello, *Jer. 51,9*: Curavimus Babylonem et non est sanata: derelinquamus eam.

7112 Prima circostanza: Organo per cui si fa lui sentir la divina voce.

1 Reg. 15,1-3: *Et dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus ut ungerem te in regem super populum ejus Jsrael; nunc ergo audi vocem Domini. v. 2: Haec dicit Dominus exercituum: Recensui quaecumque fecit Amalec Jsraeli, quomodo restitit*

ei in via, cum ascenderet de Aegypto. v. 3: Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus.

Amalec, [dictum est esse] luxuriae vitium, quae velut lambit dum voluptatem lambendo suggerit. Profectus ergo conversationis extenditur, eo quod superius a Saul percussus asseritur, et nunc non simpliciter jubetur percuti, sed omnia ejus demoliri.

7113 Ordine di predicare agli altri, promovendo il profitto di castità nei convertiti. *Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus, 15,3.*

Primo quidem hunc doctor percutit, quando per ejus verbum agitur ut pudicitia in conversorum cordibus et corporibus teneatur. Quasi enim percussa est libido quando caro armis pudicitiae qualitercumque subacta est, et perfecte subacta non est; nam qui luxuriae jam inquinamenta deserit, sed adhuc motus turpes ex se contra se insurgentes sentit, jam opus nefarium non exercet, sed tamen abigere hoc a cogitatione non potest. Saepe invitus et incautus ad immundas cogitationes trahitur, sed ea quae negligendo intus cogitat, carnem foris excitant, ut ad turpes motus voluptatis surgat.

7114 Quid ergo est quod percussus Amalec iterum percuti et demolire jubetur? Quia praedicator eos quos ad pudicam vitam erudit, promovere debet ad perfectionem virtutis. Iterum ergo jubetur Amalec percuti, quia adhuc non bene interfectus vivit. Iterum Amalec percutitur, cum verbis doctoris, illi etam motus qui carnem pulsant eliduntur: cum ob hoc coronari subditos doctor docet, ut sic corpus domare debeant, ut ad illecebrosos motus nequaquam surgat. Sed quia nunquam sic caro restringitur, si mens ad immunda cogitando labitur, post percussionem Amalec demoliri praecipitur. Pecutitur ergo in corpore, demolitur in corde, dum caro digne per abstinentiam teritur, et mens a cunctis immundis cogitationibus refraenatur.

7115 Dando speranza del perdono.

Quo in loco priora etiam consideranda sunt, quae ex persona Domini Samuel loquitur: *Recensui quaecumque fecit Amalec Jsraeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Aegypto.*

Recensui quaecumque fecit Amalec: quia luxuria inquinamenta Deo valde odibilia sunt. *1 Cor. 6,18*: Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est: qui autem fornicatur in corpus suum peccat. *Hebr. 13,4*: Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. *Eph. 5,5*: Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet haereditatem in regno Christi et Dei.

7116 Cur luxuria recensetur? Quia justitia Dei peccator projicitur, quando ad perpetranda ejus inquinamenta curvatur. Qui ergo recensetur ut cadat, aliquando recensetur ut pereat, aliquando recensetur ut surgat. Et quia post tanta temporum spatia recensita Amalec facta memorantur, utcumque nobis insinuatur quia tales

aliquando post longa tempora resipiscunt.

Ipsa autem ejus opera exprimuntur cum dicitur: *Quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Aegypto, 15,2.* Jsrael [interpretatur] videns Deum. Cum ascenderet de Aegypto: [his verbis figurantur] noviter conversi, qui post peccatorum tenebras, et ima deserunt et ad lumen veritatis accedunt, et montem boni operis ascendunt.

7117 Restitit ei, [scilicet] Jsraeli, in via: quia libido ad perfectionis summam tendentibus, arma voluptatis objicit, et corda quae potest, gladio immundae suggestionis ferit. Et quia valde fortis et violenta est pugna fornicationis, non quomodolibet obviasse dicitur, sed: "resistit": [quod est] forti oppugnationi instare.

Hos nimirum resistentes Amalechitas videbat Jsraelita ille ascendens, Rom. 7,27: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae. Unde et ad auxiliatorem respiciens, dicebat, *v. 24*: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *v. 25*: Gratia Domini nostri Jesu Christi.

7118 Resistere ergo Amalec dicitur, quia dum in carne sumus, libidinis fortia belle sustinemus. *Resistit ei... cum ascenderet de Aegypto, 15,2*.

Ecce qui ad tertii coeli se secreta sustulerat, resistentes motus carnis hebebat: merito igitur non solum novitios, sed etiam magna virtute praeditos Jsrael de Aegypto ascendens insinuat.

Aegyptum, hujus mundi tenebrae; ascendit Jsrael de Aegypto: quia electi omnes, dum sancte vivendo proficiunt, ad supernam patriam pertingere conantur. Et quia quamdiu in carne sunt, carnis legem legi mentis contrariam habent, sibi utique per validos motus Amalec resistentem vident.

7119 Hujus namque violentia passionis ostenditur, cum eadem quae recensentur Amalech bella describuntur, *Ex. 17,8 sqq*. Nam pugnante Jsraele, cum elevabat manus Moyses, vincebatur Amalech; et vincebat ille cum iste manus deponeret.

Quid est autem quod contra alios solis armis pugnabat Moyses, contra Amalech vero non solis armis, sed etiam virtute orationis? Quad autem virtus et instantia supplicationis erat tunc necessaria, ubi si manus deponeret, Amalech victoriae honorem daret? Sed profecto magnum certamen fornicationis ostenditur, quod tanta virtute, tanta difficultate superatur. Arma igitur exercitus, oratio intensissima necessaria est. Arma quidem necessaria sunt, quia qui contra fornicationem pugnare volunt, vincere nequeunt, si non ceteris virtutibus muniuntur.

7120 Exercitus, ut *supra, 6168 sqq*. ostendimus, exempla Patrum et Scritpturarum praecepta sunt; quae quidem quilibet etiam considerare debet, ac illis sic mentem occupare, ut lasciviae inquinamenta non spectet. Sed exemplis atque doctrinis instructus, de se confidere nequaquam potest. Levet ergo manus suas, levet mentem, in opere bono et devotione resplendeat, qui abscindere perfecte a se libidinis bellum tentat.

Quid item est quod depositis manibus vincitur? Quia saepe per audaciam pravi

operis, ipsa etiam tollitur pulchritudo castitatis; saepe ex toto non tollitur, sed cum infirmantibus operibus infirmatur. Inter opera quidem et labores spirituales, contra stimulos carnis fortes sumus; sed si quasi fessi a solitae conversationis rigore torpescimus vel mollescimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis insrugunt, qui quasi depositis Moysi manibus, Jsraelem vincunt.

7121 Forza di questa battaglia e di questi nemici.

Ne ergo manus lassescant, Aron et Hur lapidem supponant, *Ex. 17,12*, et graves Moysi manus deponi nequaquam sinant.

Aaron [interpretatur] mons fortitudinis; Hur: ignis. Quando enim lassescimus, consideratis coelestibus, roboramur.

Mons fortitudinis, altitudo [est] supernae contemplationis. Quae profecto, quia in electo corde sine magna caritate non est, mons fortitudinis Moysi adstare recte perhibetur. Qui nimirum lapidem supponunt et manus sustinent, quia qui summa coelorum praemia ardenter aspicit, fortitudinem magnam sumit, et bene operari, et Conditorem exorare non desinit.

7122 Grandi astuzie e insidie.

Quia ergo valida sunt et omnino violenta bella carnis, ascendenti Jsraeli Amalech restitisse apte perhibetur. Regi igitur Propheta praecipit: *nunc ergo audi vocem Domini: Haec dicit Dominus exercituum: Recensui quaecumque fecit Amalech Jsraeli, 1 Reg. 15,1 sq*.

Audi vocem Domini: Quia caste vivere volentibus, contra fraudes fornicationis spiritus, subtiliter vigilandum est. Quasi dicat: Considerare non desinas quantis insidiis sibi subdere electos parat. Et idcirco non dixit: "recensui" quod restitit Jsraeli, [sed]: Audi vocem Domini... recensui "quomodo" restitit Jsraeli. Quasi dicast: Si modum insidiarum cognoscis, hostem superare facilius valebis.

7123 Bisogna distrugger tutto questo vizio, sicché non resti di lui nulla vivo; spogliando i moti della carne e i pensieri del diletto della turpitudine.

Merito igitur subintulis: *nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus, 15,3.*

Quasi dicat: Quia nosti quemadmodum ire debeas, vade et demolire universa ejus, et sic eum deleas, ut aliquid de eo ultra non vivat.

Sed quis ita sibi subjicere carnem, quis unquam sibi restringere mentem potuit, quis sic manere in carne ut de carne turpes motus nullos sustineret? Quis ita refraenare cogitationem potuit, ut ad eam immunditiarum obscuritas per cogitationem nulla perveniret?

7124 Sed si de carne non tollitur turpitudo motionis, tamen turpitudinis robur enervatur, cum motus quidem simplex in carne est, sed in motu pruritus libidinis nullus est. Hic quidem motus Amalechita non est, quia menti non lambit, quam oblectare non poterit. Non potest tolli menti quod aliquo modo impura non videat;

sed in mirabilem usum puritatis deducitur, ut immunda videns, nulla delectationis labe maculetur. Quisquis ergo sic praeest carni, quisquis sic mentem regit, ideo praeest, ideo regit, quia Amalec cuncta demolire fortiter potuit.

7125 Dalla carne, dalle parole, dalli pensieri toglier ogni lascivia.

Sed jam quae sunt ejus universa, subsequenter exponit: *non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid; sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum, 15,3.*

Parcit ei, [scilicet] Amalec, qui aut in cogitatione, aut in ore, aut in carne lasciviae aliquid retinet. Nam plerique turpitudinis opera non exercent, sed linguam a turpi locutione non cohibent; plerique per opus luxuriam vitant, per cogitationem non vitant; quidam nihil turpe agunt, sed quod actu refugiunt, corde concupiscunt. Parcit ei qui blandimenta lasciviae aut in locutione, aut per intentionem, aut per cogitationem tenet. [Ideo dicit]: Non parcas ei: quia de tam nequissimo vitio nihil accendi debet in mente, nihil permitti ardere in opere. Non parcas ei, ut omnes libidinosi motus, omnes obscaenae locutiones prorsus perimantur in corpore.

7126 *Et non concupiscas*: ut penitus eradicentur a cogitatione.

Libido [est] ignis; virtutes de carne et mente exortae [sunt] flores; turpes cogitationes, paleae. Si in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parva scintilla quae remanet omnes paleae accenduntur. Qui ergo virtutum flores in mente non vult exurere, ita debet libidinis ignem extinguere, ut per tenuem scintillam nunquam possit ardere. Carnalium etiam cogitationum stipulas auferat, ne dum is qui extingui non potest calor naturalis accenditur, virores virtutum qui per se accendi nequeunt, quasi per admixtas paleas exurantur.

Non parcas ei et non concupiscas ex eo aliquid: quia luxuria omnis in carne perfecte domanda est, et a mente radicitus extirpanda.

7127 Non parcas et non concupiscas ex eo aliquid, quia [sequitur]: *sed interfice a viro usque ad mulierem et parvulum, 15,3*. Nam mulieres concupisci poterant, parvuli et lactentes ad misericordiam provocare.

Sed interficies a viro Amalecita: Suadentes motus turpitudinis viri sunt: quia violenter suggerunt, et corruptis mentibus semina pravitatis infundunt.

Mulierem: [mulier est] mentis concupiscentia, quae praedictis motibus ad foetus impios substernuntur.

Et parvulum atque lactentem: [parvuli sunt] qui de Amalechitarum virorum et mulierum commixtione generantur. Nam si motus malae suggestionis quasi adulter in mente recipitur, concupiscentia quasi meretrix impregnatur. Ipsa vero concupiscentia, si nefarium effundere partum sinitur, libidinum motus jam non solum mente, sed etiam in carne generantur.

7128 Qui dum nascuntur parvuli sunt. Parvuli, quia adhuc carni violentiam

movendo non inferunt; lactentes, cum tenui et negligenti cogitatione nutriuntur. Qui enim jam libera cogitatione motus turpes in carne reficit, non jam lac parvulis, sed cibum adultis impendit. Lac ergo parvulorum Amalechitarum, tenuiis est cogitatio immunditiae, quia si motus turpis per cogitationem non pascitur, quasi negato sibi lacte parvuli necantur. Quod profecto lac meretrix porrigit, quia dum ardor concupiscentiae mentem praevenit, quasi ex pessima cordis ubertate agitur, ut pejores motuum soboles in carne nutriantur.

7129 Bovem: [in quo] consilium graudulentum accipitur, quod exemplo veterum carnis voluptatem suggerit, qui inter carnis opera omnipotenti Deo placuere.? Nam quasi discretionis vomere scindere terram cernitur, sed si ex deliberatione suscipitur, jugo turpitudinis colla miserae mentis illaqueat, quem per simulationem gestat.

Ovem: [haec est] innocentium vita; unde electi omnes, Redemptoris nostri voce, oves nominantur. *Jo. 10,17*: Oves meae vocem meam audiunt. Et ovem: Amalec [ovis est] simulatio innocentiae. Nam quidam dum et ipsam formam humani corporis et proprietates sexus utriusque, dum insitam libidinem membris considerant, quasi naturali bono se hoc posse uti licenter putant. Ovis Amalec [est] quando continentibus illud quasi bonum suggerit, quod vere bonum non esse liquido comprobatur.

7130 Celibato. Camelum: [qui] ruminat et ungulam nequaquam findit, [est] cogitatio quaedam luxuriae, quae quasi a ratione incipit, sed per discretionem non finitur. Nam dum quod cogitat per veritatem non disponitur, ejus ungula dividi non videtur. Nonnulli etenim continentiam professi, dum a carnis concupiscentia superantur, in conjugali vita salvari posse confidunt. Quidam et dum Apostoli licentiam audiunt, *1 Cor. 7,1*: Unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum, sine discretione personarum omnes in hoc praecepto concludi, et sacrorum ordinum viros conjugali copula uti posse fatentur. Hujusmodi enim sensus Amalechita camelus est, quia quasi ex ratione incipit, sed ad irrationabilem veritatem trahit.

7131 Asinum: [hic est] aperta nequitia fornicationis. Quosdam enim diabolus in apertum chaos fornicationis invehit, quibusdam per fraudes illudit. Asinus etiam aliena onera portare consuevit. Doctor vero gentium, dum virum sui corporis potestatem non habere, sed mulierem, docuit, item mulier sui corporis potestatem non habere, sed mulierem, docuit, item mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, *1 Cor. 7,4,* aliena onera eos portare jussit. Asinus ergo [est] robur conjugalis copulae; quia electi conjuges invicem onera sua fortiter portant, ne per carnis infirmitatem in fornicationis barathrum remissius corruant.

Interfice... et asinum: sed amalechitam: quia copula conjugalis in honestate thalami roboranda est, sed a turpitudine interficienda. Debent quidem conjuges debi-

tum sibi invicem reddere, sed turpiter convenire non debent. Asinus ergo Amalec interficitur, cum in bonis conjugibus caritate tenetur honestae copulae, sed omnis obscaenitas vitatur in turpi conjunctione.

7132 *Et demolire universa ejus, 15,3*: quia qui caste proponunt vivere, de blandimento carnis in se aliquid retinere non debent; in carne quidem esse debent ut bona per carnem agant; sed sic debent a carnis voluptate per mentis sublimitatem discedere, ut contumelias de carne non tolerent. Tales quidem eos esse volebat, quibus Apostolus loquebatur, *Rom. 8,9*: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.

Dà il Signore un lume assai vivo a conoscere la verità, ond'ei possa giudicar rettamente gli altri, e colla stessa misura e suo proprio giudizio giudicar di sé. S'egli resiste a questa grazia, ex ore suo se judicat, *cf. Luc 19,22.* In quo alterum judicas, teipsum condemnas, *Rom. 2,1*.

7133 MEDITAZIONE 62.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 15,4-7: *Praecepit itaque Saul populo, et recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum et decem millia virorum Juda.*

v. 5: Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente.

v. 6: Dixitque Saul Cinaeo: Abite, recedite atque descendite ab Amalec, ne forte involvam te cum eo: tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Jsrael cum ascenderent de Aegypto. Et recessit Cinaeum de medio Amalec.

v. 7: Percussitque Saul Amalec, ab Hevila donec venias ad Sur, quae est e regione Aegypti.

7134 Ora su questa lettera etc., diciamo come dopo la grazia ultima, sèguita a vedere la colpa finale. E prima com'egli resiste alla grazia, e abbandona Iddio, da cui abbandonato poi si precipita nell'abisso.

Fare per gli altri e trascurar se stessi. Ottimamente fa predicando coll'addurre belli esempi, mandando ottimi predicatori. Bisogna produr il suo esempio: convertirsi egli il primo.

7135 *Praecepit itaque Saul populo, et recensuit eos quasi agnos, 15,4.*

Agnos [Agnorum nomine] viri magnae prudentiae designari solent. *Apoc. 14,1*:

Vidi supra montem Sion agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quattuor millia, habentia nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Qui enim nome agni assumpserant, Agni dicebantur. Ipsos etiam exponens, ait, *Apoc. 14,4*: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Quid est ergo quod cum Amalec deleri praecipitur, quasi agni regis milites recensentur: Praecepit itaque Saul populo, et recensuit eos quasi agnos? Quia cum fornicationis spiritum delere praedicando volumus, perfectorum exempla producere debemus. Quotquot enim pudicitiae gloria insignes saecularibus convertendis ostendimus, velut tot milites quasi agnos recensitos, ad Amalec bella portamus.

7136 Possunt autem horum recensitorum nomine, ipsi divinae praedicationis ministri intelligi. Quasi agni [hi sunt], quia per gloriam perfectae pudicitiae, jam illis virginibus cum Christo in regno gaudentibus similantur. Quibus profecto verbis ostenditur, quia qui praedicationis ministerum sumunt, praecipuo castitatis fulgore ante decorandi sunt; quia si per incontinentiam defluunt, continentes alios facere nequaquam possunt, et ad tantae lucis bonum provocare non praevalent, qui ejus radios in propriae contemplationis fulgore non habent. Bene ergo dicitur: Recensuit eos quasi agnos, quia pudicos valde esse eos oportet, qui fornicationis effugare spiritum per accepti ordinis potestatem debent.

7137 Unde in Evangelio eis Dominus dicit, *Luc. 12,35*: Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris; ut verbum praedicationis subditi audiant, sed eos ad bonum castitatis quod audiunt, exempla lucidissimae conversationis trahant. Unde bene perfecto numero designantur, cum subditur: *ducenta millia peditum, et decem millia virorum Juda, 1 Reg. 15,4*.

Peditum: [pedites sunt] electi non cum alta praedicant, sed cum per bona exempla caelestis itineris rectitudinem aliis demonstrant. Pedites gressibus currunt quo producere arma volunt; exempla [autem] castitatis, coelestium militum [sunt] terris impress vestigia. Nam ut vitia libidinum in lubricis feriant, ad cordium eorum tenebras cum bonorum exemplorum luce festinant, et quasi gressu pervenientes, hostes perimunt, qui, postquam per opera cognoscuntur, corda peccatorum ad pudicitiae bonum trahunt. Cum ergo per exempla castitatis in peccatorum cordibus tenebras immunditiarum destruunt, pedites recte nominantur.

7138 Et quia non solum praetextu corporalis munditiae splendidi sunt, sed etiam luce cordis, ducenta millia esse perhibentur. In centenario et millenario numero omnis decalogi summa concluditur. Perfecti ergo viri in ducentis millibus continentur, quia per divinam gratiam tam corporis continentia, quam integritate mentis ad summam pudicitiae arcem pervenère. Tam enim in corpore quam in mente habent perfectionem intentionis. Vel quia non remisse aut negligenter Deo per pudicitiam serviunt, centenarium habent operis; et quia ei servire non desinunt, habent millenarium multiplicationis. Sed fortes et assidui sunt ad continentiam

corporis, perfecti et instantes ad circumspectionem cordis perfectione virtutis.

7139 Talem quidem etiam viduam Apostolus esse praecipiens, ait *1 Cor. 7,34*: Ut sit sancta carne et spiritu. [Talis autem erit] si perfectione castitatis qua fulget in corpore, fulget et in mente. Quod si viduae tales sunt, quales esse jussae sunt virgines? De illis namque pluribus, sub unius descriptione, dictum est, *Ps. 44,10*: Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate. In eodem quoque psalmo laudatur eadem regina, cum dicitur, *v. 15*: Omnis gloria filiae regis ab intus: in fimbriis auratis, circumamicta varietate.

Vestitus deauratus [est] decor et honor corporis virginalis; vestitus, quia foris fulget in corpore; deauratus, quia praecellit dignitate. Omnis autem metalli species auro inferior est; sic nimirum omnis pudicitia alia, decori virgineo comparari non potest.

7140 Omnis gloria filiae regis ab intus. Quid est hoc, si foris esse gloria vestitus aurei praedicatur? Si enim foris est aliqua magna aurei vestitus gloria, intus omnis gloria videri non potest. [Sed intus est gloria] quia et illa quae foris est gloria, cum aliis innumeris intus esse cognoscitur. Aurea enim virginitas non est, si foris est et intus non est. Quia ergo intus et foris est, quia eadem splendet in corpore, eadem fulget in mente, omnis gloria filiae regis ab intus [est], quia foris sola, intus sola non est. Quia enim multae sunt virtutum claritates in mente virginis, sic virgineus splendor asseritur, ut intus omnis gloria praedicetur.

7141 *In fimbriis aureis circumamicta varietatibus.*

Fimbriis aureis: [quae sunt] claritates a mente nunquam deficientes. Fimbriae [sunt] finale vestimenti partes, quae idcirco in sponsae Christi decore laudantur, quia nulla est virtutum gloria, si lucere ante vitae consummationem desistat.

Regina ergo amore dicitur; in vestitu deaurato virginitas praedicatur; omnis gloria filiae regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus: ut innumeris virtutibus adjuncta integritas, usque in finem deduci sentiatur.

7142 Bene itaque contra Amalec ducenta millia peditum recensentur, quia illi ad debellandos immundos spiritus idonei sunt per exempla castitatis qui eam tenere didicerunt et in luce operis, et in splendore castitatis.

Quia item eruditi ac perfecti sunt verbo Dei, [sequitur]: *decem millia virorum Juda. 1 Reg. 15,4*.

Virorum, fortitudine; Juda, praedicatione. Juda [enim interpretatur] confitens.

Decem millia: Denario numero designantur, quia perfectionem doctrinae per gratiam Spiritus Sancti consecuti sunt. Unde et Moysi decem legis praecepta tribuuntur, quae Dei digito scripta sunt, *Ex. 31,18*. Digitus Dei [est] Spiritus Sanctus, qui cum legem scripsit, hanc utique in decem praecepta edidit, quia etsi in ea carnale aliquid foris protulit, intus hanc spiritualis intelligentiae perfectionem signavit.

7143 Decem millia virorum Juda contra Amalec [producuntur], ut fornicationis spiritus aptis viribus superetur. Lambit quippe suggestione, quia levia et blanda consulit, sed res quas lambendo consulit, per cogitationum phantasias ostendit. Ergo ut mens, obscaena sibi a daemonibus ostensa non videat, electorum exempla revelanda sunt. Et ut suggestionibus turpibus immundus spiritus delinire non possit, lingua praedicatorum debet per pudicitiae laudem tangi. Lingat hanc praedicator, ut malignus spiritus lingere nequaquam possit. Et hanc verbis oblectet, ne cui coelestia desunt, hanc diabolus per suggestionum oblectamenta dilaniet. Contra duplex ergo bellum cordis, quia duplex est necessarium bonum auxilii, bene contra Amalec et pedites et viri Juda parari perhibentur.

Si quis autem alios per pedites, alios per viros Juda vult intelligi, sensus apertae veritatis patet, quia summi doctores habent qui docere nesciunt praedicatione, prodesse autem valeant opere.

7144 Sanctae industrie per guadagnar anime le più peccatrici.

Sed jam recensiti ad tanta proelia audiamus qua arte dimicent. *1 Reg. 15,5: Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente.*

Torrens, ille [est] de quo per psalmistam dicitur, *Ps. 109,7*: De torrente in via bibet. Torrens, decursus [est] nostrae mortalitatis.

Saul tetendit insidias in torrente, quando praedicator Ecclesiae aeternis praemiis considerationem mortalitatis inserit; ut enim lubricas animas quasi per fraudem capiat, modo coelestia loqui inchoat, sed repente ad exponenda aeternarum poenarum acerbitatem convertitur, ut securae in carnis delectatione mentes terreantur.

7145 Quasi enim per fraudem educit, per insidias percutit, dum laeta loquens ad audiendum provocat, et mortis tristia inserit, ut audiant lubrici quod expavescant. Venit Saul usque ad civitatem Amalec, cum doctor munita per illicitum amorem corda peccatorum, dulcedine aeternae jucunditatis attrahit; ut quasi ex insidiis erumpentem contra se militem peccator videat; et dum se velociter moriturum considerat, moram peccati tendere ultra pertimescat.

7146 *1 Reg. 15,6*: *Dixitque Saul Cinaeo: Abite, recedite atque descendite ab Amalec, ne forte involvam te cum eo: tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Jsrael, cum ascenderent de Aegypto.*

Cinaeus, qui habitare cognoscitur cum Amalec, qui et discedere cogitur ne cum eo pariter involvatur, fortasse ille [est] de quo dicit Apostolus, *2 Cor. 7,3*: Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro. Cui etiam nomen convenit: Cynaeus [enim interpretatur] possidens. Qui profecto conjugati, quia conjugio obligati sunt, relinquere omnia non coguntur.

7147 Dixitque Saul Cinaeo:... Descendite ab Amalec: quia quidem conjuncti sunt qui meretricio more junguntur; quos discedere ab Amalec doctor praecipit,

cum ad honestatem conjugalem eos revocare contendit. Quasi dicat: Si continere ab invicem non potestis, honorabile connubium in vobis sit, et thorus immaculatus. Discedere ab Amalec, est conjuges seipsis uti, non ad turptudinem meretriciae obscaenitatis, sed ad temperantiam honestatis et fructum propaginis. Unde et idem doctor egregius, de vidua quae juxta ejus consilium sic permanere non potest, dicit, *1 Cor. 7,9:* Quod si non se continet, nubat: tantum in Domino. Nec in Amalec, sed in Domino; ut quae a nuptiis abstinere non praevalet, obscaenos gestus in foedere nuptiarum vitet.

7148 Bella discrezione per gli altri: somma irriflessione per sé.

Cum etiam comminatur dicens: Ne forte involvam te cum eo, 1 Reg. 15,6.

Involvi peccatoribus, est aeterna poena damnari. Unde et de nequam servo in Evangelio Dominus dicit, *Marc. 22,13*: Ligatis manibus et pedibus, projicite in tenebras exteriores. Modo ergo praedicatores auditores reprobos non involvunt, quia etsi verbum contemnunt, redire tamen ad poenitentiam donec vivunt, cum volunt possunt. Instanter ergo conjugibus conjugalis honestas imperanda est, cum valida mulctatione dicitur: Abìte, recedite atque descendite ab Amalec, ne forte involvam te cum eo. *1 Reg. 15,6*. Absque laesione quidem nunc, non tunc, receditur; quia qui per omnia turpibus similantur, eorum laesionis expertes non erunt.

7149 *Tu enim fecisti misricordiam cum omnibus filiis Jsrael, cum ascenderent de Aetypto, 15,6:* quia infirmi sanctae Ecclesiae filii, dum perpetuae continentiae bonum servare nequeunt, conjugii miseratione suscipiuntur.

Ascendunt de Aetypto, quia luxuriae et fornicationis tenebras deserunt. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Jsrael: Ascendentes de Aegyppto misericordiam a Cynaeo accipiunt, quia conjugii indulgentiam promerentur. Unde et Doctor egregius dicit, *1 Cor. 7,8*: Hoc dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.

7150 Compunge, persuade col suo predicare, e si convertono.

Et quia Sanctae Ecclesiae electis subditis bona quae loquendo exhibet persuadet [sequitur]: *et recessit Cinaeus de medio Amalec, 1 Reg. 15,6*. De medio Amalec discedit conjux: de parte non potest; quia etsi gestus vitat turpitudinis, vitare non potest affectum voluptatis: ignem quippe temperare per honestatem conjuges possunt.

Recessit Cinaeus de medio Amalec: quia etsi carnalibus desideriis omnino carere neqeueunt, ipsum tamen carnis imperium sub praecepto honestatis vinculo moderantur.

7151 *1 Reg. 15,7*: *Et percussit Saul Amalec ab Hevila donec venias Sur, quae est e regione Aegypti.*

Hevila: parturiens [interpretatur]; Sur: angustiae; Aegyptus: tenebrae.

Concupiscentia autem peccatum parit; [ideo] parturiens. Propheta etiam impoe-

nitentis cordis angustias incurrere metuens, obsecrat dicens, Ps. 68,16: Ne absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.

Doctor ergo [percutit], (Et percussit Saul Amalec ab Hevila, donec venias Sur) cum in auditorum suorum cordibus vitia conceptae delectationis comprimit, et finem deliberationis.

Donec venias Sur: Percutit etiam Sur, cum eas mentes videtur ad pudicitiae amorem trahere, quae in luxuriae foetore proposuerant vitam finire. In angustia enim sunt qui capti, jam malae consuetudinis laqueo constringuntur.

Notandum: Sur, quae est e regione Aegypti: quia qui in luxuria vitam finire deliberat, modo in interioribus tenebris clauditur, a quibus ad exteriora perducatur.

7152 MEDITAZIONE 65.

1 Reg. 15,8-9: Et apprehendit Agag regem Amalec: omne autem vulgus interfecit in ore gladii.

v. 9: Et pepercit Saul et populus Agag et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus et arietibus, et universis quae pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea. Quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt.

Ora su questa lettera diciamo come dopo aver considerata la resistenza che il reprobo prelato ha fatto alla grazia, è da considerare la colpa estrema in cui si abbandona, per non più risorgere.

7153 Rex Saul: Qui principia bnona habuit, sed in bonis quae coeperat nequaquam perseveravit, per sacrae historiae textum ostenditur ut in eo imitanda et cavenda videamus. Sic nimirum et male cultas segetes carpimus, quae ad messionem spinis admixtae consurgunt; bene quidem eas legere novit, qui sic curat spicas carpere, ut spinas studeat evitare. Sic dum horti cura negligitur, cum olere quod reficit, nascitur vicia quae pungit. Quasi enim male cultos agros ingredi caute discipulos praecipiebat Dominus, *Matth. 23,2*: Super cathedram Moysis sederunt principes et Pharisaei. *v. 3*: Omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Quasi dicat: Quia mixta sunt acta et verba reproborum, sic utendi sunt ut in eis sumatur quod vivificat, vitetur quod necat. Hinc iterum praenuncians, dicit, *ibidem 7,15*: Attendite a falsis prophetis,

qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

7154 Colpa estrema: disobbedienza suprema. Dov'è la parte più debole, [ivi] tenta sempre il demonio. Quando siamo noi caduti in alcun male, se subito là non ripareremo, ricadremo; risorti, se là non ci premuniremo, saremo ritentati là ben subito.

Hucusque ergo regem Saul strenue regni curam gerentem, libenter attendimus: contemptorem jam Dominicae jussionis, in quo vitari et abjici debeat, subtiliter videamus.

1 Reg. 15,8: *Et apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladii. v. 9: Et pepercit Saul et populus Agag et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus et arietibus, et universis quae pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea. Quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt.*

7155 Disobbedienza per la superbia.

Verbum Domini fuit: Nunc vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus. Non parcas ei et non concupiscas ex eis aliquid, *15,3*. Aperte ergo transgressor perr inobedientiam extitit, quia implere praeceptum Domini per superbiam recusavit. Dominus quidem prophetae praecepit dicens: Non parcas ei, et non concupiscas ex eis aliquid: hic vero et pepercisse et omnia electa ejus concupisse ostenditur; ut dum transgressionis modus ostanditur, quam sit detestabilis inobedientiae culpa monstretur. Quod si carnis bella describimus, magnos esse lapsus regios invenimus; unde et Dominus in Evangelio dicit, *Matth. 5,13*: Si sal evanuerit, in quo salietur? Reges [autem] Ecclesiae [sunt] ejus praedicatores.

7156 Agag regem Amalec: [Hic est] sensus carnalis. Nam cum ex anima rationalitatem et sensualitatem habeamus, rationalitas menti, sensualitas carni adscribitur; et per illam cum Angelis, per istam cum brutis animalibus convenimus: in illa quo altius extollimur, supernis civibus appropinquamus; per istam vero quo ad carnis blandimenta dilabimur, carnaliores, ut ita dixerim, invenimur. Unde et visis et concupitis jam filiabus hominum, jam impletis in luxuria voluptatibus, de his qui puritatis merito filii Dei vocabantur, in Genesi Dominus minatur, *Gen. 6,3*: Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est. Caro quippe homo efficitur, quando sensui carnis, ratio subjugatur.

7157 Rex Amalec, vigor [est] sensus carnalis, qui motibus turpibus imperat, ut captivam rationem ad illecebras obscaenitatis trahat. Bene autem carnali sensui nomen congruit Amalechitae regis; Agag [enim], meditans, sive loquens [interpretatur. Cui] meditari [est] phantasmata lasciviae interna meditatione colligere; loqui, carnem motibus turpibus ad libidinem excitare. Quasi enim magnum clamorem locutionis habet, quia carnem pulsando ardentius commovet; nam et meditando colligit quod loquendo exponat, quia unusquisque carnali sensui subditus, quo liberius lasciviae simulacra intus conspicit, eo validiores motus turpitudinis

foris sentit. Meditatur ergo per internam visionem turpitudinis, loquitur autem per exteriorem motum delectationis.

7158 Rex ergo Amalech, loquens et meditans dicitur, quia illis labentia blandimenta carnis excitare potest, quibus per turpes cogitationes illudit, et quos per experientiam blandae motionis erudit. Sed notandum quia quo liberius meditatur, eo et liberius loquitur; quia carnem eo fortius commovet, quo causas suae commotionis intus impressas per cogitationem tenet. More etenim ignis, quo attentius insufflatur, eo magis accenditur; quia si flatus immundae cogitationis deest, ardor libidinosae cogitationis adesse non potest.

Rex ergo Jsrael contra Amalec regem pugnat, cum doctor Ecclesiae contra fornicationem disputat.

7159 Et apprehendit Agag regem Amalec victum, quando ad veniam conversos peccatores non solum poenitentes, sed etiam confitentes accipit. Quasi ergo Amalec jam vinctum tenet, qui carnalem sensum in conversis peccatoribus per amorem pudicitiae jam rationi subjectum videt.

Vivum: Sed quid est quod victus vivit? Qui nonnulli sunt qui propriis passionibus non moventur, sed auditis alienis obscaenitatibus moventur. Pugnantes fortes sunt, sed victores cadunt. Qui enim expugnatum regem vivum servavit, liquet quia in ejusdem belli triumpho, capti sibi regis persona placuit. Quid vero aliud faciunt qui ab aliis peccatorum confessionem recipiunt? Nam dum cogitant quae confitentes fecerunt, ad scelera quae audiunt inardescunt. Nam saepe dum audiunt, quibus se alii blandimentis obruerant, amare ipsi incipiunt quae jam eorum exhortatione morientes illi confitentur.

7160 Ricaduta nella lussuria, pigliando occasione dal ministero: e dove gli altri sorgono, essi cadono.

Et apprehendit Agag regem Amalec vivum: Jam in urbe sua victus et captus est Agag; sed a victore servatur, cum quod detestatur a subditis, diligitur a praelatis; quia carnalis sensus in eis vigere incipit, qui in illis vigorem iniquae dominationis amisit. Et quia dum pastores currunt ad praecipitium subjecti comitantur, [sequitur]: *1 Reg. 15,8: et apprehendit Agag regem Amalec vivum...* v. 9: et pepercit Saul et populus Agag et optimis gregibus ovium et armentorum etc. et vestibus et arietibus, et universis quae pulchra erant.

7161 Pepercit: Parcere, affectae mentis est amore ejus cui parcit; quod certe libidinis vitio convenit, quia ut placere incipit, mentem in sui amorem trahit. Quia etiam vehemens est virtus illius, statum habere non novit; quia nimirum cito perficit, si a se hanc cito evigilans animus non expellit. Nam dum mentem invadit, se per innumeras turpitudinum cogitationes spargit. Unde et bene [dicit]: *et pepercit Saul et populus... optimis gregibus ovium et armentorum.*

7162 Greges ovium et armentorum [sunt] cogitastiones libidinum; quia et in-

numerae sunt, et de contemplatione immunditiae in reprobo corde pascuntur.

Optimis: non probatione bonitatis, sed appetitu eligentis; in corde enim reprobo, quia nihil diligitur carius, optimi greges dicuntur, quibus alia nulla comparantur; sed optimi dicuntur pro caecitate cordis; armenta, per reatum transgressionis. Reprobis quippe mentibus magnum non est immunda cogitare; sed coram Deo parvum non est in templo Dei, hoc est in regenerato spiritu, immunda reponere.

Pepercit gregibus ovium et armentorum: quia qui per amorem libidinis quasi parvas immunditiae culpas aspicit, quasi parvis modo parcit, sed merita poenarum parva non invenit.

Ovium: [hi sunt] leviores etiam luxuriae cogitationes; armenta, fortiores et molestiores. Et pepercit Saul et populus... gregibus ovium et armentorum: [parcitur] cum reprobus doctor et subditi, tam levibus quam fortibus immundae cogitationis vexationibus substernuntur.

7163 Et vestibus pepercit: [quod est] damnatae jam menti immunda deliberare. Si enim aureus vestitus sponsae virginalis gloria est, vestes Amalec [sunt] foeda inquinamenta luxuriae. Vestes [dicuntur], quia eorum velamine tam anima quam corpus inficitur; quia enim animam foedat et corpus perpetratio luxuriae, non vestis, sed vestes nominantur.

Sed ut dixi, parcere [scilicet] deliberare, per affectum mentis immunda diligere est; infelix vero anima, sic capta, sic illaqueata, quia miris impulsionibus ad deliberatam pravitatem perpetrandam cogitur, bene post oves, armenta et vestes, et arietibus pepercisse memoratur; quasi enim arietum cornua sibi in lenes libidinum ictus placent, qui hoc in se unum retinere nititur, unde ad immunditiae mortem perforetur.

7164 Et pepercit... arietibus, qui praecipitationis suae ictus gratanter recipit; pungitur quippe ut carnis suae desideriis serviat, sed quod se fortiter pungit, leviter oblectat.

Quia item per innumeros modos obscaenitatis mentem libido allicit, non solum his nomintis rebus, sed omnibus quae pulchra erant pepercisse memorantur: Et universis quae pulchra erant. Omnia quae sibi immunda anima de luxuriae voluptate gratanter fingere cernitur, "Amalec pulchra" nominantur. Appetere haec quippe nullatenus posset, si vehementer sibi eorum species non placeret.

7165 Sed quia casus victorum asseritur, dicitur: Nec voluerunt disperdere ea. Quasi dicat: Potuissent disperdere si voluissent; nam nihil faciliuis quam libido vincitur, si omnis immunda cogitatio devitatur. Tanto igitur facilius disperdi potest, quanto unusquisque cogitare alia quam carnis oblectamente potest. Quia enim duas simul res immaginari non possumus, dum quidquid est aliud cogitamus, cogitare immunda non possumus. Celer ergo et facilis victoria libidinis est circumspectio cogitationis, si quoties carnalia obviant ad aliquid omnium

recurramus, quod libidinis non sit blandimentum. Hoc quidem facile stantibus, non lapsis facile dixerim; quia qui perpetratione peccati immundi spiritus servus efficitur, nec carnis cogitationes libere potest vitare, nec ad alias cito recurrere.

7166 De victoribus ergo dicitur: Nec voluerunt disperdere ea, qui potuerunt; quia ante casum a liberis facile peccata vitantur; sed si nolunt vitare cum possunt, postea non possunt si volunt, quia perfecte velle non possunt. Quibus utique per se Veritas dicit, *Jo. 8,36*: Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Quasi dicat: Quia sponte liberi esse desjistis, potestatem adipiscendae libertatis in vobis jam non habetis. Quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt: quia nonnulli majorum delectationum usu, minores fastigiunt. Vile et reprobum eis est quod electione eorum quae magis placent vilipendunt; quia enim delicatiora peccata expetunt, quaedam reprobant; et quia pretiosiora peccata approbant, vilia minora putant. Bene ergo dicitur: Quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt: quia delicatiora peccata eligunt, et quae minus placent, quasi inepta reprobant, et velut vilia contemnunt.

7167 La colpa esterna del prelato trascina i sudditi nella perdizione.

Ista vero omnia moraliter intellecta, libidinum pugnas atque victorias, sed ad historiam superborum et inobedientium tumorem designant; nam praeceptum a Domino Saul fuerat ut Amalec sic deleret, ut alicui eorum non parceret, nihilque concupisceret. Qui ergo et regi Amalec pepercisse, et optimis quibusque rebus asseritur, superbus et inobediens aperte monstratur. Sed fortasse praeceptum contempsit, quia hoc a Propheta, non a Domino, audivit; qui certe sic prophetam audire debuit, ut auctoritatem attenderet quam praemisit.

7168 La disobbedienza e la superbia è quella che campeggia.

Nam praecepturus propheta ut Amalec regem percuteret, praemisit: Haec dicit Dominus; ut praeceptum quod per hominem audisset quasi hominis despicere non auderet. Ne iterum ministerium ejus rex elatus vilipenderet, item praemisit dicens: Me misit Dominus ungere te in regem. Quasi dicat: Per illum tibi Dominus regale ministerium praecipit, per quem te in dignitatem regiam sublimavit. Tanto igitur humilius obedire debuit, quanto hunc esse a Deo missum apertius agnovit; sed dum missum prophetam sprevit, mittentem pariter Dominum [contempsit].

7169 MEDITAZIONE 64.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.
1 Reg. 15,10-12: *Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens:*

v. 11: Poenitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte.

v. 12: Cumque de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli et quod venisset Saul in Carmelum, et evexisset ibi fornicem triumphalem, et reversus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, et Saul offerebat holocaustum Domino, de initiis praedarum quae attulerat ex Amalec.

7170 Ora su questa [lettera] etc. diciamo [come] dopo la grazia ultima rigettata e la colpa estrema già commesssa dal reprobo prelato, è da vedere la sentenza finale: e prima come viene notificata alla prima sede. *1 Reg. 15,10*: *Factum est autem verbum Domini ad Samuel dicens: Poenitet me quod constituerim Saul regem, quia derelinquit me, et verba mea opere non implevit.* Ille prophetae verba se non audire credidit, sed Dominus se derelictum conqueritur, dum verba sua opere non impleta ostendit.

7171 Dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Nunc Ecclesiae Dominus loquitur, *Luc. 10,16*: Qui vos audit me audit: et qui vos spernit me spernit.

Dereliquit me: Qui ergo per inobedientiam a praedicatorum verbo discedunt, Dominum derelinquunt, quia ab illis recedunt per quorum ministerium divinae voluntati praesentes fiunt. Verba Domini opere non implent, quia foris homines loquuntur, intus vero in hominibus Deus loquitur. *Matth. 10,20*: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. In praedicatoribus ergo contemnenda non est foris vilitas carnis, quorum mentes tam dignanter incolit sublimitas deitatis.

7172 Poenitet me: Quomodo, cum mutari Dominus affectibus non credatur? Sed quia cum mutabilibus summa immutabilitas loquitur, more eorum quibuscum loquitur, dum poenitere dicitur, displicere sibi superborum temeritas designatur. Poenitere enim solemus cum mala nobis illi retribuunt quibus nos honores aut dona impendisse memoramus. Quia ergo more nostro omnipotens Deus de superni regis ingratitudine queritur, dignitatem regiam contulisse se illi poenitere perhibetur.

Poenitet me, quod constituerim Saul regem: quod profecto ad cumulum magnae damnationis de superbis dicitur, quia quod sunt jam non ad meritum, sed ad poenam sunt: quia in voluntate Dei non sunt. Poenitere ergo Dei est voluntatem in reprobis non habere, cum a se honores impensos meminit, sed eos quibus bona contulit male uti bonis quae contulit agnoscit.

7173 Hanc quippe poenitentiam suam Deus verbis aliis per Malachiam prophetam Judaeis insinuat, *Mal. 1,10*: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Quantum ergo cavenda sit inobedientiae culpa cernimus, si his verbis Domini quam districte

percutimur attendamus.

Nos autem in bello Amalec, fornicationis pugnam descripsimus, qui nobis omnino deleri per sacra eloquia jubetur; merito igitur de lapsis in carnis bello doctoribus, intelligi potest hoc quod Dominus queritur, dicens: Poenitet me, quod constituerim regem Saul, quia dereliquit me et verba mea opere non implevit.

7174 Verbum ejus, praeceptum praedicationis est. *Luc. 12,35*: Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris. Qui ergo verbum in praedicatione habet, et in praecinctu castitatis non habet, loquendo Dei, esse cernitur, sed operando Deum derelinquere probatur. Derelinquit me, quia verbum meum opere non implevit. Foris divina exequitur; sed occulte dum in carnis voluptate resolvitur, verba Domini opere non implere declaratur. Dereliquit Deum, mala proponendo; verba mea opere non implevit, prohibita praesumendo. Bene ergo dicitur: Poenitet me quod constituerim Saul regem; quasi dicat: Quem praeesse aliis tunc volui, modo nolo, quia quem humilem praetuli, nunc superbientem et elatum transgressorem cerno.

7175 Quod nimirum de quibusdam lapsis non dicitur, sed de his quorum lapsus ostenditur, et poenitentia nequaquam praevidetur. Nam de justorum casu scriptum est, *Prov. 24,16*: Septies enim cadet justus et resurget. Eorum certe casus quodammodo status eorum est, quia aliquando permittuntur cadere, ut semper valeant fortius stare. Permittuntur ut in malis corruant, ne summa virtutum dona per elationem perdant. Hi profecto, etsi verba Domini quandoque non implent, a Domino non recedunt; quia ad tempus relinquuntur, ut aeternaliter teneantur; et in modico desipiunt, sed post modicum resipiscunt. Dum ergo Saul non solum verba Domini opere non implesse reprehenditur, sed ipsum Dominum reliquisse, (dereliquit me, quia verba mea opere non implevit) lapsos et impoenitentes significat.

7176 Sentenza finale contro la disobbedienza, superbia e lussuria.

Percussimus foedus cum morte: et cum inferno fecimus pactum.

Percussimus foedus cum morte: [Quod est] mala audacter perpetrare, et ea semper agenda promittere; mala quippe indesinenter faciunt, sed diligendo quod faciunt, quasi a mortis amicitia se nunquam recedere pollicentur. Hi quippe in mortis foedere quanto insensibiliores fiunt, viscera matris Ecclesiae tanto acrius miserando quatiuntur. Unde bene subjungitur: *contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte, 15,11.*

7177 *Contristatusque est Samuel*: quia de perditione subditi summus praedicator affligitur; et clamavit ad Dominum tota nocte, quia pro restitutione lapsi divinam misericordiam devotis precibus obsecrat. Clamavit doctor: [quid est] pro peccatis subditorum magnis desideriis omnipotentis Dei misericordiam postulare. Clamavit tota nocte: cum per affectum totam illius peccati caliginem suscipit, et

pro ea, quasi pro proprio crimine, Deo poenitens satisfacit. Clamavit tota nocte praedicator: [quod est] totam subditi causam suscipere, et omnem caliginem peccati illius devotae compunctionis affectu destruere conari.

Sed quid est quod clamasse dicitur, et Dominus non respondisse? Quia ea quam dixi cordis impoenitentis caligo, in illa pro qua clamat Saul culpa signatur. Responderet quidem Dominus, si vocem clamantis exaudiret.

7178 Costume della prima Sede.

1 Reg. 15,12: Cumque de nocte surrexisset Samuel ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli eo quod venisset Saul in Carmelum, et erexisset ibi fornicem triumphalem.

Nox: [est] peccatoris vita; mane dies, justi lux. Unde per Paulum conversis peccatoribus dicitur, *Eph. 5,8*: Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.

De nocte surrexit Samuel: [quod] praedicatori est ab alienae culpae susceptione affectum mentis erigere; quasi enim in nocte jacet doctor, quando alieni peccati tenebras luget; quia ab alta innocentiae suae puritate deponitur, ut in imo alienae considerationis, peccatorum caligo destruatur. De nocte ergo surgit, cum ab afflictione se erigit.

7179 *Ut iret ad Saul mane.* Mane ad reum venire disponit, quia occulte per compassionem plangit, et aperta increpatione per zelum percutit. Nocte etiam luget doctor, sed mane ad arguendum venit, quia intus peccantem subditum diligit, sed palam errantem arguere nequaquam erubescit. Quasi enim mane lucescit, cum doctor aperire crimen quod latet incipit.

Venisse Saul in Carmelum, et erexisse sibi fornicem triumphalem: quia profectus mali liquido praedicatur. Post inobedientiae quidem culpam erigere triumphalem fornicem, [scilicet] arcum vel fabricam, est mala agere, et de eorumdem malorum perpetratione superbire. Quasi enim triumphalia signa erigunt, quando cum quadam ostentatione ea proferunt, quibus aliis se extollere arbitrantur.

7180 Quod certe tam arrogantibus quam lubricis doctoribus convenit. Illi quidem dum magna dicunt, se in sublima aestimationis erigunt, et quales se intus aspiciunt, ad favorem propriae laudis trahunt, altum victoriae signum insigni titulo demonstrant. Nonnulli vero et cum turpiter vivunt et honestissime loquuntur, considerant verborum honestatem, non tamen reputant propriae vitae turpitudinem. Cum ergo non rebus operum, sed splendore verborum apparere gestiunt, triumphalem arcum fabricant, in quo quasi victores extollant.

7181 Et quia turpium verbo, turpes plerique resipiscunt, venire in Carmelum et erigere sibi fornicem triumphalem [eis est] de extincta in libidine inaniter coram simplicibus gloriari.

Carmelus [qui interpretatur] mollis, vel tener. Teneri [ergo sunt] in sancta

conversatione rudes; molles, qui adhuc per usum virtutis non sunt in inchoata bonitate solidati.

In Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem: In Carmelo victoriae signum erigunt, quia rudibus et debilibus se ostendunt, ne a peritis fortibus, quales in veritate sunt inveniantur. Hi enim non in verbis, sed in operibus fulgorem victoriae quaerunt, quia arbores non in decore foliorum judicant, sed in sapore pomorum probant. Unde et Dominus docens ait, *Matth. 7,20*: A fructibus eorum cognoscetis eos. Quia ergo laudari inaniter appetunt, quia probatissimorum virorum judicium fugiunt, et rudibus ac debilibus aliud quam sunt se esse mentiuntur, [dicit]:

7182 *Venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem, et reversus transisset, descendissetque in Galgala, 15,12*

Transisset... in Galgala: quia eo modo quo se simplicibus et religiosis ostendit, in religiosis et doctis innotescere appetit.

Galgala [interpretatur] rota. Quidam vero intra sanctam Ecclesiam, et eruditi in sacra Scriptura sunt, et religiosi non sunt, quia virtutem Scripturae, videlicet caritatem, non habent; qui dum loquentes facundos viros et carnales audiunt, verba quae sciunt admirantur, sed discutere non possunt eorum occulta quae nesciunt. Bene igitur [dicit]: Transisset Saul in Galgala: quia qui favorem de facunda locutione quaerunt, id quod capiunt non apud eruditos religiosos, sed apud simplices et rudes, aut apud irreligiosos sapientes inveniunt. Sed summi viri, cum reprobi bona docent, electis subditis magis timent, ne quos lingua aedificant, manun, idest operatione, pervertant.

7183 Costume dei reprobi.

Quia ergo diu in ministerio praedicationis lubrici doctores dimitttendi non sunt, apte illatum est: *venit ergo Samuel ad Saul, et Saul offerebat holocaustum Domino de initiis praedarum quae attulerat ex Amalec. 15,12*.

Venit... Samuel ad Saul; ut superbum deponat, quem humilem ad regni culmen extulerat; quem qualis erat invenit, non qualem se superbiae signis ostenderat.

Et Saul offerebat holocaustum Domino de initiis praedarum, quae attulerat ex Amalec: quia nonnulli et prave vivunt, et se placere Deo per aliorum profectum arbitrantur. Et quia non parum placere credunt Deo quod offerunt, non sacrificium aut victimam, sed:

Offerebat holocaustum; [et quidem] de initiis praedarum: ut in Samuele summi et electi antistitis vigilans studium designetur, a quo malorum principia velociter comprimuntur. Quasi dicat: Valde festinus occurrit, quo absente nec initium holocaustorum habere liberum potuit.

7184 Initium praedarum [sunt] electa etiam quaeque de praedis, quae aperto ore lubrici, sed occulta caecitate percussi offerunt, quando inde se placere Deo cre-

dunt, quod in auditoribus suis ea perimunt, quae in se vivere permittunt. Quasi enim indiscrete offerentem apertius reprehendes dicat: illud vivum offerebat, quod melius offerret extinctum. Nam si, juxta verba Domini, praedam omnem in Amalec extingueret, holocaustum omnino acceptabile omnipotenti Deo obtulisset. Sic nimirum et doctor lubricus, si cuncta blandimenta carnis quae loquendo reprobat volendo reprobaret, holocaustum combureret, quod reprobari non posset.

Offerebat holocaustum Domino de initiis praedarum quae attulerat ex Amalec: quia caeci cordis caligo damnatur, quod sic de eo reputat quod prodest aliis, ut videre negligat quod obest sibi. Quasi dicat: De illo quasi victor gaudebat victor in aliis, quod in se vivum et invictum portabat.

Costume della prima sede.

7185 MEDITAZIONE 66.

Preludio 1.

1 Reg. 15,13-19: Et cum venisset Samuel ad Saul dixit ei Saul: Benedictus tu a Domino: implevi verbum Domini.

v. 14: Dixitque Samuel: Et quae est haec vox gregum quae resonat in auribus meis, et armentorum quam ego audio?

v. 15: Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo: reliqua vero occidimus.

v. 16: Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, et indicabo tibi quae locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere.

v. 17: Et ait Samuel: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Jsrael factus es? Unxitque te Dominus in regem super Jsrael,

v. 18: Et misit te dominus in viam, et ait: Vade et interfice peccatores Amalec, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum.

v. 19: Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad praedam es, et fecisti malum in oculis Domini?

7186 Ora su questa lettera diciamo come, dopo essere [stata] la finale sentenza contra 'l superbo e lubrico prelato notificata alla prima Sede, viene per mezzo di questa intimata ancora allo stesso reprobo pastore. E prima viene prodotta e messa in chiaro la causa della sentenza, cioè il delitto.

1 Reg. 15,13: *Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Benedictus tu a Domino: implevi verbum Domini*: quia plerumque tam dementer insaniunt, ut etiam ipsis electis et summis praelatibus, praetextum virtutis offerre conentur.

7187 Verbum Domini fuit ut Amalec delere debuisset.

Implevi verbum Domini: quia culpa fornicationis quo foedior cernitur, eo a

reprobis studiosius occultatur. Quia ergo ii qui eidem fornicationis vitio subjecti sunt semper latere appetunt, in eorum typo et Amalec Saul demoliri dexpexit, et ad Samuelem dixit: Implevi verbum Domini. Quasi dicat: Et in aliis libidinem domui, et in meipso ejus blandimenta peremi. Et quia blanda adulatione summi viri flectere mentem nititur, praemisit dicens: Benedictus tu a Domino. Quasi dicat: Hoc quidem ego egi, sed agere non meis viribus, sed tuis meritis et intercessionibus potui.

7188 Sed perfecti viri audire laudes suas possunt, a vigore autem justitiae flecti nequeunt. *1 Reg. 15,14*: *Dixitque Samuel: Et quae est haec vox gregum quae resonat in auribus meis, et armentorum quam ego audio?*

Vox gregum et armentorum, fama turpitudinum est. Quando de minoribus luxuriae culpis quilibet diffamatur, vox gregum resonat; quando item de criminosioribus et obscaenioribus accusatur, vox armentorum. Quasi sub falsae virtutis quae simulatione reconditum denudet dicens: Tu te proprio ore justificas, sed immunditiarum tuarum turbae per omnium ora clamant.

7189 Sed jam qui excusationes praetendere coeperat, quibus defensionibus objectae infamiae crimen evadat, videamus. *1 Reg. 15,15*: *Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo: reliqua vero occidimus.*

De Amalec adduxerunt ea: et non dixit: adduximus; sed quando reprobi arguuntur, culpas aliquando negando tegunt, aliquando in alios transferunt. Tegunt quidem negando, cum latere possunt; sed dum quasi in aperto deprehensi tenentur, quod negare nequeunt, aliis adscribunt. Horum siquidem mores Saul insinuans, ait: De Amalec adduxerunt ea. Pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis. Quasi dicat: Malum quod auditur, ex populi fragilitate pensandum est, non ex virtute pastoris; peccata quidem subditorum in praelatorum comparatione despicienda sunt.

7190 De Amalec adduxerunt ea. Quasi dicat: Hoc quod de turpi vita resonat verum est, sed tamen eadem turpitudo in parvulis viguit, non in magnis. Adhuc item eamdem culpam levigans, ait: *pepercit populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo.* Quasi dicat: Vere peccavit populus, sed non ad mortem, quia peccata operis jam me exhortante delere nititur humilitate confessionis. Greges quippe Amalec et armenta Domino immolantur quando lubrici et incontinentes ad confessionem veniunt, et quod nequiter egerunt poenitendo delere satagunt.

7191 Dicit ergo: Pepercit populus; idest peccato indulsit; sed adduxerunt ea ut immolarentur, quia in quibus se cecidisse populus recolit, jam se confitendo et poenitendo compungit.

Melioribus ovibus et armentis: [quae sunt] electiora peccata luxuriae. Quasi di-

cat: Etsi graviter deliquit populus, arguendi non sumus, quia pro magnitudine criminis habet lamenta compunctionis.

Ut immolarentur Domino Deo tuo: sed fallacium per hoc consuetudo ostenditur, qui dum summis viris latere appetunt, adulantur.

De tuo: singulariter; quia eum familiarem Dei amicum ostendit.

7192 *Domino Deo tuo*: Non meo, sed tuo: quia ego peccator, tu singulariter sanctus es. Sed mirabili usu fraudis, fallaces sic se tegunt ut proferant, et justificant ut accusent. Accusationis quoque modum sic temperant, ut accusando justi appareant, ne excusando innotescant. Dum enim suum Deum dicit, illum quidem extollit, se minuit; sed dum adducta ab Amalec asserit quae Domino immolentur, tacite profert non unde reprehendi debeat, sed laudari. Et adhuc addens dicit: Reliqua vero occidimus.

7193 Occiduntur peccata quae dimittuntur. Viva quidem peccata sunt quae aut in mente adhuc per concupiscentiam regnant, aut quae per conversionem contempta, sed per poenitentiam adhuc non sunt deleta; illa quidem vivunt adhuc ad voluptatem, ista vivunt ad poenam, quia etsi jam peccare deseruimus, nisi commissa plangamus, commissorum obligatione retinemur. Sed majora minoribus, leviora majoribus tribuit.

Reliqua occidimus: quia sunt parvissima peccta majoribus, quae sola confessione lavantur; quae doctores occidunt, quando humiliter confitentibus, apostolica auctoritate dimittunt; his enim verbis omnibus, quia electorum praedicatorum auctoritate reprobentur, adjungitur:

7194 *1 Reg. 15,16*: *Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, et indicabo tibi quae locutus sit Dominus ad me nocte.*

Sine me et indicabo tibi: quia dum fallaces verbositati insistunt, examinantibus praelatis loquendi locum non tribuunt. Quasi dicat: Dum a verbositate non desinis, ea quae audire debes loqui me non permittis. Potest etiam hoc verbo adulatoris intentio derideri, qui dum blandimento laudis placere se credit, eos quos laudat se quasi tenere eisdem laudibus arbitratur. Tale est ergo, ac si laudatorem suum electus praesul honesta gravitate derideat, dicens: Qui me laudas, loqui tibi dura non possum.

7195 *Sine me*: [idest] permitte me loqui. Et indicabo tibi; [hoc est]: Et ea quae sum locuturus intellige. Et quia, ut dixi, placere se laudando adulatores credunt, audire ab eis dura quos laudant, nequaquam putant. Quasi ergo jam laeta et prospera auditurus, subsequitur Saul dicens:

Dixitque ei: Loquere. Sed electi viri cum laudes suas audiunt, inter fomenta laudis a rigore justitiae non mollescunt; nam qui reproborum acta despiciunt, excipere verba nequaquam possunt. Quia ergo flecti laudibus nequeunt, laudatores improbos et subtili ratione discutiunt, et districtis sententiis insequuntur. Unde segui-

tur:

7196 *1 Reg. 15,17-19*: *Et ait Samuel: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Jsrael factus es? Unxitque te Dominus in regem super Jsrael.*

v. 18: Et misit te Dominus in viam, et ait: Vade, et interfice peccatores Amalec, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum.

v. 19: Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad praedam es, et fecisti malum in oculis Domini?

His quippe verbis superbi regis inobedientia subtiliter examinatur, quia ei prius dona collata objicit, deinde audaciam transgressionis per ejusdem culpae exquisitionem ferit.

7197 Subtilis namque examinatio est, quando sic versatus quisque peccator discutitur, ut ei culpae excusatio nulla relinquatur, ut hunc ad mortem flagitii quasi vinctum Dei sententia teneat, cui peccati confugium nullum restat. Ut ergo omnis via fugiendi fallacibus superbis obstruatur, memorantur ei et sublimitas dignitatis, et modus ministerii, cum dicit: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Jsrael factus es? Et... Dominus... ait...: Interfice peccatores Amalec. Et ut circumdatum jam et obsessum ratiocinationibus capiat, manum culpae injicit, dicens: Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad praedam es, et fecisti malum in oculis Domini? Quasi dicat: Ecce quid eras, quid factus es; quid debuisti facere, ecce quid fecisti; ecce quando ab eo quod debuisti exercere recessisti.

7198 Dum ergo intulit dicens: Quare... fecisti malum in oculis Domini, quasi fallacem reum circumdando comprehendit. Sed notandum, quia dum rex superbus arguitur, electionis ejus tempora memorantur, ut tumor cordis sentiatur, non adfuisse eligendo, sed ex culmine crevisse praelato. A domino quidem bonus electus est, sed dum crevit, ex culmine decrevit elatione. Dicit ergo: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Jsrael factus es?... Sed versus ad praedam es, et fecisti malum in oculis domini. Quasi dicat: Per veritatem humilitatis regnum promeruisti, sed nunc praetextu humilis, veritate tumidus, regnum perdis.

7199 Oculi cordis [sunt] aspectus rationis; nam qui integros visus rationis habet, perfecte illuminatus est.

Parvulus... in oculis tuis: [talia est] qui se perfecte respicit, et humilem perfecta visione cognoscit.

His ergo verbis, lapsi regis non solum praeterita humilitas, sed etiam rationis acuitas commendatur; quia videlicet tantus erat ratione, ut se perfecte cognosceret; et tantus virtute, ut se subtiliter intuens, vere humilem videret.

7200 Quia igitur cum arguitur ejus praeterita memorantur, his quae habebat carere describitur; nam superbire nequeunt, nisi qui prius oculos cordis perdunt. De libidinosis vero valde clarius constat, quia in fornicationis barathro se nunquam obruerent, si a luce internae gloriae non antea caligarent. Qui quia alta pudicitiae

praecepta contemnunt, etiam tumoris arguuntur. Qui ergo deponere praepositum regem venerat, dicit: Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Jsrael factus es, et fecisti malum in oculis Domini. Quasi dicat: Superbus modo et caecus juste deponeris, qui prius videns et humilis regnum sortiri meruisti. Nam et superbi Pharisaei ab ipsa Veritate caeci nominantur, quae ad discipulos ait, *Matth. 25,14*: Sinite eos: caeci sunt et duces caecorum. Quae utique caecitas specialiter libidinosis adscribitur, quia nulla sunt vitia quae spissiores tenebras menti ingerant, quam libido.

7201 At nunc plerosque videas stetisse clericos, sacerdotes corruisse: quibus certe per Samuelis imperium dicitur: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Jsrael factus es? Quasi dicat: Cum in minori ordine illuminato corde pudicitiae praecepta servaveris, nunc, amissis oculis, in fornicationis barathrum corruisti.

Versus ad praedam es: quia divina praecepta violenta praesumptione rupisti: quia enim prohibente, et quasi minis armato et obstante Deo, ad violandum sacrarium castitatis irrumpunt, quasi per rapinam praedae, Amalec electa ad Domini terram ducunt. Et quia quantum possunt lubrici praedicatoribus absconduntur. [Sequitur]: *et fecisti malum in oculis Domini.* Quasi enim minans et terrens praedicator in carnis voluptate lapso dicat: Crimen immunditiae hominibus quidem absconditur, sed videnti omnia coelatur.

7202

MEDITAZIONE 67.

Preludio 1.

1 Reg. 15,20-23: *Et ait Saul ad Samuelem: Imo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalec, et Amalec interfeci.*

v. 21: Tulit autem de praeda populus oves et boves, primitias eorum quae caesa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis.

v. 22: Et ait Samuel: Numquod vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum.

v. 23: Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idolatriae nolle acquiescere.

Ora sopra di questa lettera edificato ecc. diciamo, come la causa già prodotta e posta in quistione od esame contra al reprobo pastore, viene finalmente messa in chiaro e in ultimo autenticamente definita dalla prima Sede.

7203 Costume de' superbi e inobedienti: Involgere, confondere, imbrogliare.

1 Reg. 15,20. Et ait Saul ad Samuelem: Imo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalec, et Amalec

interfeci. Haec quidem et his similia cum impoenitentes audiunt, teneri nequaquam possunt. Unde etsi jam ratiocinatione capti sunt, velut angues per lubricum dilabi a tenentis se manibus satagunt; caudam proferunt, caput abscondunt, quia videntur jam extrema operum, sed earumdem tegitur qualitas actionum. Quasi enim occulta tegens, aliorum discooperta proferens, se lubricus doctor de profectu praedicationis commendat, dicens: De subditorum culpa reprehendi non debeo, sed laudari, quam in delinquentibus praedicando delevi.

7204 Amalec interfeci: quia fornicationis spiritus in auditorum meorum cordibus linguae meae gladio corruit.

Et adduxi regem Amalec: Rex etsi vivit, adductus est, quia etsi sensus carnis quamdiu sumus in carne omnino perdi non potest, captus est ut capi potuit: quia praevalere rationi non potest. Ipsos subditos correptos, et peccata confitentes ostendere gestiens, subjungit: *1 Rex. 15,21*: *Tulit autem de praeda populus oves et boves, et primitias eorum quae caesa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis.*

Praeda [est] quando armatorum violentia, alicujus aliquid proprium tollitur; vitia autem carnis et animae, quia diabolo suggerente propagantur, ejus velut proprium sunt. Quisquis ergo in se nuper remissus, nunc autem violentus, vitia destruit, praedam facit, quia quae aliena sunt, violenter rapit.

7205 *Praeda... caesa*: Ut alia mortua relicta, alia viva delata esse doceatur. Caeduntur oblectamenta libidinis, quando virtute supernae intentionis depelluntur a corde, et contritione spiritus reciduntur a corpore. Sed viva ad immolandum deducuntur, quia et conversione peccatoris carnis aut mentis oblectamentum deseritur, poena praeteritae delectationis penitus non deletur. Caedantur ergo vitia; primitiae vivae ad immolandum nullatenus serventur, ut qui vim peccati in contemptum oblectationum potenter perimit, vivere sibi ad immolandum timeat poenam delectationis.

Primitias eorum quae caesa sunt: [scilicet] delectamenta peccaminum. Has offerre dicitur, qui coram Deo sacerdotibus confitetur.

7206 Immolat oblata quando poena poenitendo destruitur. Quasi enim in primitiis caesa offeruntur, et per posteriora vivunt, quando aliquis peccata confitetur, et immolare, hoc est coram Deo mactare, poenitendo non nititur.

Dum ergo caesorum primitiae reservari ad immolandum dicuntur, quorumdam error confunditur, qui peccata deserunt, nec tamen plangunt. Quia ergo non solum confitenda sunt peccata, sed etiam poenitentiae austeritate delenda, dum boni doctoris Saul typum simulat, subiectos suos caesorum primitias immolandas tulisse asseverat: Tulit autem de praeda populus... primitias eorum quae caesa sunt, ut immolet Domino Deo suo.

7207 Quia etiam ratione Scripturarum modus poenitentiae decernendus est, in

Galgalis primitiae immolandae deducuntur. [Item] oves et boves: non boves solum sed et oves ad immolandum servantur, ut qui circa salutem suam solliciti sunt, sic delere poenitendo magna studeant, ut minora plangere non omittant. De superbis autem manifestum est, quia cum semper magni videri appetant, notari peccatores erubescant. Deprehensi etiam resistunt, et in his etiam justi apparere cupiunt quae agunt.

Quid est ergo quod ait: Imo audivi vocem Domini? Samuel autem dicit: Sine me, et indicabo tibi quae locutus sit Dominus ad me nocte... Quare ergo versus ad praedam es, et fecisti malum in oculis Domini? Patet ergo quam mirabiliter tumeat, qui tunc se justificari appetit, quando Dominus se reprehendere de peccato recognoscit.

7208 Si vero idcirco sic respondisse creditur, quia verba prophetae, non Domini esse crediderit sed prophetae, videamus adhuc imitatores Saul, qui dum in propria eruditione confidunt, majorum jussa quae audiunt et per tumorem despiciunt, et meliorare permutando credunt.

Quid est ergo quod dicit: Immo audivi vocem Domini... et adduxi Agag regem Amalec? Quasi dicat: Et quod praeceptum fuit implere studui, et quod minus erat supplevi. Agendum fuit ut Amalec percuteretur, sed quia Deo auxiliante vincitur, supplendum erat, ut quae in ejus immolarentur sacrificio servarentur.

7209 Quod aperte in superbis apparet, quia cum apertas culpas celare non possunt, permutare aut minuere conantur. Quasi dicat: Et si judicas apertas culpas operis, attendenda est occulta simplicitas intentionis. Culpa quidem esset de Amalec aliquid afferre, nisi allata Deo deberent immolari.

Hoc quidem saepe in monasteriis accidit, cum quisquis nimis religiosus subditus, spiritualium praelatorum imperiis adjicere praesumit, cum regularem communem vitam despicit, et propriae sequitur arbitrium voluntatis. Dum enim meliorare vitam eligendo quam obediendo nititur, quid aliud quam apertam inobedientiam intentione virtutis colorare monstratur?

7210 Quem profecto locum, non solum subditi sed etiam praelati intueri subtiliter debent; quia ex eo Saul Deo displicuit quod Deo immolare praeter prophetae praeceptum tentavit. Subtiliter notent praelati, quia demoliendi Amalec propheta regi praeceptum dedit; sic enim debet doctor laudare communia ut singulorum propria non contemnat... Illa quidem communis vita laudatur quae caritate conjungitur, vitiis mediantibus non fuscatur. Apostoli quidem sententia est, *1 Cor.* 7,7: Quia unusquisque proprium donum habet a Domino: unus quidem sic, alius vero sic. Quorum ergo cibi et mensa communes sunt, debent attendere non solum commune bonum refectionis, sed proprietatem passionis, ut pariter comedant, sed contra fornicationis stimulos certare per abstinentiam paritas non contemnant. Ejus vero caro amplius domanda est, cui carnis stimulus magis infes-

tus est.

7211 Jam ergo non excitare communis est vita ubi communitas refectionis attenditur; sed contra singularem pugnam pugnare singulariter perhibetur. Nec doctor bene praecipit, si non praecipit unde Amalec percutitur, sed unde vivit. Praecipiat ergo doctor, sed ut fornicationis spiritus superetur; non obedire subjecti refugiant, sed ubi superbiae crimen incurritur, non unde barathrum mortis devitatur. Inobedientes autem dum tumenti corde majorum jussa non faciunt, cum meliorare quod eis injungitur conantur, sua opera Deo offerre dum cupiunt, semetipsos tollunt; nam per alias virtutes nostra ei impendimus, per obedientiam nosmetipsos exhibemus.

7212 Samuel ergo subjungens ait: *1 Reg. 15,22*: *Et ait Samuel: Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini?*

Holocausta et victimae [sunt] electorum hominum opera. Cum holocausta et victimas per legem offerri praecepisset, quid est [quod Samuel dicit]: Numquid vult Deus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? [Sensus est ergo]: Non vult holocausta et victimas; potius vult obedientiam: quia quae praeter obedientiam fiunt, holocausta et victimae non sunt. Quasi dicat: Tunc bona [sunt] opera, quando a praepositorum conscientia non discordant.

7213 Si vero hoc ideo dicitur ut obedientia commendetur, liquet quam sublime bonum sit quod victimis et sacrificiis excellit.

Potius [est ergo] ut obediatur voci Domini; quia omnia bona opera postponenda sunt, his bonis quae jubentur. Nam cum bene praelati jubent, bona quae ex arbitrio subjecti eligunt, praelatorum imperiis postponuntur.

Holocausta et victimae: Ipsa vero opera istis postposita, holocusta et victimae nominantur, ut non solum sentiantur non esse conferenda majorum, imperiis minorum parva, sed maxima.

7214 Holocausta, eorum sunt qui se omnino subtrahere volunt a publico opere, ut Deo se totos per amorem combustos offerant in secreto contemplationis; victimae, eorum qui se a communi publico nequaquam separant, sed singulari virtute agunt, ut virtutes aliorum districtius vivendo transcendant. Haec quidem et hujusmodi, cum bonorum rectorum permissione aguntur, victimae et holocausta sunt quae Deus probat: cum vero sic fiunt ut per ea majorum praecepta negligantur, audiant qui offerunt quid a Domino missus ad inobedientem regem propheta loquitur: Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Quasi jussa patrum velut minora despicientes, et sua quasi majora exhibentes, terreat dicens: Hoc, quia magnum agere putatis, parvum et abjectum despicitis; sed si aperte cernitis, per hoc domino non placetis.

7215 Bene autem dum superborum opus discutitur, propheta acute exquirit dicens: Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur

voci Domini? Exquirit siquidem ut superbiae tumor pastorali auctoritate feriatur.

Numquid vult Dominus holocausta et victimas? Quia qui sequi propriam voluntatem eligunt, Deo placere se putant; sed Deus eorum opera, cum magna et ingentia sunt, nequaquam probat. Sed jam quibus laudibus obedientia praedicanda sit subjunxit, [dicens]: Melior est enim obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum. Quia enim superius ait: Numquid vult Dominus holocausta et victimas, numquid utrumque obedientiae laudibus subjiciens, dum victimas et arietum adipem posuit, in adipe holocaustum intellexit?

7216 Quidquid melius est, bono utique melius est; illa autem holocausta et victimae quas non vult Deus, bona minime sunt. Quid est ergo quod in obedientiae laudibus ponitur: Melior est obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum? Quia tunc obedientia melior est, cum holocaustum et victima mala non est. Quasi ergo superbientes inobedientesque ad tanti boni considerationem reducat, dicens: Etsi nil a vobis per praeseumptionem fieret, obedientiae virtus operibus quae eligitis melior esset. Liquet ergo quo sita sit culmine, quam divinis oblationibus propheta vidit altiorem.

7217 Quod si, ut supra, spiritualem sensum sequimur, victimae ad magnae conversationis austeritatem, holocausta ad compunctionem vitae secretioris referenda sunt.

Melior est enim obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum: quia longe altioris meriti est propriam voluntatem alienae semper voluntati subjicere, quam magnis jejuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrario mactare.

Adipe arietum: [hic est] pinguis et interna devotio electoris.

Offerre adipem arietum: [offert] qui in studio secretae conversationis devotae orationis affectum habet; sed melior est obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quia qui perfecte voluntatem praeceptoris sui implere didicit, in coelesti regno et abstinentibus et flentibus excellit.

7218 Hoc certe, quia contra superbientem atque aperte Domini mandata contemnentem dicit, non confert bonum quod fecit bono quod contempsit, sed boni simulationem destruit, melioris boni ostensa veritate. Quasi dicat: Etsi pro excellentiori virtutum gloria excellens bonum quaerebas, bonum obedientiae quod excellentibus etiam excellit, eligere potius debuisti. Sic profecto loquens, simulationem boni argumentando destruit, sed subjungendo parens inobedientiae malum aperte confundit.

7219 *1 Reg. 15,23*: *Quoniam quasi peccatum hariolandi est repugnare, et quasi scelus idolatriae nolle acquiescere.*

Harìoli, divina cognoscere atque absconsa divinare nitebantur; idololatrae autem, figmentis sevenerandi subdidere. Repugnantes, praelatorum imperiis

repugnant, quia divinam voluntatem se scire melius aestimant. Quasi peccatum ariolandi est repugnare, quia velut contempto divino altari, ad aras daemonum responsa percipiunt, dum cordis sui praestigiosis ac superbis adinventionibus credunt, et salubribus praelatorum consiliis contraria sentientibus refragantur.

7220 Et quasi scelus idolatriae nolle acquiescere: quia nimirum in inobedientiae suae obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde, quasi idolum non gestaret. Dum enim agenda in corde concipit, quasi idolum facit; et dum conceptum mentis propositum se acturum deliberat, quasi ad adorandum simulacrum se inclinat. Quasi scelus idololatriae nolle acquiescere, quia quisquis in propria deliberatione obstinatus est, idcirco foris in majorum contemptum erigitur, quia intus eis quae fingendo statuit propositi sui simulacris, incurvatur.

7221 Peccatum ariolandi [est] repugnare: scelus idololatriae, nolle acquiescere.

Scelus, nonnisi magnum peccatum [dicitur]; peccatum, etiam quod leve. Harioli [dicuntur] ab ara; et quod responsa percipere consulendo consueverant, idololatriae peccatum in ejus comparatione scelus erat.

Scelus idololatriae, quia dementius erat lapides adorare, quam sub specie divinorum falsa bene vivendi responsa percipere.

Quasi peccatum ariolandi [est] repugnare, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere: Repugnare est ab imperantis voluntate dissidere. Plerique autem ad horam repugnare videntur, dum statim praepositorum imperia non recipiunt; qui tamen eisdem imperiis post modicum acquiescunt. Nolle acquiescere [est] injunctae obedientiae repugnare, [et] in ejusdem repugnationis obstinatione persistere. Non enim acquiescunt qui in cordis sui proposito invincibiles sunt, et quae decernunt agere, nullius auctoritate praetermittunt. Merito igitur in comparatione repugnandi, "scelus" nolle acquiescere dicitur, quod majus valde atque horribilius peccatori esse videatur.

La prima Sede dilucida, definisce, dichiara la colpa, anche fra le tenebre avvolta dalla superba eloquenza ed astuzia.

7222 MEDITAZIONE 68.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 15,23-26:.. Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex.

v. 24: Dixitque Saul ad Samuelem: Peccavi, quia praevaricatus sum sermonem Domini et verba tua, timens populum et obediens voci eorum.

v. 25: Sed nunc, porta quaeso peccatum meum, et revertere mecum ut adorem Dominum.

v. 26: Et ait Samuel ad Saul: Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus, ne sis rex super Jsrael.

Ora sopra etc. diciamo, come proposta e definita la causa, seguita a dar la sentenza.

7223 Pro eo ergo quod abjecisti sermonen Domini, abjecit te Dominus ne sis rex.

Abjecit te Dominus: [Abjicitur] quia incorrigibilis judicatur. Quasi dicat: Quia cuncta salutis consilia respuis, pro culpa pervicaciae non debes verbis ulterius corrigi, sed abjectus poena damnari. Quantum itaque timeri debeat inobedientiae culpa ostenditur, si hoc attente consideretur, quia propter hanc etiam reges deponuntur.

Quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus. Abjicitur sermo, quando in sui sublimitate venerabiliter non servatur.

Abjicere = projicere [est] de manu aliquando labi in terram aut negligenter sinere, aut violenter jactare. Sermo Domini, quia salubria loquitur, coelestis aut sublimis est. Abjicitur sermo Domini in terram negligenter, quando per desidiam non impletur; per contemptum [projicitur] quando hunc superbi et inobedientes, tumenti corde repellunt, et manu operationis observare dedignantur. Abjicere, non projicere sermonem Domini reprehenditur, quia dum superbi proprium arbitrium sequuntur, a Domino longe fiunt.

7224 Abjicere est aliquid longe repellere. Qui enim aliorum ducatum digne suscipiunt, non solum per obedientiam Deo vicini sunt, sed etiam illos ei vicinos faciunt qui per vitia et scelera longe sunt. Quasi dicat: Longe ab ordine dignitatis expelleris, quia dignitatis ejusdem merito praesens esse noluisti. Meritum quippe dignitatis est observatio [verbi] divini, quod cum abjicitur, quia meritum dignitatis amittitur, ipsa quoque dignitas amovetur.

Libet ergo intueri quanto per inobedientiam superbis pereant, humiles quanta lucrentur: Illi dum implere propriae voluntatis arbitrium gaudent, Deo magnos operum labores exhibent, et laborum praemia nulla habent: isti dum se deserunt, dum alienae voluntatis arbitrium sequuntur, aeternae sublimitatis gloriam promerentur. Unde et per beatissimam Mariam, Domini nostri Redemptoris genitricem, dicitur, *Luc. 1,52*: Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles. Deposuit potentes de sede (cum inobedientes superbos abjicit) et exaltavit humiles, quia aeterna gloria obedientes glorificat.

7225 Superbos autem verba non corrigunt; sed tantum dum amittere honorem trepidant, humilitatem quam non habent simulant, ne gloriae culmen perdant.

1 Reg. 15,24: Dixitque Saul ad Samuelem: Peccavi, quia praevaricatus sum sermonem Domini et verba tua. Saul a propheta vocem Domini non audisse, et malum in oculis ejus fecisse reprehenditur, et se peccasse, minime fatetur; sed cum se abjici de regno conspicit, se peccasse et praevaricasse Domini sermonem et ejus verba fatetur; quia superbi ad contemnenda verba humilium audaces sunt, sed electorum more honores quos ambiunt, contemnere non possunt. Audaces quidem sunt, ut majorum contemnant imperia: sed parati non sunt, ut alta relinquant.

7226 E contra humiles ad majorum imperia prompti sunt et ad alta perdenda securi. Quia enim non terrena sed coelestia appetunt, terrenae sublimitatis alta despiciunt, laborare pro coelestibus conantur, subdi libenter volunt, praeferri refugiunt.

Saul ergo obedire Deo refugiens, perdere regnum timens, superborum mores nobis insinuat; qui cum praevalent videri parvi aut peccatores vitant, cum coguntur humilitatis virtutem simulant. Sed cum compulsi confitentur, peccatum quod accusant loquendo minuunt; quia etsi peccasse sermonem Domini praevaricando perhibuit, eadem praevaricationem dispensatione potius cum voluntate se incurrisse memoratur, dicens: Timens populum, et obediens voci eorum. Quasi dicat: Peccatum quod fecisse repehendor, tanto leviori poena feriri debet, quanto commissum non constat per malitiam, sed per infirmitatem. Studio autem et voluntate peccare magna praevaricatio est: infirmitate vero peccare, tanto tolerabilius est, quanto is qui peccato subjacet, ejusdem peccati viribus impar est.

7227 Et quia eadem cordis sui versutia se praevalere simplicium doctorum humilitati aestimant, quasi jam suasim subjungit: *1 Reg. 15,25*: *Sed nunc porta, quaeso, peccatum meum, et revertere mecum ut adorem Dominum.*

Portantur peccata corrigibilia; quia postquam a delinquentis voluntate discedunt, purgari satisfactione salubriter possunt. Non autem portantur peccata eorum in quorum mentibus per impoenitentiam inviscerata sunt.

1 Jo. 5,16: Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis. Peccatum ad mortem [illud est] quod ab eo committitur qui resipiscere nunquam potest. Quod nimirum peccatum a praepositis non portatur, quia sacerdotum orationibus aut oblationibus non deletur.

7228 Saul autem, per omnia superbos obstinatosque designans, et tumere non cessat, et peccatum suum portari obsecrat; importabile onus congerit, et quasi leve portari petit.

Hoc quidem toties in Ecclesia agitur, quioties hi qui magna scelera libenter committunt, eorum magnitudinem non attendunt; importabilia congregant, et haec levia atque nullius esse ponderis pensant; peccata sua suis praepositis abscondunt, et ut vix inveniri possint et argui, quantum possunt eadem peccata levigant, ne qui eis praesint eorum granditudinem attendant. Ad peccandum etiam fortes sunt, ad

flenda peccata debiles. Volunt quidem peccati delectationibus resolvi, sed poenitentiae nolunt acerbitate purgari.

7229 Porta peccatum: quia et peccatorum dulcedinem in se ipsis excipiunt, sed onerare praelatos onere eorumdem peccatorum volunt. Quidam etiam sponte ad confitendum veniunt, sed pro quibus se accusant non ipsi lugent, sed poenitere alios obsecrant; fide sola salvati aestimant, per poenitentiam revertere abjecti non curant. Unde et Saul subdit:

Et revertere mecum, ut adorem Dominum. Quasi enim recedens est praedicator cum impudentes abjicit. Dicit ergo: Revertere mecum ut adorem Dominum. Cum eo tantum a communione electorum non dividi putat, quod fidem communem servat; vel certe Dominum adorare, est subdi religioni fidei, et custodiae bonae operationis.

7230 Quia vero fictos hypocritas Saul insinuat, sequitur: *1 Reg. 15,26: Et ait Samuel ad Saul: Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus, ne sis rex super Jsrael.*

Propheta portare peccatum poenitentis regis renuit, quia hunc non vere poenitentem vidit; cui ea quae prius abjectionis verba respondit, quia eum immutandum minime cognovit. Qua nimirum prophetae constantia, quidam nimis clementes hujus temporis sacerdotes arguuntur, qui conversatione infirmi sunt, temeritate fortes; sese vix sustinent, et portanda suscipere aliorum onera audent; levia sua non ferunt, et importabilibus se subjiciunt.

7231 Ecce fortis propheta refugit suscipere onus regalis peccati, ut sacerdos Ecclesiae timeat, et peccatorum importabilium pondera subire pertimescat; plerumque autem sic aliena peccata suscipiat, ut tamen ea quae expianda suscipit, flere eum a quo sint commissa, permittat.

Unde et Samuel portare peccatum regis minime promisit, et tamen eum quem retulit abjectum planxit; nam de eo post pauca, scriptum est: *1 Reg. 15,35*: *Lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum poenitebat quod constituisset eum regem super Jsrael.*

Non quidem promisit ei portare peccatum regis, ut rex illud flere studeret; sed tamen quem retulerat flebat, ut Dominum ei propitium faceret.

7232 Ad litteram vero, dum sententiam propheta ingeminat, irrevocabilem divinae aequitatis sententiam monstrat, quia sic peccator projicitur, ut redire ad divinae misericordiae manum numquam permittatur.

Potest et aliter intelligi, quod reverti secum prophetam ut adoret Dominum rogat; nam sancti viri qui Dominum peccando non deserunt, ad eum necesse non habent ut poenitendo revertantur; reverti enim abeuntis est, quod nimirum peccatoribus per peccatum a Domino recedentibus convenit, justis permanentibus non convenit. Reverti cum peccante Saul, justus Samuel petitur, quia electi

praedicatores pro lapsis subditis velut poenitentes affliguntur, et quasi recedentes veniunt, dum lapsos subditos paterna afflictione comitantur.

7233 Cum eis ergo revertuntur, cum peccata subditorum et ipsi subditi qui peccaverunt, et praelati qui steterunt pariter plangunt. Quasi dicat: Jam te paternis visceribus adhaerere per increpationem praedicationis mihi agnovi, quem nec longius peccare reliquisti; quia ergo te objurgante resipui, mecum redire te rogo, quia propriis viribus ad tantae pravitatis magnitudinem delendam nequaquam sufficio. Sed tanti affectus praeces recipiendae essent, si ex cordis veritate procederent: apte ergo hypocritae responsum est: *non revertar tecum.* Quasi dicat: Pro te sacrificare Deo nescio, quem veritate humilitatis Deo subditum non attendo; et quae priora ingeminans ait: *quia projecisti sermonem domini, projecit te Dominus, ne sis rex super Jsrael.*

7234 MEDITAZIONE 69.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 15,27: Et conversus est Samuel ut abiret. Ille autem apprehendit summitatem pallii ejus, quae et scissa est.

v. 28: Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Jsrael a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te.

v. 29: Porro triumphator in Jsrael non parcet, et poenitudine non flectetur: neque enim homo est, ut agat poenitentiam.

v. 30: At ille ait: Peccavi: sed nunc honora me coram senioribus populi mei et coram Jsrael, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum.

Ora su questa lettera, seguita a vedere la dichiarazione della sentenza già data.

7235 *1 Reg. 15,27*: *Et conversus est Samuel ut abiret, quia versuti et abjicendi et deserendi sunt.* In qua profecto majorum decessione, magis hypocritae amissionem temporalis honoris timent, quam aeternae haereditatis; unde et quiescere etiam derelicti non possunt, sed ea quae agere per se non audent, impetrare aliis intervenientibus student. Bene ergo subjungitur: *ille autem apprehendit summitatem pallii ejus, quae et scissa est, Ibi.*

Pallii ejus: Vestimenta doctoris [sunt]: docere sibi adhaerentium subditorum qualitates: de quibus profecto vestibus magno pastori per prophetam repromittitur, *Isai 49,18*: Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos, quasi sponsa. *Ps. 92,1*: Dominus regnavit, decorem indutus

est: indutus est Dominus fortitudinem. Indutus est decorem qui ad seipsum splendidas fidelium mentes quasi vestimenta conjunxit.

7236 *Ille... apprehendit... pallium ejus*: cum superbus et abjectus, honorem culminis sibi deferri a summis viris, per cohaerentes sibi dilectos et familiares quaerit. Et quia pro reprobo perfectorum nullus obsecrat, non pallium, sed apprehendit summitatem pallii, quae et scissa est; quia qui inutilia suggerit, reprobatur. Cum enim minor indiscreta rogans repellitur, veluti vestimenti summitas scindi perhibetur. Velut enim pars pallii summi prophetae scissa est, quando male suggerenti Petro respondit, Matth. *16,13*: Vade post me, satana: scandalum es mihi, quia non sapis ea quae Dei sunt, sed ea quae sunt hominum. *Matth. 5,30*: Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te. *Item*, v. 29: Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te.

7237 Quibus nimirum verbis non solum summitas pallii, sed etiam media abscindenda designantur, quia cum male suggerunt, perfecti etiam auditores contemnendi sunt. Hinc namque est quod Matth. *20,20 sqq*: Zebedaei filii simul cum matre unus ad dexteram, alter vero ad sinistram Redemptoris sedere petunt, sed quasi bonae petitionis ignari repelluntur. Velut enim partem clamydis Dominus scidit, cum ea membra quae movebant scandalum, increpando confutavit.

Summitas pallii scissa est: Et notandum quia non totum pallium, sed pars pallii scinditur, quia dum bonus mala suggerit, in eo quod male suggerit, repelli debet, et in eo quod aliter bonus est, ex dilectione retineri.

7238 Pallium ejus: [seu] vestimentum rectoris, [est ejus] conversatio. *Ps. 131,9*: Sacerdotes tui induantur justitiam.

Apprehendit summitatem pallii: quando doctor de magna sanctitate laudatur, cum illud in ejus laudem dicitur, quod decorum foris ostendit.

Sed quia justorum plura sunt bona quae latent, pallii tantum summitas apprehendi potest, quia parum est quod de electi doctoris justitia cernitur, multum vero quod occultatur. Ipsum vero parum quod scitur, cum apprehenditur scinditur, quia justi suis laudibus non tenentur; quia enim eas in momento contemnunt, quasi scissura pallii teneri nequeunt. Tenetur quidem pars scissa vestimenti: propheta non tenetur; quia verum est quod de justi laude dicitur, et tamen justi dum contemnunt quod audiunt, quasi scissuram in tenentis manibus relinquunt.

7239 Majorum ergo quia quaedam sciri possunt, quasi pars apprehenditur; cum vero totum scitur a parvulis quod agetur, si laudatur nihilominus abjiciendum est, quia aliquid bonorum operum per vanitatem tenendum non est. Hinc namque est, *Matth. 24* quod dum Joannes adhuc adolescens comprehensum jam Dominum sequitur, et per pallium tenetur; et relicto pallio nudus fugisse describitur. Per vestimentum namque adolescens capitur, quando de bonae conversationis initio collaudatur; sed relicta sindone nudus profugit, qui laudes quas audit vilipendit. Nudum

namque fugere, est laudabilem vitam habere, sed electae vitae laudem despicere; quasi enim nudus fugit qui de ornatu virtutum sibi per vanam gloriam nihil adscribit.

7240 Potest etiam idcirco nudus fugisse intelligi, quia qui per partes sindonis captus asseritur, reliquisse sindonem perhibetur, quia plerumque in electorum conscientia agitur, ut per hoc quod ex parte laudantur, non pars meritorum, sed omne bonae vitae meritum perdidisse suspicentur. Samuelis ergo pallium scindit, quia laudes suas electi doctores vilipendunt; et quia laudibus non flectuntur, severitatem prioris sententiae replicat dicens: *1 Reg. 15,28: Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Jsrael a te hodie.* Perfecti etenim viri, quia a rigore justitiae nulla laude mollescunt, tales ante, quales post laudis suae testimonium sunt; et quae prius dixerant eadem post repetendo confirmant.

7241 Sed quaerendum est quid [significet]: Hodie. Si enim reproborum vita nox est, quid est quod in die Saul regnum scinditur? Sed si nox est vita pastoris reprobi, cum ejus regnum scinditur diem facit; et die non fit, nisi cum nox recedit. Dicit ergo: hodie, quia caligo inobedientis damnari perhibetur. Unde et exeunte Juda, Dominus dicit, *Jo. 13,31*: Nunc clarificatus est Filius hominis; quia noctem vitae illius discedere vidit, et puram lucem justitiae in aliis discipulis permanere. Hodie etiam, quia amoto superbo, regi humili regnum tradebatur; unde et subditur: Et tradidit illud proximo tuo, meliori te. Cum ergo dies dicitur, non abjecti regis lucidum aliquid cernitur, sed substituti gloria praedicatur, qui de regni culmine magnae virtutis debebat splendore radiare.

7242 Et divinae sententiae incommutabilitatem asserens subdit: *1 Reg. 15,29*: *Porro triumphator in Jsrael non parcet, et poenitudine non flectetur.*

Triumphator [est] Conditor humani generis. Nam occultos adversarios quicumque superat, ejus virtute vincit qui ei gratiam superandae tentationis impendit. Triumphator non parcet: Hoc dicitur cum Samuel rogatur; quia cum praedicatores peccantibus subditis irascuntur, cum superbos aut lubricos divina sententia feriunt, non impetu furoris sui, sed divinae voluntatis judicium exequuntur. Quasi dicat: Ego quidem non meam, sed illius sententiam protuli, qui quod decernendo profert, revocari non potest.

7243 Non parcet, et poenitudine non flectetur: Sed eis qui nec a peccatis suis desinere, nec peccatorum possunt, quae diligunt, poenitere; et causam subjicens ait: *neque enim homo est ut agat poenitentiam, 15,29*.

Quasi dicat: Et iterum esse ei est, cui mutabilitas nulla est.

Triumphator: [Hoc nomine] etiam substituti regis perfectio [designatur], qui et multorum triumphorum gloriam habiturus erat, et contra voluntatem Conditoris, parcere alicui non auderet. *Infra* 27,9: Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat viventem virum et mulierem.

7244 De eo etiam dicitur: Neque enim homo est, ut agat poenitentiam, *15,29.*

Homo: [sive] carnalibus passionibus subditus. Quasi adhuc superbum mordeat, dicens: Te modo peccatorum poenitet, cum audaciae tuae sententiam percipis; sed ille poenitentiam non aget, qui ut homo et inobedientiae et tumori non subjacet. Et ille adhuc in ore suo contitetur dicens: *1 Reg. 15,30: At ille ait*: Peccavi. Ipsius autem confessionis qualitatem ostendit, quia subjunxit dicens: Sed nunc honora me coram majoribus populi mei et coram Jsrael, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tecum.

7245 Sed nunc honora me: Liquet quam poenitudinem gerat, qui adhuc honorari desiderat; nam si sui peccati hunc veraciter poeniteret, inhonorari potius quam honorari concupivisset. Admirari igitur libet projecti cordis duritiam. Ut vir Dei mandatum Conditoris exequens dicit: Projecit te Dominus ne sis rex, et contra vero qui abjectionis sententiam suscipit, per appetitum elationis honores quaerit.

Peccati: Confessionem peccati non honor aut gloria, sed vilitas et contemptus sequi debet: qui enim prodest confiteri flagitia si confessionis vocem non sequitur afflictio poenitentiae?

7246 Tria quippe in unoquoque consideranda sunt veraciter poenitente: videlicet conversio mentis, confessio oris, et vindicta peccati. Nam qui corde non convertitur, quid prodest ei si peccata confiteatur? Peccatum quod diligitur confitendo minime deletur. Nonnulli sunt qui peccata confitendo aperiunt, sed non convertendo nequaquam detestantur. Hi profecto confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde et salubriter confiteri volentibus, Scriptura insinuat, *Rom. 10,10*: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Corde creditur ad justitiam: [quod est] voluntatem dirigere ad fidem, per dilectionem operantem. Cum ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit, per initium bonae voluntatis fructum habet bonae conversationis. Hic certe jam ad salutem confitetur, quia plus loquendo de vulnere ejicit, quam conversione compunxit.

7247 Tertia vero species, idest vindicta, quasi medicina necessaria est ut apostema reatus quod conversione compungitur, confitendo purgetur, afflictionisque medicina sanetur.

Ergo qui corde ad justitiam non credit, confessionem ad salutem nequaquam facit, quia velut malae arboris folia ostendit, cujus altas radices figit in corde. Signum ergo verae confessionis non est in oris confessione, sed in afflictione poenitentiae. Tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur.

7248 Unde Joannes Baptista male conversos Judaeos ad se confluentes increpat, *Matth. 3,7 sq*: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignos fructus poenitentiae. In fructu ergo, non in foliis aut ramis,

poenitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est; confessionis verba folia; non ergo nobis folia propter seipsa sed propter fructum expetenda sunt, quia idcirco omnis confessio peccatorum recipitur, ut fructus poenitentiae subsequuntur. Unde et Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem, maledixit, quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis. Saul ergo qui confitetur et honorari vult, non affligi et humiliari eos designat qui confessionem sterilem habent et fructum non habent qui decorem confessionis verbis humilibus proferunt, sed verborum virorem non humilitate poenitentiae subsequuntur.

7249 Sed quid antiquos attendimus, cum nunc tantam lapsorum regum multitudinem videamus? Catervatim namque nunc in flagitia corruunt, non solum subjecti debiles, sed etiam praelati et sacerdotes negligentes; lubrica peccando agunt, qui ordine ministerii sacramentis coelestibus deputati sunt. Sed plerique illorum, dum quodammodo ad cor redeunt, se errasse confitentur. Qui tamen sic volunt contra se peccata proferre, ut velint adhuc de officio sacri ordinis honorari; turpes in secreto se proferunt, sed foris praeter ordinis celsitudinem videri humiles erubescunt.

7250 Quid ergo isti nisi abjectos se vident, et tamen velle honorari audent? Saepe autem non a seipsis veniunt, sed inviti capiuntur; abjectionis suae mandata percipiunt, et tamen rogant ut honorentur; volunt quippe immunda agere, sed audent sacris altaribus inhaerere. Ecce quot Saules attendimus, quot reges lapsos a sanctae Ecclesiae culmine contemplamur. Quorum profecto singulis dicendum est: Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex: ut ministerium coeleste non agant, quos terrena flagitia inquinare non cessant. Sed hoc profecto dicere possumus: lubricis tamen ministris suadere non possumus. Nam Saul et abjectum se audivit, et regnavit; quia immundi sacerdotes se sacerdotali culmine dejectos per luxuriae inquinamenta cognoscunt, et tamen contra Dei voluntatem sacra mysteria tractare non desinunt.

7251 Sed rex contra Domini voluntatem regnans, non est rex, sed tyrannus fuit; quia sacerdos indignus, qui merito suae inquinationis abjicitur, cum ministrare praesumit, ad tantae gloriae culmen damnandus ascendit. Unde et tyrannos terrere volens coeli ille magnus senator, *1 Cor. 11,27*, [ait]: Itaque, quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. *v. 29*: Qui... manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.

Plerumque autem instanti confessione agitur, ut confitentibus de cordis etiam conversione credatur.

7252

MEDITAZIONE 70.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 15,31-35: *Reversus ergo Samuel, secutus est Saulem: et adoravit Saul Dominum. v. 32: Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus et tremens. Et dixit Agag: Siccine separas amara mors?*

v. 33: Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis murieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.

v. 34: Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa.

v. 35: Et non vidit Samuel ultra Saul, usque ad diem mortis suae. Verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum poenitebat quod constituisset eum regem super Jsrael.

7253 Ora su questa lettera edificato ecc. è da vedere l'esecuzione della sentenza già pronunziata e dichiarata.

Dispensare ad tempus, cioè non propter ipsum pastorem, sed propter aliud, nempe bonum plebis. Condotta di discrezione prudentissima. Aliquando reproborum falsam humilittem electi praedicatores accipiunt, ut exemplo eorum alii ad salutem perducantur. Duo quippe hypocritis agnoscunt: unum intus, alterum foris; intus quidem purum malum, foris bonum simulatum. Utrumque detestantur; sed saepe praetextum boni in eis simulant, ut qui bonum foris cernunt, malum interius nesciunt, boni quod aspiciunt exempla sequantur. Bene ergo subjunctum est:

7254 *1 Reg. 15,31*: *Reversus ergo Samuel securus est Saulem, et adoravit Saul Dominum.* Per malum quippe quod interius latebat audire meruit: Pojecit te Dominus ne sis rex; sed ut praetextu boni ad ejusdem boni veritatem alios traheret, Samuel Saul sequi voluit, et eum adorare Dominum vidit. Quandoque etiam mala regum et terrae magnorum toleranda sunt, ne exasperati ad pejora dilabantur. Deos quippe gentium filii Jsrael saepe coluerunt; unde et de conversis a Samuele superius dictum est, *1 Reg. 7,14*: Abstulerunt ergo filii Jsrael Balim et Astaroth. Et fortasse si abjectus rex secum ad adorandum Dominum revertentem prophetam non cerneret, daemonum simulacra adoraret.

7255 Et projecit ergo eum, et cum eo revertitur, quia in potentibus hujus saeculi sic est damnanda iniquitas, ut bonum quo cernitur, alii devotius imitantur. Mala certe potentum saeculi magna eis mala sunt, sed bona quae proferunt ad exemplum fidelium magis quam bona aliorum prosunt. Bene ergo Samuel cum abjecto rege revertitur, quia electi praedicatores saeculi potentes et pro iniquitate percutiunt, et pro exemplo bona agere quaedam sinunt. Unde et sequitur:

7256 Proveggono al bene di que' popoli: Sollicitudo omnium ecclesiarum, *2 Cor. 11,28.* Non hanno in vista il bene dell'ipocrita, ma dei popoli dell'ipocrita

prelato.

1 Reg. 15,32: Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus et tremens.

Reges Dominum adorant quando superbi et contemptores se ad Domini mandata facienda humiliant; adorant lubrici, quando Deo subjiciuntur per abstinentiam castitatis. Aliquando autem adorare se simulant, quia nonnulli praetextum humilitatis aut castitatis habent, sed dum habere in veritate bonum creduntur, alii per bonum quod credunt, mali operis usum perdunt.

7257 *Et oblatus est ei Agag*: Agag regem Samueli tradunt, quia sensualitatis suae vigorem confitendo proferunt. Quando enim confitentur peccata luxuriae quae per vigorem carnis commiserunt, Amalec regem interficiendum prophetis offerunt. Sed sensualitatis vigor, in aliis pinguis, in aliis macer est.

Oblatus est... pinguissimus: quia a subditis regis reprobi ducebantur; nam saepe negligentes sunt subditi, sed dum electi sui pastoris exempla conspiciunt, inter mala quae faciunt ingemiscunt; per fragilitatem carnis ad immunditias cadunt, sed percussi exemplis majorum, omnino gaudere inter immunditiae oblectamenta non possunt.

7258 Agag [igiturt] pinguissimus [est] in illis de quibus dicitur, *Prov. 2,14*: Laetantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis. Subjecti namque lascivi doctoris, tanto audacius peccant, quanto majorum suorum nulla coram posita habent exempla quae videant; sed valde dementius se praecipitant, cum in pastoribus suis bonum quod sequantur non vident. In his quippe Agag pinguescit, quia gaudenter, secure et libere vigor carnis in luxuriae voluptate distenditur, qui usu illecebrae, nulla re obviante, fraudatur. Pinguissimus ergo interficiendus offertur, quando illi convertuntur qui in voluptate luxuriae valde laetati sunt; quasi enim traditur rex, quando is qui menti imperabat carnalis sensus, Christi sacerdotibus per confessionem revelatur.

7259 Nutrire etiam ignem pinguedo solet. Bene ergo Amalechitae regi adscribitur, quia dum mentem fornicationis spiritus obtinet, quo dulcius ac saepius illic per turpes cogitationes pascitur, ad augendum ignem concupiscentiae uberiora sibi fomenta tribuuntur.

Et tremens: quia carnalis sensus, quando spiritualibus viris per confessionem traditur, infirmatur; signum ergo dat tremens, quia membrorum robur non habet. Dum ergo infirmari vigor sensualitatis incipit, rex Amalechitarum tremit. Tremens vel [est], quia vigorem poenitentiae plerique, dum converti incipiunt, expavescunt.

7260 Et quia carnales quique relinquere oblectamenta carnis solita, sine moerore non possunt, [sequitur]: *et dixit Agag: Siccine separas amara mors? 1 Reg. 15,32.*

Hoc quippe dicere, carnali sensui est mentem pro amissione voluptatis solitae,

tristitiae conversione pulsare. Quia enim magna amaritudinis tela nuper conversi patiuntur, quasi rex cui servierant, de morte queritur, quia in eis carnalitas sine magna tribulatione minime necatur.

Siccine? Interrogare ergo de separatione mortis, carnali sensui est tristem adhuc conversi mentem, de praeteritae delectationis amissione pulsare; sed et modus separationis exquiritur, cum dicit: Siccine? Quasi enim visis austeritatibus quibus subdenda est, dicat menti sensualitas sua: Laeta pro tam tristibus spernis? Hanc certe vocem Samuel audit, quia tentatum cor subditi quibusdam indiciis electus praedicator agnoscit.

7261 Sed quid prodest agnoscere, si contra id quod intus in corde subjecti infremit, aliquid ipse non dicit? Sequitur ergo: *1 Reg. 15,33*: *Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.*

Mater tua: [est] carnalis sensus, [sive] originalis culpa. Quia enim ante peccatum primi hominis nulla membris libido inerat, rex Amalechita non erat. Erat quippe sensus carnis, sed turpis ac libidinosus non erat; sed statim ut ad culpam cecidit, pruritum membrorum sensit, quia obedientem motum carnis habere non potuit quando ipse Deo inobediens fuit. Culpa ergo originalis mater contumeliosi sensus carnis recte intelligitur, quia ex illa nascendo prodit, qui esse ab illa coepit. Unde et Apostolus, quasi severissimi tyranni legem carnalis sensus exhorrens, non solum ipsum regem sed matrem ostendit. Rom. 7,20: Nunc autem jam non ergo operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Peccatum namque quod se non operari perhibuit, motum carnis intellexit; peccatum autem in se inhabitans, originalem culpam.

7262 Quia ergo ex originali culpa fit peccatum motionis carnis, dum regem carnalem sensum attendimus, matrem ejus esse primam culpam recte nominamus. Liberi autem hujus matris sunt omnes concupiscentiae peccata [et] vitia.

Absque liberis fit mater, quando omnis a carne, omnis a mente jam culpa remanere videtur. Absque liberis erit, quia etsi a carne nulla jam turpitudo est, si nulla jam regnat concupiscentia in mente, manens tamen in nobis illa culpa, nunc doctoris virtute perdi non potest. *Rom. 7,20:* Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. ex illa quidem culpa, quam ex vitiosae naturae nostrae radice contrahimus, habemus ut corrumpi passionibus valeamus.

7263 Lex ergo inordinata membrorum, quando praeter voluntatem nostram membra movet, nos non hoc operamur, sed quod inhabitat in nos peccatum. Velle quidem nobis tunc adjacet, sed adhuc posse non invenimus, *Rom. 7,18 sq;* siquidem vellemus ut, nobis invitis, aliquid in nobis moveri non posset. Et hi fortasse pessimae matris conceptus, quibus culpa illa impregnatur, si in turpes actus et obscaenos sinuntur effundi, quasi nasci perhibentur. Filii ergo [sunt]

motus qui motus qui non solum naturaliter intus sunt, sed qui in turpibus et obscaenis operibus manifestantur.

7264 *Absque liberis erit mater tua*: [mater scilicet] Agag, quando originalis culpa sic restringitur, ut nullos actus aut motus edere permittatur; vel fortasse sine liberis fit, quia liberos habuit. Quando ergo peccatores conversi, esse turpes tam actu quam gestibus luxuriae desinunt, quasi mater habitans in eis culpa filiis orbatur. Et notandum quia sine filiis fieri dicitur mater per comparationem: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.

Mulieres: Virtutes mentis, ex quibus bona opera procedunt, matres sunt.

Gladius tuus [scilicet] Agag, [est] luxuriae telum.

Fecit absque liberis mulieres gladius tuum: quia cuncta bona opera libido interficit.

7265 Vel mulieres [sunt] fidelium mentes; liberi: sanctarum mentium bonae cogitationes, virtutes et bona opera. Fecit absque liberis mulieres gladius tuus, quia delectatio luxuriae, si evaginari quasi gladius sinitur, ab eis nimirum omnes bonae cogitationes, omnes virtutes et bona opera necantur. Acuta quippe pestis hujus delectationis, si a mente recipitur, dum libet attentius immundum cernere, mundum et sanctum cogitare nihil potest et dum ardenter ad nefarii operis expletionem pertrahit, virtutis aliquid agere nihil permittit. Et quia per ejus combustionem omnia pereunt, non solum Agag filii, sed omnes mulierum filii trucidantur.

7266 Fecit absque liberis mulieres, quia delectatio luxuriae ad instar gladii, dum fructus mentium percutit, virtutis cogitationes, aut operis bonum, vivere nequaquam sinit. Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua: cum sic peccator convertitur, ut praeter culpam nobis insitam naturalem, nihil conversis de obscaenis operibus aut motibus remanere videatur. Unde et apte subjungitur: *et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis, 15,33.*

7267 In frusta concidit eum: [In frusta conciditur cum] per parvas particulas mortuus secatur. Agag quippe interficitur, quando carnis vigor abstinentiis, vigiliis ac spiritualibus meditationibus sic eliditur, ut nihil libidinosum movere sentiatur. Interfici quippe ejus, est carnem turpiter movere non posse; sed interfecti cadaver integrum est, quando ejus motus remanet. Libido non remanet quando solo pondere mentem gravat; cum videlicet membris simplex ac naturalis insidet motus carnis, sed libidinosi nihil habet ardoris. Hoc ipsum autem, quia electorum mentes graviter tolerant, quasi regis mortui integrum cadaver portant.

7268 In frusta [vero] conciditur, quia nec ipsi naturali motui relinquere vigorem volunt. In frusta concidit, quia quoties pulsat necatur. Dum ergo vices motuum convenire non sinuntur, quasi cadaver Agag in frusta conciditur. Vel fortasse talis

est Agag iste, ut nisi concisus in frusta, mori non possit. Ut enim superius dixi, more ignis libido succenditur; et si negligenter extinguitur, adjacens stipula velociter inflammatur. Magnus quoque ignis dispersus saepe extingui melius potest; nam cum in unum multi carbones conveniunt, ingentem massam prunarum faciunt. Ne ergo extinguens comburantur, prunarum massa ante sapienter dispergitur, ut per singulorum carbonum frusta, velociter extinguatur.

7269 Cogitationes luxuriae [et] libidinosi corporis motus, [sunt] carbones ignis; qui nimirum si in corde aut in carne conveniunt, comburere cito possunt, extingui facile nunquam possunt. Dispergatur ergo ignis, in frusta concidatur Agag, et custodiatur mens ut immundas cogitationes dispergat, ne unam alteri adhaerere permittat. Quia enim agere non potest ut innoxia nunquam cogitet, agat quid potest ut statim cogitationem ejiciat, quae negligenter ad mentem intrat. Sic nimirum quasi ignem maximum in carbones singulos et velociter dividit, et celeriter extinguit, si omnes flammas cogitationum sic separat, ut conjungi in mente neque per negligentiam, neque per desiderium sinat.

7270 Sic nimirum et motus corporis vigorem mentis reprimit, cum ad invicem convenire minime permittat. Motus quippe illecebrosus carnis si per cogitationem minime pascitur, convenire cum altero non videtur. Glutinum quippe illecebrosorum motuum, immunda cogitatio est; quia qui libenter immunda videt, statim carnem ad amata concupiscenda violenter movet. Quo libentius ac morosius cogitat, quasi carbones carbonibus turpes turpioribus motus ligat. Teneat ergo fortem custodiam animi, qui potenter vult dispergere motus carnis; intus quippe ante Agag dividitur, ut foris pariter in frusta dividatur, quia qui cogitationes malas convenire non patitur, ei nimirum turpes motus carnis quasi in frusta dividuntur.

7271 Sic nimirum Agag pinguissimus occiditur, si in frusta dividitur, quia sensum carnis cum immundis motibus, cum in corpore tum in anima, tunc potenter extinguimus, si ad ejus singulas insidias singulari intentione vigilemus. Unde et sapiens ille diligenter admonet, *Prov. 4,23*: Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit, ex neglecto autem mors exit. Vita procedit cum cor servatur; quia dum immunditia omnis repellitur, ad virtutes conversorum spiritus animatur.

Et in frusta concidit eum Samuel: quando per doctorum consilium singulae immunditiarum particulae, et in corpore auditorum, et in mente perimuntur.

7272 *Coram Domino in Galgalis*: quia illi minutias illecebrosarum cogitationum et turpium motuum dividere potenter possunt, qui et de omnipotente Deo et de sacris Scripturis cogitare sapienter sciunt. Sed, ut dixi, simulata bona malorum saepe doctores non pro ipsis, sed pro aliis sustinent, quia quod simulate agunt, non simulatoribus, sed videntibus prodest. Saepe quidem electi simulata bona malorum vident; sed quia corda nesciunt, bonum quod fulgere videtur exterius, imitantur. Saul Samuelem ut secum ad adorandum Dominum reverteretur

rogavit, sed ille reversus Agag in frusta concidit, qui electi doctores per opera quae reprobi faciunt, electos ad bene vivendi studia convertunt.

7273 Abbandona al tutto il reprobo alla impenitenza.

Sed quia idipsum dispensative, idest propter aliud faciunt, cum dispensationis necessitas transit, ipsos reprobos quos quasi ad bona opera sequuntur, ad reprobi cordis impoenitudinem lapsos deserunt. *1 Reg. 15,34*: *Abiit autem Samuel in Ramatha, Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa. v. 35: Et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suae.*

Domum suam, [seu] Saulis transgressoris: [Haec est] consuetudo pravi operis; quisquis enim in perversa consuetudine clauditur, quasi in domo conversatur.

Saul vero ascendit in domum suam: quando reprobus quisque post increpationem doctorum, ad mali operis usum redit. Quasi enim ad plana descendit, quando humilitatem simulat, ut praesulum mandata cognoscat.

7274 *Abiit autem Samuel... Saul vero ascendit in domum suam*.

Prius Samuel abiit; sed, ut dixi, cum necessitas aliorum non est, manere cum versuto electus praedicator non potest. Et quia in absentia doctoris simulator proficit, Saul in domum non abit, sed ascendit. [Ascendere] reprobis [est] de malo ad pejus proficere. Cum item descendere superbus dicitur, ascendere perhibetur: Ascendit in domum suam; [quo] superbo est superbiendo usque ad mensuram qua damnandus est se extollere.

Domus superbi [est] nequitiae suae mensura; dum enim per prospera saeculi agere tyrannidem, turbare terram, premere bonos, innocentes affligere permittuntur, quid aliud quam ascendere superbi videntur? Sed quia praefinitum est a Deo quantum noceant, quantum saeviant, quantum per tyrannidem se extollant, usque ad domum suam ascendere permittuntur.

7275 Domus eorum mensura nequitiae est, in qua semper erunt; quia ubi ad plena flagitia venerint, rapiuntur per mortem et per aeterna tormenta puniuntur. Quasi enim in domo manet qui a conversationis suae poenis egredi nunquam potest; quod non solum de superbis, sed et de luxuriosis, et omnibus reprobis convenienter intelligi potest. In ascensu quippe et non in domo adhuc erant, de quibus dicitur, *Gen. 15,16*: Necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum, usque ad praesens tempus. *1 Thess. 2,16*: Ut impleant peccata sua. Ergo ad domum ascendunt, quando profectu mali ad opera nequiora proficiunt, pro quibus aeterna tormenta sustinebunt.

7276 *Abiit autem Samuel in Ramatha, 15,34*: A reprobis quippe divisi Doctores non eunt, sed abeunt: Abiit. Vadunt quippe, quando corrigendos deserunt, quia quos velut irati dimittunt, ab eis posmodum bona emendatione invitati redeunt. Abiit doctor: [quod est] impoenitentes impios perpetua animadversione deserere. Sic enim peccata ad mortem per impoenitudinem operantes deserunt, ut ad eos

redire ulterius non cogantur: Et non vidit Samuel ultra Saul, usque ad diem mortis suae. Et quia hoc esse agendum in summae veritatis contemplatione percipiunt, [sequitur]:

Abiit Samuel in Ramatha: [quae interpretatur] consummata visio, [sive] internae veritatis ratio perfecta.

7277 Ne ergo praedicatorum districtio nimia esse carnalibus judicetur, cum ab Ecclesiae communione reprobos in perpetuum separant, audiant quia postquam Samuel in Ramatha venit, Saul ultra non vidit; quia illum doctor aeternaliter dividit, quem pertinere ad electorum numerum non cognoscit. Sed hoc fiducialiter creditur, si in forma Samuelis praedicatorum sanctae Ecclesiae caritatis affectus districtius videatur. Districtionis quippe zelus ostenditur, quia non vidisse Saul usque ad diem mortis suae memoratur.

7278 De affectu vero caritatis subditur: *Verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Deum poenitebat quod constituisset eum regem super Jsrael, 15,35.*

Lugebat Samuel Saulem, quem cernere dedignatur, quia et cum zelo rectitudinis sancti doctores habent affectum magnae caritatis; ipsa autem magnitudo caritatis ostenditur, quia projectum regem plangere perhibetur. Quo ergo affectu electorum subditorum peccata plangunt, qui pro projectis reprobis plangere tam affectuose didicerunt? Instantia namque luctus ostenditur, quia subjunctum est.

7279

MEDITAZIONE 71.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 16,1-3: *Dixitque Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet super Jsrael? Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Jsai Bethlemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem.*

v. 2: Et ait Samuel: Quomodo vadam? Audiet enim Saul, et interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices: Ad immolandum Domino veni.

v. 3: Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi quid facias, et unges quemcumque monstravero tibi.

7280 Ora su questa lettera, edificato ecc. diciamo come dopo aver noi

conosciuto nella persona di Saul la conversazione d'un reprobo pastore, affine di sfuggirla con diligenza: Declina a malo, *Ps. 36,27*, seguita a conoscere nella persona di David anche la conversazione d'un buon pastore, affine d'imitarla: et fac bona, *ibi*. Rimarcheremo l'elezione di questo pastore, li principj della sua conversazione, il progresso, l'esito ossia il fine. Circa l'elezione è da riflettere come venga da prima notificata alla prima Sede, e primo in genere, cioè avendo ella lumi assai chiari circa le qualità necessarie in un prelato, secondo in individuo.

7281 *1 Reg. 16,1*: *Dixitque Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet super Jsrael?*

Usquequo tu luges[?]: Instantia luctus declaratur. Magnus ergo est affectus sanctorum, etiam cum austeritatem vindictae exterius proferunt; nam foris saeviunt, sed intus per amorem liquescunt; more matrum parvulos verberant, sed affectu gemunt cum parvulis quos castigant. Usquequo tu luges Saul? An potest mater filium morientem cernere, et per scissionem viscerum nequaquam flere? Mortuum sine luctu tolerat quae moritur, sed infirmatur.

7282 *Usquequo tu luges Saul?* Quia perdidi nimis lugendi non sunt; nam saepe doctor de perditione subditi vehementer affligitur, sed respectu summae justitiae consolatur. *Dixitque Dominus ad Samuelem: Usquequo etc. Hoc* dicere Dei ad prophetam, [est] praedicatoris mentem per internum solatium ab afflictione relevare. Et quia lapsis praelatis electi per divinam misericordiam subrogantur, [sequitur]: *Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Jsai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem, 16,1.*

Quasi enim lugentem consolans ait: Cur projecti persona plangitur, cum melior subrogatur? Unde et Saul non provisus, David autem provisus ostenditur. Quantus ergo et qualis fuerit, citata consideratione pensetur, qui judicio et electione Dei omnipotentis decernitur!

7283 Providi [dicit] Deus, [et] mittam te: Deus providet: propheta ad ungendum mittitur, quia sanctae Ecclesiae spirituales mores describuntur, quae constituere nulla cernitur, nisi quae praeeligere et praeordinare Deum contemplatur.

Veni, ut mittam te ad Jsai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem. Quasi dicat: A te nihil praesumas, sed illum quem praevidi, ordinando subsequeris. Unde infra, *v. 3*: Unges quemcumque monstravero tibi; quia prophetae esse debent qui in culmine Ecclesiae alios volunt ordinare; praevisum namque a Deo cognoscere possunt, si ad inveniendam personam eligendi pontificis sacrae consulunt Scripturas. Quasi enim loquente Deo ostenditur, cum talis pastor eligitur, qualis per sacrum eloquium commendatur.

7284 Ad litteram vero: Veni, Dominus dicit Samueli, ut a reprobi et abjecti regis compassione revocetur; si vero luctu assiduo lapsi restitutionem poscebat, et ei venire fuit a tali intentione quiescere.

Imple cornu tuum oleo: quia pastoralem sublimitatem in ungendo rege, laudis nitore temperavit. Cornu quippe aspero Saul impetiit, quia peccantem velut magno impetu prostravit: superius *15,23*: Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus ne sis rex. Imple cornu tuum oleo, quia ungendi regis justitia commendatur. Quasi dicat: Rex qui modo ungitur, non erit increpatione feriendus, sed mirae laudis favore praedicandus: non eget impeti, sed foveri.

7285 Mittam te ad Isai Bethlehemitem: ut rex qui eligitur permansurus esse doceretur. Per patriarcham quippe Jacob, longe ante regni mansuri status ostenditur, *Gen. 49,10*: Non deficiet sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. In filiis ergo Isai rex praevisus asseritur, ut rex qui ungi praecipitur, non ut Saul recessurus, sed durabilis doceatur.

Haec autem ad litteram tetigimus; nunc sub litterae narratione prelatorum nostrorum electionem videamus. *Imple cornu tuum oleo*: quia talis in sancta Ecclesia pastor eligendus est, qui non argui velut transgressor debeat, sed ad exemplum aliorum miris laudibus commendari.

7286 *Cornu*, telum animalius est; auctoritas autem et increpatio summi antistitis, tela [sunt]. Cornu quippe feriunt, quando peccatores acute redarguere.

Impletur cornu oleo, quando praedicatoris sublimitas non habet asperitatem minarum, sed blandimenta favorum; vel quando electo pastori simul datur et sublimatus culminis, et virtus unctionis: quando et sublimis gradus ascenditur, sed qui ad alta sustollitur, meritorum ubertate repletur.

Imple: Cornu ergo pleno sacerdotes unguntur, qui ad summum gradum perveniunt cum plenitudine gratiarum.

7287 Quia vero oleo ignis accenditur oleum doctoris amor est cordis, in quo ignis accenditur; quia in pinguedine oris virtus et gratia ardet Spiritus Sancti. Quia ergo pinguedinem magnae caritatis habere doctor debet, rex qui ungi praecipitur, pleno cornu ungi perhibetur.

Imple: Plenitudo [dicitur] cornu [pro] perseverantia gratiarum; nam qui ante finem deficiunt, ungi cornu plenitudine non merentur.

7288 Adhuc quoque dicendum de cornu hujus plenitudine.

Imple, idcirco praecipitur, quia magna unctione indiget qui de sua plenitudine replere alios debet. Unde et Moyses, tam plenus extitisse dicitur, ut de spiritu ejus Dominus tulisse et aliis dedisse doceatur. Vel cornu impletur cum pontificalis sublimitas ad perfectiora docenda praeparatur; quando enim Ecclesiae principes ordinantur, eis quae agere debeant semiplena praedicanda non sunt. Cornu ergo pontifices implent, quando plenas atque perfectas virtutes proferunt, quas electi Ecclesiae principes imitentur; quia vero ipsi qui ungunt esse spiritales debent, cornu jubentur implere.

7289 Cornu de carne est, sed clausum in carne non est; cornu [est ergo] spiri-

tualis conversatio doctoris. Cornu [autem] oleum effundit, cum ille alta praedicat, qui haec alta conversatione demonstrat.

Imple cornu tuum oleo: [quod est] praedicationem magnarum virtutum in alta conversatione suscipere; et in capite effundit, quando in mente illius imprimit, qui ad summum ordinem novus venit. Quando ergo electi promoventur, pleno cornu unguntur, quia ad altitudinem ordinis proficiunt virtute perfectionis.

7290 *1 Reg. 16,1*: *Ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem, quia ille pastor eligitur, qui ecclesiastica religione eruditus est.*

Bethlehem, [sive] domus panis, unaquaeque domus religionis intelligitur; panis [vero] doctrina perfectionis. *1 Cor. 3,2*: Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed necdum potestis. Si enim lac parvulorum est, panis non est nisi perfectorum; unde et de perfecti viri robore dictum est, *Isai. 25,12*: In excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ei datus est. In domo ergo panis rex ad ungendum quaeritur, quia utiliter promoventur qui in perfectae conversationis ordine nutriuntur; ille enim facere fortes alios potest, qui remissa et negligenti conversatione nutritus non est. In domo quaeritur panis, quia in promovendo antistite quaerendum est robur conversationis; de congregatione quidem debili, fere nunquam accipitur persona virtutis.

7291 Unde bene [sequitur]: Providi enim mihi in filiis Isai; [Isai autem interpretatur] salus Domuini, vel salus absolute; praelatus [enim salus est]. Peccata et vitia [sunt] languores animarum; electus [autem] praedicator, per integritatem sanae doctrinae, per soliditatem innocentiae, per splendorem electae vitae, salus Domini [recte nominatur].

Alii quidem sunt doctores quorum sermo serpit sicut cancer; de horum quippe familia rex non assumitur, quia aegras mentes ad salutem non ducit, sed interficit.

7292 Notandum [est quod] Isai alio nomine [dicitur] Jesse; duplex nomen habet, quia bonus doctor non semper in pace est. In pacis tempore salus Domini dicitur, ut bellorum munera quasi intra domus secura vestibula sanare doceatur. In bello autem [dicitur] Jesse, quia et seipsum fortiter munit et alios valenter protegit. Jesse [quippe interpretatur] insulae levamen. Insulae, mentes tentationum fluctibus vallatae intelliguntur, quia etsi magnos conflictus sustinent, non moventur; unde et electorum victoriam Psalmista praedicat, *Ps. 96,8*: Dominus regnavit, exultet terra, laetentur insulae multae. Dominus regnat, quando ejus sedem, electas videlicet mentes, turbo hostium nullus inquietat; exultat terra, quia solida corda doctorum gratulantur; laetantur insulae, quia cum ejus gratia tentamenta superant, majorum auditores hilarescunt.

7293 Terra [est] mens fortis et firma lingua doctoris. Insula [est] cor forte subjecti, quod adhuc tentamentis impetitur, nec tamen movetur. Insulae levamen [sive Jesse, dicitur electus praedicator] quia per robur doctorum minorum corda suble-

vantur; nam inter tot fluctus tentamentorum corruerent, si non majorum robore ad altae vitae desiderium eorum corda levarentur. In Isai ergo et Jesse filiis rex latere describitur, quia illi utiliter ad Ecclesiae culmen veniunt, qui electorum magisterio et pacem custodire, et disponere sive conficere spiritualia bella didicere.

Providi enim in filiis Isai mihi regem: In his, non in aliis rex providetur, quia ad culmen Ecclesiae per divinam gratiam nulli perveniunt, qui electorum magisterium per omnes temporum ordines non sequuntur.

7294 *1 Reg. 16,2*: *Et ait Samuel: Quomodo vadam? audiet enim Saul, et interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices: Ad immolandum Domino veni.*

v. 3: Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi quid facias.

Tyrannorum versutia atque saevitia, quandoque est pia fraude eludenda. Praecepto namque Domini de armento vitulus tollitur, immolatio simulatur, et ad regiam unctionem pervenitur; quia dum nocere tyranni cupiunt, objicenda sunt eis quaedam quae credant, ut nocendi aditum non inveniant.

7295 Sic deludendi sunt, ut caveatur culpa mendacii; quod tunc bene perficitur, cum illud fit quod asseritur, sed quod fit sic dicitur ut celetur, quia ex parte dicitur, et ex parte reticetur. Prophetae namque Samueli praecipitur ut ad ungendum regem vadat, et se immolaturum Domino, non regem uncturum asserat; ut immolans verum dicat, et unctionem celans tyranni saevitiam, vera dicens, deludat. Quia enim immolaturus abiit, paulo post manifesta exponit. *v. 5*: *Sanctificavit ergo Isai et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium.*

Sed jam melius agitur, si quid spiritualiter designent ista videamus.

7296 Vitulum de armento tolles in manu tua, et sic ad ungendum regem pervenit.

Vitulus [est] splendor imaginis Redemptoris; quia enim eum quem eligit conformem facere Redemptori studet, quando formam ipsam Redemptoris praedicat, quasi vitulum in manu portat; et quia splendorem dominicae conversationis quem praedicat, in virtute operis monstrat, vitulum quem de armento suscipit, per manum ducit. Vitulum [namque] tollere in manu [est] praedicationem dominicae conversationis servare in virtute operis. Sic nimirum vadens non occiditur; aliter occideretur, quia qui dicit et non facit, oris proprii gladio condemnatur.

7297 *Et dices: Ad immolandum Domino veni, 16,2*. Quid est item quia facit quod dicit, dum venit et immolat? Quia tantae debet esse efficaciae qui alios promovet, ut bona non solum dicat, sed persuadeat. Immolationis quidem victima, quae in prophetae manu videtur, in altari cognoscitur. Altare [est] cor electi auditoris; quando enim bona doctor loquitur ore et ostendit opere, vitulus in manu est:

quando autem et quod dicit et agit auditoribus persuadet, victima in altari est. Tunc ergo immolat, quando electa corda per amorem suscipiunt, hoc quod in verbo et exemplo doctoris radiat de imitatione Redemptoris.

7298 *1 Reg. 16,3*: *Et vocabis Isai ad victimam.* Fortasse quod praeter praelatorum conscientiam subditi promovendi non sunt. Isai prius ad victimam vocatur ut bonum quod subire subjectus cernitur, in magistri sui mente fundetur. Bene subjungitur, *ibi: Et ostendam tibi quid facias*. Idipsum quoque exprimens, ait *ibi: Et unges quemcumque monstravero tibi*. Nisi enim Isai prius vocetur, ei quae facienda sunt non pandentur, qui sine magistri voluntate aliquid de subjecti persona faciendum non est. Illo ergo vocato, quod est faciendum ostenditur, quia cum voluntate religiosi doctoris subjecti humilitas ad arcem sustollitur praelationis.

7299 *Unges quem monstravero tibi*: quia electi pastoris aequales discipuli omnes non sunt. Sunt namque ex illis alii utile ad obediendum, alii et humiliter obediunt, et jubere discrete didicerunt. Unges quem monstravero tibi: ut cum ad culmen sacerdotii persona quaeritur, cum magna subtilitate requiratur. Quibus nimirum verbis, ordinatoribus ecclesiarum in electione aliorum nihil suum relinquitur. Unges quem monstravero tibi: Qui sunt qui ungunt quos non monstrat Deus, nisi qui carnali affectu ad ecclesiarum culmen ordinatos ducunt, qui non merita discernunt, sed personas accipiunt? Isti quidem reges ungunt, sed non qui a Deo monstrantur. Quod suum est faciunt, quod Dei est tollunt. Dei quidem personam monstrare est: ordinatoris praebere unctionem; dum ergo ipsi sibi monstrant quos ungant, habere Deum cooperatorem nolunt.

7300 Unde et per prophetam Oseam, de talibus electis Dominus queritur, *Os. 8,4*: Ipsi regnaverunt, et non ex me: principes extiterunt, et ego ignoravi. Dicitur ergo electis, quod audire non possunt reprobi: Unges quemcumque monstravero tibi: ut nullus promoveatur, nisi qui dignus tanto ordine Scripturarum sanctarum laude decernitur. In eis quidem Dominus loquitur; ibi qualis et quantus esse debeat magister Ecclesiae memoratur. Ille ergo monstratus a Domino eligitur, qui per sacrum eloquium commendatur.

7301 MEDITAZIONE 72.

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 16,4-9: *Fecit ergo Samuel sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis occurentes ei, dixeruntque: Pacificus est ingressus tuus?*

v. 5: Et ait: Pacificus, ad immolandum Domino veni. Sanctificamini et venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergo Isai et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium.

v. 6 Cumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait: Num coram Domino est Christus ejus?

v. 7: Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturae ejus, quoniam abjeci eum; nec juxta intuitum hominis ego judico, homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.

v. 8: Et vocavit Isai Aminadab, et adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus.

v. 9: Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hunc non eletig Dominus.

v. 10: Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele, et ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis.

7302 Ora su questa lettera è da vedere come la elezione divina del buon pastore, dopo essere stata notificata alla prima Sede in genere, lo venga ancora in individuo, venendo a lei comunicato lume abbondante, primo per discernere tra molti il più degno, secondo, per accertare l'eletto da Dio.

Oggi vedremo la grazia di discrezione.

1 Reg. 16,4: Fecit ergo Samuel sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis occurrentes ei.

Haec, [scilicet] electionem divinam, mali rectores contemnunt, boni faciunt. De bonorum ergo obedientia recte subjunctum est: [Fecit ergo Samuel] etc.

7303 Ad historiam, admirati sunt seniores, quia illuc venire Propheta non erat solitus; quo in loco fortasse signatur quia electi doctores vix aliquando videri in publico debent; esse frequentes in secreto, negotiis civilibus vacui, spiritualibus pleni. Miraculum ergo fit populi, in publico visa persona pastoris; mirantur quod exeat, quem secreti cultorem sciebant. Qui, quia in magna populi veneratione sustollitur, [dicit]: Admirati sunt seniores civitatis, occurrentes ei. Seniores, non populus; perfecta doctorum virtus ostenditur quae non a parvulis et simplicibus, sed a magnis et eruditis praedicatur.

7304 *Dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus? 16,4.* Quasi ergo ingressum non pacificum minabatur qui dicebat, *1 Cor. 4,21*: Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?

Pacificusne est ingressus tuus? Quia electi fideles, dum bene spiritualium doctorum acta considerant, in eis utique divinam voluntatem pensant. Quia enim esse Samuelem prophetam sciebant, utique quia divinae dispensationis secreta cognoverat; dum ergo de pacifico ingressu interrogant, divini consilii nosse volunt secretum. Utinam et nos quoties sanctos viros cernimus, inquirere de pacis nostrae

securitate studeremus, et diligenter ab eis scire quales a Deo cernamur, qui cognitionis nostrae oculos non habemus.

7305 Pacificus ingressus doctorum est cum ad eos veniunt qui non sunt pro culpa feriendi, sed pro justitia praedicandi; qui ergo promotum justum venerat, respondit: *1 Reg. 16,5. Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni.*

Sanctificamini et venite mecum ut immolem.

Cum doctoribus ut immolent vadunt qui intentionem ad superna dirigunt; et coram euntibus propheta immolat, quando id doctor quod verbo pronunciat, in assistentium cordibus per amorem ligat.

7306 Sed ut historiam paululum attendamus, vigilanter est discutiendum. Sanctificamini et venite mecum: Si enim interesse sacrificiis non audent nisi sanctificati, quid de sacrificantibus censendum? Sacntificamini [dicit, quod] purgari est. Quanto ergo duros decet esse pontifices, ubi invitatae ad sacrificium nonnisi sanctificatae admittendae sunt plebes? Sanctificatio corporis [est] pudicitia mentis, caritas et humilitas. Sanctificetur ergo ad sacrificium invitatus, sed magis ille cogitur a quo invitatur.

7307 Notent sacerdotes quae invitatis dicant: Venite mecum. Secum quippe sanctificati veniunt, si cum mundis plebibus, ad Dei obsequia mundi sacerdotes accedunt; secum quippe ire est mundos cum mundis accedere. Nam si mundae sunt plebes, non sacerdotes, secum non veniunt, quia aequali puritatis ordine non accedunt. Audiant hujusmodi, quid alter propheta admoneat, *Isai. 52,11*: Mundamini qui fertis vasa Domini. *1,16*: Lavamini, mundi estote.

Quia ergo mundandae sunt plebes, [dicit]: Sanctificamini; quia item summi viri in continuo munditiae suae statu semper debent permanere, et ad formam suae puritatis alios trahere, subdit: Et venite mecum.

7308 Sed seniores ad victimam invitantur, quia ad eligendum antistatem, sive ad ungendum et consecrandum, plures sapientes atque religiosi viri vocandi sunt. Qui nimirum sanctificantur et veniunt, si proponunt ut in electione illa carnale aliquid non sequantur; sanctificare [quidem] eis est ad praebenda dona Sancti Spiritus spiritualem et sanctam intentionem adducere. Bene autem in typo electorum et de Isai et ejus filiis dicitur: Sanctificavit ergo Isai et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium, *16,5.*

Et quia per sacra eloquia Dominus eligendos antistites monstrare docuimus, jam quales monstret qualesque reprobet, subsequenter loquentibus sacrae hujus historiae mysteriis, videamus.

7309 *1 Reg. 16,6*: *Cumque ingressi essent, vidit Eliab et ait: Num coram Domino est Christus ejus?*

v. 7: Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudi-

nem staturae ejus; quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videat ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.

Ingredi sapientibus, [est] ad subtile discretionis sacrarium intrare.

Cumque ingressi essent, vidit Eliab ingressum; quia illum esse dignum praelatione sanctae Ecclesiae pastor agnoscit, qui et fortitudinem habet boni operis et scientiam veritatis.

7310 Et dixit dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturae ejus: quia in Sancta Ecclesia nec opus nec scientia sine humilitate praedicatur. Vultus alicujus [est] exterior conversatio per quam noscitur; statura ejus, [est] altitudo scientiae, per quam ad superna sublimatur.

Eliab bona agentes et eruditos significat, sed arrogantes. Eliab [enim interpretatur] Deus meus pater: hoc quippe [est] ejus nomen, quod audent praesumere; quia dum fortiterr bona agunt, spiritualia sapienter intelligunt, se per singulare meritum in filiorum Dei numerum trassisse gloriantur. Nam poater non "meus" sed "noster" omnipotenti Domino dicerent, si per humilitatem se cum electis caeteris in supernae generationis ordine communiter viderent. Merito ergo repellitur, quia in spirituali culmine nonnisi humiles praeferuntur.

7311 Subtiliter ergo propheta de ungendi persona exquirit: *Et ait: Num coram Domino est Christus ejus? 16,6.* Modo hoc fit quando summus doctor et vitam et intelligentiam eligendi cognoscit, sed adhuc de humilitatis virtute perquirit.

Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturae ejus; *quoniam abjeci eum, 16,7.* Vultum et staturam ejus abjectam videt, quando ei quidquid pulchrum habet in opere, quidquid altum in eruditione inest ei, absque humilitatis virtute cognoscit.

7312 Merito igitur Dominus dicit: *Abjeci eum: nec juxta intuitum hominis ego judico; homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor, 16,7*. Quasi dicat: Homines solent magna opera et scientiae verba laudare: ego autem nec verba nec opera laudo, quae in humilitate vera fundata non video. Indignitatis quippe suae repulsam qui ejusmodi sunt expavescerent si attente audire vellent quod ad prophetam Dominus dicit: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturae ejus, quia projeci eum. Pro magno namque habent quod faciunt arroganter, sed ecce tam vile esse a Domino dicitur, ut nec respiciendum esse judicetur.

7313 Sed illo amoto, quid sequatur ostendit: *1 Reg. 16,8*: *et vocavit Isai Aminadab, et adduxit eum coram Samuele, qui dixit: Nec hunc elegit Dominus.*

Aminadab [latine est] urbanus. Merito igitur, Domino consulto, repellitur; quia sancta Ecclesia ad regimen animarum non eligit negotiis saecularibus strenuum, sed spirituali conversatione decorum. Urbani quidem sunt qui postposita intentione coelestium exterioribus studiis se ostendere strenuos conantur. Nec hunc elegit

Dominus, quia pii pastoris studio coelestia, non terrena, provideri fidelium gregibus debent; non infirma et labentia, sed [sublimia et aeterna].

7314 *1 Reg. 16,9*: *Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus.*

Samma [interpretatur] audiens, [et designat] obedientes et simplices.

Audire eis est ea quae a majoribus jubentur obediendo perficere; unde et de obedientia gentilis populi per psalmistam dicitur, *Ps. 17,15*: Populus quem non cognovi servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.

Etiam hunc non elegit Dominus, quia in Ecclesiae culmine non ponuntur imperiti humiles, sed humiles sapientes, qui et facere jussa sciant, et quae facienda sunt sapienter jubeant. Facere quidem eum oportet et docere; faciat ergo humiliter, doceat sapienter. Quia ergo qui facere per humilitatem sciunt, et jubere per eruditionem nesciunt in dignitatem regiam assumendi non sunt, Samam ad regnum a Domino non eligi perhibetur. Hinc ergo, hinc simplices et inobedientes colligant quam poenaliter ad praeminendum se ingerunt, si omnipotens Deus nec illum ad regimen suscipit qui per humilitatem obedientiae audiens vocatur.

7315 Et quia plures Sancta Ecclesia hujusmodi tam simplices et bene viventes, quam humiles sapientes habet, sequitur: *1 Reg. 16,10*: *Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele, et ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis.*

Septem: quia in septenario numero soleat perfectio designari, testatur Isaias propheta, qui dona Sancti Spiritus in Redemptore nostro manentia asserens, [ait] *Isai, 11,2 sq*: Requiescet super eum spiritus Domini: Spiritus sapientae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis: et replebit eum spiritus timoris Domini. Quid est ergo, quod hi qui a praedicatoris officio repelluntur septenario numero designantur, cum idem numerus perfectionem designet, quam alius nisi de Sancti Spiritus infusione non habet?

7316 Sed convenienter hoc asseritur, quia pluribus gratia Spiritus Sancti ad bene vivendum datur, ad docendum non datur; qui quia plures sunt, et in bona operatione perfecti, apte septenario numero continentur; item quia robusta faciunt et subtilia non intelligunt, a regni gubernatione repelluntur.

Septem filios suos: et eorum aliquis ad animarum regimen non assumitur, quia etsi bene vivendo regere fortiter semetipsos sciunt, tueri alios fortiter per doctrinam nequaquam possunt. Nunquam se tam in ordinando praecipitet ordinator Ecclesiae, quia etsi plures habet qui ad suscipiendam animarum curam non sunt idonei, qui tamen praeesse possint ei deesse non possunt.

7317 Quaerat ergo doctor instanter: non deficiat quaerere donec latentes possit invenire. Magnae quidem electorum virtutes, quasi thesauri omnipotentis Dei, fere semper in occulto sunt. More etenim timoratorum divitum omnipotens Deus facit: quia ne virtutum thesauros perdat, hos et in electis mentibus collocat, et ipsas

mentes per secretum celat. Quaerat ergo, qui ordinare, immo ornare Ecclesiae caput cupit, occultos thesauros. Christi sponsam ornare gestit: sed non potest nisi occultos sponsi thesauros ad ejus ornatum producat, et non desistat donec latentes inveniat.

7318 Sed quid hortor pastores quaerere, cum nisi Deus occultos ([alios] oculos) proferat nequeant inveniri? Unges quemcumque monstravero tibi, *16,3.* Tamen quaerendi sunt, quia nisi quaesiti diu, minime monstrantur; nam et Dominus se monstraturum promittit, et tamen propheta quaerere nititur, ut invenire mereatur. Unde et Dominus quaerendi instantiam imperat dicens, *Matth. 7,7*: Quaerite et invenietis, petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis. Quaerens ergo propheta, et tot jam repulsis quaerere perseverans, insinuat ut nulla dispositione indigni ad culmen religionis venire permittantur; nam cum in plerique sanctae Ecclesiae negotiis salubris sit dispensatio, letalis profecto et mortifera est, ubi aut coeci per ignorantiam, aut irreligiosi sapientes, aut ad saecularia negotia projecti, ad aliorum primatum venire permittuntur.

7319 Hi enim ignorando, illi sciendo et non faciendo, subditorum animas perimunt; illi item negligendo spiritualis, sequendo carnalia et terrena. Illi quidem totis viribus laborant ut laudentur quae dicant, isti quae dicant nesciunt; illi ad hoc omni intentione conantur, ut inter summos saeculi abundantius honorentur; qui profecto tanto pejores prioribus sunt, quanto illi in spiritualibus, isti in carnalibus et saecularibus apparere sublimes volunt. Horum finis desiderium est fulciri divitiis, honoribus extolli, potentum us saeculi familiaritatibus sublimari. De quibus omnibus reprobae mentis affectibus oriri potest negligentia animarum subditorum, contemptus Christi, et Ecclesiae dilapidatio facultatum. Quaerat itaque doctor, ut nulla dispensatione indignos praeferat, quia quod laethiferum est, nunquam permitti debet.

7320 **MEDITAZIONE 73.**

Orazione preparatoria.

Preludio 1.

1 Reg. 16,11-13: *Dixitque Samuel ad Isai: Numquid jam completi sunt filii? Qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Et ait Samuel ad Isai: Mitte et adduc eum: nec enim discumbemus priusquam huc ille veniat.*

v. 12: Misit ergo, et adduxit eum. Erat autem rufus et pulcher aspectu, decoraque facie. Et ait Dominus: Surge, unge eum, ipse est enim.

v. 13: Tulit ergo Samuel cornu olei et unxit eum in medio fratrum ejus: et directus est Spiritus Domini a die illa in David et deinceps. Surgensque Samuel abiit in Ramatha.

7321 Ora etc. [è da vedere] la notizia dell'elezione in individuo, nell'accertare l'eletto da Dio.

1 Reg. 16,11:*Dixitque Samuel ad Isai: Numquid jam completi sunt filii?* Quid est quod alium quaerit? Quia non debet ante quiescere, quam mereatur invenire. Et quia saepe abjecta foris et vilia, intus excelsa sunt, [sequitur]: *qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves, ibi.*

Reliquus, [sive] abjectus a se, non a Deo; quia a Deo per superbiam quis abjicitur; a se [abjectus est], qui vilis et humilis aestimatur. Vel [reliquus est] qui in aliorum comparatione esse aliquid non videtur. [Qui] parvulus, [sive] humilis [dicitur], quia contemni se videt et tolerat: ostendi nunquam curat.

7322 *Et pascit oves*: quia cogitationes simplices in contemplatione aeternae haeredirtatis pascit. De his certe pascuis electorum a Domino dicitur, Jo. 10,9: Ingredientur et egredientur, et pascua invenient. Intus habent pascua contemplationis, foris [pascua] boni operis; intus mentem devotionibus impinguant, foris se piis operibus satiant.

Parvulus... pascit oves: quia electus quisque humilis est, et sterilis non est: qui quotidie magna agit, sed de magna non sentit. Merito ergo non solum parvulus sed pastor asseritur, quia qui vere humiles sunt, foris se dejiciunt, sed per internam societatem in summis et aeternis pascuis immorantur. *1 Petr. 5,5*: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: gratiam ut summa videant, et cognoscant, et diligant, atque ad ipsa dilecta, quasi pingues et fortes currant. Hic itaque quia valde idoneus est, instanter exhiberi jubetur.

7323 Et ait Samuel ad Isai: Mitte et adduc eum; nec enim discumbemus, priusquam huc ille veniat, *16,11*: quia in observatione jeunii celebranda sunt sacramenta unctionis. Nobis autem non solum ipsa sacramenta, sed vis sacramentorum attendenda est: nam quidam cibi sunt qui si non caventur, ungere bene reges nequaquam sinunt. Exteriora Ecclesiae negotia quidam cibi animae sunt, qui ab electis devote administrantur; sed si negotiorum multitudine anima saturetur, ad suscipienda spiritualia intrare perfecte non sinitur. Cum ergo spiritualia instant, exteriora differantur, quia cum magna mentis quiete disponenda sunt.

7324 *1 Reg. 16,12*: *Misit ergo et adduxit eum*.

Rex futurus adducitur, quando ab occultationis suae latibulo humiles producuntur. Latent, sed in pascuit: quia etsi hominibus intra carnis vilia et infirma se tegunt, magna est supernae contemplationis latitudo in qua morantur.

Sed qualis jam praelatus appareat, videamus. *Erat autem rufus et pulcher aspectu, decoraque facie, ibi*. Tanta pulchritudo regis asseritur, quia magnis virtutum fulgoribus ornari debet persona doctoris; nam de Redemptore dictum est, Jo. 16,13: Spiritus ejus ornavit coelos: [scilicet] sublimes praedicatores; quia virtutes quibus emicant, a Spiritu Sancto percipiunt.

7325 *Rufus*: [quo colore significatur] fervor caritatis; unde in veste Pontificis coccus bis tinctus ponitur, *Ex. 39,2,* ut duplici vestiatur caritate; quia dum ardentia praecepta caritatis exhibet, quasi per calorem rubet.

Pulcher aspectu: [quia] interna contemplatione conspicuus; qui decore visionis radiat in interna contemplatione.

Decoraque facie: [qua] exterior [exprimitur] gloria honestatis; nam quia per faciem quisque cognoscitur, decor faciei (pulcher aspectu) [est] praeclara bonitas conversationis; quasi enim per faciei decorem cernitur, qui in omni gestu corporis spendidus invenitur.

7326 *Rufus* [ergo: quo colore signficatur] amor; pulcher aspectu, propter scientiam; decora facie, [sive] splendidus honestate. Quia vero caritatis fervor per sancta opera demonstratur, (rufus) [potest] per ruborem ipse labor operius designari; qui enim nimis laborat, faciei ruborem repraesentat; quia dum intus incalescit, foris in vultu ruborem trahit. Sic namque est omnis spiritualis labor; quia enim unusquisque quanto amplius pro aeterna vita laborare conatur, tanto ferventius ad laborandum Sancti Spiritus ardore succenditur, velut in fervescendo ruborem excitat, quem foris portat.

7327 *Rufus* est ergo doctor labore pii operis, pulcher aspectu in fulgore contemplationis, decora facie, [qua significatur] pulchritudo ipsa caritatis. Per alias quippe virtutes formam sanctitatis accipimus, per ipsam caritatem ipsam formam nobis quasi mirabili decore vestimus. Illae aliae virtutes corpus justitiae sunt; caritas vero, hujus corporis facies recte intelligitur. Per faciem quippe, non per corpus unusquisque cognoscitur; nam si corpus videas et faciem non videas, eum cujus solum corpus aspicis, non agnoscis. Quid vero est aliud quod fatuis virginibus respondetur a sponso: Nescio vos, *Matth. 25,12*.

7328 Ecce per magnos labores virginitas conservatur; ipsa quoque virginitas magna et incomparabilis virtus agnoscitur; quid est ergo quod fatuae virgines a sponso non cognoscuntur, nisi quia corpus habent quo subsistant, decorem vero non habent faciei, quem sponsus agnoscat? Habent quidem laborem in conservando corpore, non habent decorem vultus in perfecta caritate. Haec namque tria, eo quo ponuntur ordine, in electi conversatione proficiunt; nam pulchros contemplationis aspectus habere non praevalet, nisi qui prius se in labore pii operis vehementer exercet. Aeternae quidem lucis gaudia, illius summi luminis immensitas, aeternus ille vigor splendoris ineffabilis, quo laboriosius quaeritur, se quaerentibus laxius aperitur.

7329 Qui ergo jam talis est, idoneus quidem ad docendum cernitur, sed nisi decora facie fulgeat, nisi mentem caritatis perfectae radiis illustratam gerat, dignus tanta celsitudine non probatur. Sit itaque rufus pastor, et non sit remissus in opere; pulcher aspectu, [et] sublimis in eo [sit] contemplatio; decora facie, ut tantum ro-

bur operis et altitudo contemplationis, supernae majestatis oculis notum sit per ineffabilem pulchritudinem caritatis. Haec quippe tria immensi decoris insignia, quia sanctae Ecclesiae doctor habere debet, pro omnibus Petrus assumitur, et an amet Redemptorem tertio interrogatur. Primo namque ei dicitur: Petre amas me? *Jo. 21,15 sqq*, ut per amorem agere fortia studeat; secundo, ut in contemplando alta cognoscat; tertio ut perfectae caritatis affectu, et erga proximum ferveat, et ad speciem Conditoris ferventius inardescat.

7330 Talis ergo ac tantus, tam pulcher, tam decorus puer, quo testimonio proferatur, audiamus: *et ait Dominus: Surge, unge eum: ipse est enim, 16,12.*

Surge, unge eum: An tantus erat parvulus, ut sedendo ungi non posset? Sedendo quippe tangere alta non possumus. Magna ergo est virtus, magna celsitudo humilium, si ad eorum summa nec prophetae pertingunt. Surgit ergo propheta, cum se Pontifex in miram electi praedicatoris venerationem erigit; nam foris humilem quasi videndo conspicit; sed interius ejus meritum, nisi se in interna contemplatione erigat, non agnoscit. Surge, praecipitur: quia cui tanta vult sacramenta impendere, ejus ante cognoscere meritorum sublimitatem debet.

7331 *Surge, unge eum*. Ipse est enim: [Quod est] sublimia sacramenta sublimiter praebere; nam saepe indiscreti pastores, negligentem et reprobam accedentium vitam sciunt, et eos promovere non metuunt. Hi profecto ungunt et non surgunt, quia quibus sacramenta unctionis tribuunt, in alto sitos meritorum loco non cernunt. Quando igitur doctor sublimis ostenditur, ejus ordinator surgere monetur, quia per ministerium tunc digne tribuuntur sacramenta unctionis, cum ungendus in alta conspicitur sublimitate virtutis.

7332 De quo nimirum dicitur: Ipse est enim. Si ergo ipse est, alius non est; quia nisi his virtutibus fulgeat, necesse est ut ordinem tantae celsitudinis non attingat. Quem ergo monstraturum se Dominus promisit, rufum et pulchrum aspectu et decora facie ostendit, dicens: Ipse est enim; quia nullus debet subire culmen regiminis, qui robur non habet magni operis, scilicet contemplationis scientiam et fervorem caritatis. Bene ergo subjungitur: *tulit ergo Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum ejus, 16,13*.

7333 *Tulit cornu olei*: ut tota vita pontificis spiritualis esse doceatur. Olei: ut in excellenti liquore, magister Ecclesiae vir esse studeat magnae misericordiae. Oleo ungitur caput regis, quia lucere super candelabrum debet per flammam verbi. Cornu olei, ut increpando purget, et miserando per blandimentum trahat. Cornu recipit in sublimitate ordinis: oleum ad fomenta virtutis; cornu olei pleno ungitur, ut virtus pontificis plena doceatur. [Cornu plenum habet, si] tam in virtute misericordiae quam caritatis et verbi perfectus auctoritas sanctae Ecclesiae, cum sine misericordia est, nulla est; quia tunc spiritualis est vigor disciplinae, cum a linimento non vacat misericordiae.

7334 *Cornu* [et] oleum ostenditur, ut disciplina semper cum misericordia teneatur. Cornu oleo plenum, ut ubicumque cornu acumen exhibet, exhibeat refusae gratiae unctionem. Sed dum ad ungendum regem unctio ducitur, cornu foris cernitur, olei plenitudo intus occultatur. Portet igitur Propheta cornu foris, intus oleo repleat; foris textum insinuet, intus sacramenta declaret. Sciat ergo propheta quod tribuat, sciat rex unctus, exhibita recipiendo, quid agat. Cornu foris, intus oleum: quia plerumque subditorum duritia meretur, ut pastoris increpationem sentiat, sed misericordiae ejus aliquid non attendat. Rector ergo cornu exhibet in quo oleum latet, quia cum quis acriter ex caritate corrigitur, poena sentitur, caritas non videtur. Saevus enim rector aspicitur, qui sic increpat quasi non amat: quasi qui vehementer odit, sic objurgat.

7335 Quid tunc a compunctis cernitur, nisi cornu acumen, quo acrius feriantur? Sed quia valde intus prius pastor diligit quem foris arguendo ferit, quid aliud quam cornu increpando monstrat, oleum diligendo celat? Plenum ergo cornu in unctione regis asseritur, ut in electo praedicatore perfectum utrumque esse doceatur; nam acutus ad arguendum esse debet, mollis ad miserendum. Perfecte feriat, ut omnem viam morbi perfecte confodiat; perfecte per misericordiam ungat, ut plagas quas pungit, ad sanitatem reducat. Si enim minus violenter quam debet ferit, pus quod latet non ejicit; et si violenter ferit et abunde non ungit, percussum per austeritatem interficit, et saluti non reddit. Sit ergo integrum cornu, integra olei plenitudo; ut austere per cornu feriantur vulnera, et per oleum foveantur.

7336 *Et unxit eum in medio fratrum ejus: 16,13*: quia virtutis exempla circumquaque spargere jubetur, ut tantae unctionis fieri participes omnes possint. In medio qui ponitur, ab omni parte videtur. Unxit eum oleo in medio fratrum, quia qui in aliorum exemplum positus est, nullam sui partem habere obscuram debet, ut hunc omnes aspiciant, et ab eo lucis exemplum sumant. Unde et sancta animalia in circuitu oculos habent, *Ezech. 1,18*: quia electus doctor, dum ardorem caritatis, dum virtutem misericordiae, dum zelum rectitudinis ex dono sancti Spiritus recipit, quasi globum habitat luminis, qui eum ex omni parte circumstantibus fulgentem reddit.

7337 *Unxit in medio fratrum*: ut unctum et medium se esse semper arbitretur. Agnoscat ergo dignitatem suam, et vim dignitatis exerceat, quia unctus est; videat se medium et communis conditionis hominem, ut pares sibi esse eos quibus eminet, recognoscat. Unxit eum in medio, ut se privato amore non diligat, sed ex omni quod praeeminet, lucra aliorum quaerat. Unde et Saul, solus in extrema parte civitatis unctus fuisse perhibetur, *1 Reg. 9,27 sq.* Solus a solo ungitur, quia de culminis potestate per amorem privatum debebat intumescere. Dum enim de accepta dignitate se singulariter amare voluit, velut fomentum luminis solus tulit; unde et puer qui comitabatur praemittitur, quia electorum nullus ejus exempla sequitur, qui

divina auctoritate reprobatur.

7338 David ergo in medio fratrum ungitur, quia electus doctor de eo quod singulari sublimitate sustollitur, singulari amore nequaquam gloriatur. Et quia per ministerium hominum spiritualia in electis rectoribus dona cumulantur, adjunctum est: *et directus est Spiritus Domini in David a die illa et deinceps, 16,13*.

Directus est Siritus Domini post unctionem, quia foris sacramenta percipimus, ut intus Sancti Spiritus gratia repleamur. Foris namque homo, intus Deus operatur, et non homo; foris namque homo surgit, intus se Spiritus dirigit: quia ordinem religionis homo homini praebet; sed in eum cui ordo datur, spiritus dirigitur, ut foris sublimitatem suscipiat ordinis, et intus robur Spiritus Sancti. Foris ordo committitur, ut quae Dei sunt agere debeat; intus dirigitur Spiritus, ut quod injungitur potenter agat.

7339 Magnum quippe est onus ordinis, magna fragilitas carnis: onus ergo tantum quia debili committitur, dirigitur Spiritus: ut debilis roboretur, et magnum onus tanto gratius ferat, quanto ipsum omnipotens Spiritus fortius ad ferendum juvat. *Directus est Spiritus Domini*: ut conversus a rege superbo sentiatur. Se ergo Spiritus in alterum dirigit, quando ejusdem Spiritus gratia superbos ac fictos fugit. *Sap. 1,7*: Spiritus disciplinae effugiet fictum. *Jo. 3,8*: Spiritus ubi vult spirat; et vocem ejus audis, et nescis unde veniat aut quo vadat.

7340 Spiritus... venit... vadit, quia reprobos deserit, electos assumit; et quia judicium Dei omnipotentis imperscrutabile est, nescis unde veniat aut quo vadat, quia sciri non potest an quis in gratia quam recipit perseverare in perpetuum debeat. Venit, ab eo qui defecit, vadit ad eum qui perseveraturus est. Unde et in electorum typo, de David dicitur: Et directus est Spiritus Domini in David a die illa et deinceps. In die unctionis dirigitur, quando sic foris Christi sacramenta recipimus, ut intus Sancti spiritus gratia repleamur. Et deinceps dirigitur, qui a gratia quam percipit nunquam recedit; hanc quippe gratiam directi Spiritus sic Praedicatoribus adscribimus, ut omnibus ordinibus sanctae Ecclesiae tribuamus. Quisquis enim Redemptoris nostri fidem suscipit, per redemptionis nostrae baptismum renascitur, et Spiritus Sancti gratia ab omni peccato redimitur etc.

[COMMENTO A S. MATTEO]

7341 **MEDITAZIONE 1.**

Orazione preparatoria.

Preludio 1. Da questo punto di Storia Sacra che ho tocco jeri, tutti li Padri che seguono l'allegoria s'accordano raffigurare in David non più un Pastore della Chiesa, ma [la] persona adorabile di Gesù Cristo, pastore sommo e sposo della Chiesa. *S. Gregorio* medesimo, che sin qui avea camminato da qualche tempo le prima strada, e che noi ci siamo fatti un dovere di seguitare fedelmente, per la sua grande autorità, siccome anche Dottore insigne e nel senso spirituale tanto ammirato dalla Chiesa cattolica, egli medesimo ci scorge all'altro sentier più sublime, e dopo averci alcuni passi inviati, ne lascia poi al tutto, interrompendo la sua interpretazione, sotto la guida degli altri Padri.

7342 Ma di questi Padri noi non abbiamo interpretazione continuata e di seguito o, se [qualcuno] l'ha, è molto stretta e compendiata, *come S. Girolamo, Rabano Mauro, S. Efrem ed altri, nella Bibliotheca Patrum*. Il *Venerabile Beda* è solo che si stende di seguito nella interpretazione di questo libro divino, e potremmo sicuramente dietro lui anche solo avviarci, ove i frammenti degli altri, o i compendj, non toccano, come abbiamo pur fatto sinora per non dir nulla di nostro. Cosa che io credo siccome utile a voi, così anche più cara. Perocché da noi, cosa potrebbe venire di buono? E altronde vi sbriga dal bilanciare e pesare le sentenze e le parole, come dovreste voi fare certamente se fossero mie. Così avete voi il cuore affatto libero per pascervi di una dottrina tutta celeste.

7343 Ora parmi dal detto sin qui aver già compiuto il mio proposito, di farvi cioè conoscere nell'intelligenza di questo libro, ut scias quomodo oporteat in domo Dei ambulare, *1 Tim. 3,15*, avendovi fatto conoscere fin da l'anno scorso questa casa di Dio, in cui desideravate di ministrare o di servire, e la vocazione necessaria per entrarvi, a fine di saperla discernere in voi stessi, e la conversazione cattiva e buona di quelli che ci sono stati chiamati, a fine di schivar quella e imitar questa.

7344 Convien dunque a noi pure, seguendo i Padri, alzarci dalla meditazione della conversazione de' servi e de' ministri, alla conversazione del Padrone e dello sposo, per poterla imitare. Ora avendo noi questa conversaione descritta ne' santi Vangeli, e spiegata da molti Padri e Dottori; per che non lascieremo la figura, per porre gli occhi nel figurato medesimo?

7345 Su dunque: giacché l'ombre delle figure ne hanno condotto sino alla Verità ch'è Cristo Signor nostro, cessino l'ombre alla luce, l'allegoria delle storie alla lettera del Vangelo. *Novum testamentum: Sanctum Evangelium secundum Matthaeum.*

Eccoci già sul limitare posti: invochiamo lo Spirito Santo che ne introduca:

Veni Creator.

7346 *Sanctum Evangelium secundum Matthaeum.*

La legge vangelica essenzialmente è la grazia dello Spirito Santo. (*S. Antonino*). L'evangelo, cioè questa "buona nuova", perché la leggiamo scritta, non l'udiamo dalla viva voce della grazia dello Spirito Santo: Qui testimonium perhibet Spiritui nostro, quod sumus filii Dei.

7347 Par esset quidem nos nulla egere litterarum ope, sed ita puram exhibere vitam ut Spiritus gratia, librorum instar nobis esset, ac sicut libri atramento, sic corda nostra Spiritu ipso essent inscripta. Quia vero hujusmodi gratiam depulimus, age secundum navigationis cursum suscipiamus.

7348 Differenza da certi preti letterati, e alcuni semplici cristiani: quelli leggono e sanno lo scritto, questi odono e gustano la voce; a quelli la scienza, a questi la sapienza.

Certe novimus illum cursum praestantiorem fuisse, et verbis et operibus ipsis ostendit Deus. Siquidem Noe et Abraham nepotibusque ejus, nec non Jobo, ipsique Moysi, non per litteras loquebatur, sed per se Ipse, quod purum in ipsis animum reperiret. Postquam autem universus Hebraeorum populus in profundum nequitiae dilapsus est, necesse demum fuit ut litteris et tabulis ad eorum commonitionem uteretur; idque non in Veteris solum, sed in Novi etiam Testamenti Sanctis, factum reperimus.

7349 Neque enim Apostolis scripto quidpiam tradidit Deus, sed pro litteris Spiritus gratiam se daturum illis pollicitus est: *Jo. 14,26:* Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia. Ut vero discas hoc longe melius fuisse, audi quid per prophetam dicat: *Jer. 31,33*: Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Paulus quoque, hanc declarans praestantiam, dicebat accepisse se legem, *2 Cor. 3,3*: Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quia vero post multum temporis alii circa vitam et mores, alii circa dogmata impegerunt, necessaria denuo fuit illa per litteras institutio.

7350 Animadvertas velim, quantum illud malum sit, quod etsi cum tanta puritate vitam agere debeamus, ut ne libris quidem sit opus, sed librorum vice corda offerenda sint Spiritui Sancto instituenda, postquam tantum honorem amisimus, atque eo redacti simus ut libris opus habeamus, ne hoc secundo quidem remedio ut par esset utamur. Nam si non culpa vacat litteris egere, nec per se Spiritus gratiam attrahere, cogita quantum crimen sit ne hoc quidem auxilio uti velle, sed litteras illas quasi frustra et temere prolatas despicere, et majorem in se attrahere poenam. Quod ne accidat, Scripturis accurate adhibeamus animum, et discamus quomodo lex data fuerit, quomodo postea novum testamentum.

7351 L'Evangelo si dice il *Nuovo Testamento* in contrapposizione alla *legge vecchia.* Come fu data la Legge vecchia, e poi il Nuovo Testamento.

Quomodo igitur lex illa data tum fuit? Quando et ubinam? Post Aegyptiorum perniciem in deserto et in monte Sina, fumo et igne de monte erumpente, tuba clangente, frequentibus fulguribus atque tonitruis, Moyseque in ipsam caliginem intrante. In novo autem non ita: nec in deserto, nec in monte, non cum fumo, tenebriis, caligine atque procella, sed ineunte die, domi, omnibus una sedentibus, magna cum tranquillitate gesta sunt omnia.

7352 Ferocioribus quippe illis et effraenatioribus corporea specie opus erat, nempe solitudine, monte, fumo, tubae clangore et similibus; sublimioribus vero et obsequentioribus, qui corporeas cogitationes longe exuperabant, hujusmodi rebus nihil opus erat. Quod si et apud illos sonus emissus est, id non Apostolorum, sed Judaeorum tunc praesentium causa factum est, simulque igneae linguae visae sunt. Nam si his ita gestis, ipsos musto plenos esse dicebant, multo magis id dicturi erant si nihil vidissent.

7353 Et in veteri quidem lege, cum Moyses ascendisset, descendit Deus: hic vero postquam natura nostra in coelum, imo in solium regium evecta esset, Spiritus descendit. Si autem Spiritus minor esset, haec non illis priscis majora mirabilioraque fuissent. Nam hae tabulae longe praestantiores sunt illis, ut et res gestae splendidiores. Neque enim Apostoli ex monte descenderunt tabulas manibus gestantes, ut Moyses, sed Spiritum in mente circumferentes, ac thesaurum quemdam et fontem dogmatum et donorum, honorumque omnium effudentes, sic quoquoversus circuibant, ipsi quoque libri viventes atque leges per gratiam effecti; sic tria millia, sic quinte millia, sic universi orbis populos attraxerunt, Deo per eorum linguam accedentes alloquente. Quo duce etiam Matthaeus Spiritu repletus haec scripsit. Matthaeus inquam ille publicanus. Non enim pudet eum arte sua nuncupare, neque illum, neque alios. Hoc enim maxime et Spiritus gratiam et illorum virtutem commendat.

7354 Evangelii vis.

Opus autem suum jure *Evangelium* inscripsit; siquidem sublatam ultionem, peccatorum veniam, justitiam, sanctificationem, redemptionem, adoptionem, coelorum haereditatem et cognationem cum Filio Dei, omnibus annuntiatum venit: inimicis, improbis, sedentibus in tenebris. Quid tam bono nuncio possit aequari? Deus in terra, homo in coelo, factaque omnium commistione, angeli cum hominibus chroreas agebant; homines cum angelis aliisque supernis potestatibus versabantur.

7355 Videreque erat diuturnum bellum solutum, et pacta a Deo cum natura nostra inita, diabolum pudore affectum, daemonus fugatos, mortem devinctam, paradisum apertum, maledictionem ablata, peccatum de medio sublatum, terrorem depul-

sum, veritatem reversam, verbum pietatis ubique disseminatum et crescens, supernam vitae rationem in terra insitam, virtutes illas familiariter nobiscum agentes, angelos frequenter in terra versante, magnamque spem futurorum.

7356 Ideo historiam *evangelium* vocavit, quasi scilicet omnia alia verba rebus sint vacua, ut opes multae, vis potentiae, principatus, gloria, honores, ceteraque omnia quae apud homines bona esse putantur; quae autem a piscatoribus promissa fuere, vere ac proprie evangelia dicantur, non solum quia firma immobiliaque bona sunt, nostramque exsuperantia dignitatem, sed etiam quia cum omni facilitate bonis data sunt. Non enim ex labore et sudore nostro, non ex aerumnis, sed ex Dei erga nos amore haec suscepimus.

7357 Scriptores Evangeliorum.

- Cur porro, cum tantus sit discipulorum numerus, duo tantum ex Apostolis scribunt, et duo ex eorum sequacibus, nam alter Pauli, alter Petri discipulus, cum Johanne et Matthaeo Evangelia scripsere? Quia nihil per ostentationem faciebant, sed omnia ad utilitatem.

7358 - Quid igitur? Annon sufficiebat unus evangelista qui omnia narraret?

- Sufficiebat quidem; ac licet quattuor scripserint, neque eodem tempore, neque eodem in loco, neque congregati simul et ex mutuo consensu, et tamen cum quasi ed uno ore omnia pronuncient, hinc magna emergit veritatis demonstratio.

- Atqui, inquies, omnino contra accidit; saepe enim inter se dissentire deprehenduntur.

7359 - Certe illud ipsum magnum est pro veritate argumentum; si enim omnia accurate consonassent, et quantum ad tempus, et quantum ad loca, et quantum ad ipsa verba, ex inimicis nemo crediturus erat, sed ex mutuo humanoque consensu haec scripta fuisse putassent, atque hujusmodi consonantiam non ex simplicitate, sinceritateque procedere. Jam vero, illa quae in exiguis rebus deprehendi videtur diversitas, omnem ab ipsis suspicionem depellit, scribentiumque fidem clare vindicat. Quod si quid circa tempora et loca varietatis protulerint, id nihil officit veritati narrationis, id quod Deo dante in sequentibus demonstrare conabimur.

7360 Sapere ad sobrietatem.

Praeter autem supradicta, illud etiam vos observare rogamus: in rebus praecipuis quae ad vitam nostram, et ad ipsam praedicationem tuendam pertinent, nullum eorum uspiam ab aliis vel minime dissentire deprehendi. Quaenam autem illa praecipua sut? Deum hominem factum esse, miracula edidisse, crucifixum ac sepultum fuisse, resurrexisse, in coelum ascendisse, judicaturum esse, salutaria dedisse praecepta, legem veteri non contrariam induxisse, ipsum Filium esse, unigenitum, genuinum, ejusdem cum Patre substantiae, et his similia. Circa isthaec enim magnam inveniemus inter ipsos consonantiam.

7361 Si vero in miraculis non omnes omnia dixerunt, sed alius haec, alius illa,

ne ideo turberis: nam si unus omnia dixisset, superfluus esset reliquorum numerus; sin omnes diversa et nova scripsissent, nullum suppeteret consonantiae argumentum; ideo multa plures simul narrarunt, et singuli quidpiam sibi proprium scribendum susceperunt, ne quid superfluum vel temere projectum dixisse videantur, utque veritatis accuratam nobis probationem offerrent.

7362 Quid proprium singuli.

Lucas igitur etiam causam nobis profert qua ad scribendum inductus est: ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem, idest ut saepe commonitus, certus sis persuasusque maneas.

7363 Johannes vero causam scribendi tacuit; ut autem jam olim a majoribus et patribus et accepimus, non sine causa ad scribendum animum appulit; sed quia priorum trium hic scopus fuerat ut de assumpta carne pluribus agerent, periculumque erat ne divinitatis dogmata tacerentur, Christo demum movente, ad evangelium scribendum inductus est; illud vero palam est ex ipsa historia et ex evangelii exordio. Neque enim, perinde atque alii ab inferioribus coepit; sed a superioribus: id quod sibi in scopo erat, ideoque totum librum edidit. Neque tantum in exordio, sed etiam in toto evengelii decursu, ceteris sublimior est.

7364 Narratur porro Matthaeum, accedentibus rogantibus hebraeis qui crediderant, ea quae verbis protulerat litteris descripta iisdem reliquisse, et hebraice evangelium scripsisse; Marcum item in Aegypto, rogatu discipulorum idipsum fecisse.

7365 Idcirco Matthaeus, utpote qui hebraeis scriberet, nihil aliud ostendere studuit, quam quod ab Abrahamo ed Davide ortum duceret; Lucas vero, quippe qui omnibus simul loqueretur, altius sermonem extendit, et ad Adamum usque progreditur. Ille quidem a generatione ducit exordium; nihil quippe tam Judaeo placere poterat, quam si Christum Abrahae et Davidis disceret esse nepotem; hic vero secus: nam multis prius commemoratis, ad genealogiam deinde pervenit.

7366 Omnibus omnia factus.

Ubinam autem illorum singuli scripserint, non est quod multum disquiramus; quod autem non alius adversus alium scripserit, id per totum operis decursum demonstrare conabimur. Tu vero qui dissonantiam illam objicis, perinde facis ac si eadem ipsa verba, eosdem loquendi modos proferre juberes. Nec dum dicam, eos qui de rethorica et de philosophia admodum gloriantur, quique multos libros iisdem de rebus scripserunt, non modo mutuo discrepasse, sed etiam contraria dixisse; nam aliud est diverse loqui, aliud pugnantia dicere. At nihil horum dico: absit enim ne illorum insipientia utar ad parandam defensionem; neque enim velim ex mendacio veritatem firmare.

7367 Sed illud rogare velim: Quomodo fidem meruissent ea quae dissonarent? Quo pacto superassent? Quomodo, si pugnantia loquuti fuissent, admirationem,

fidem et celebritatem tantam per totum orbem obtinuissent? Atqui multi erant dictorum testes, ut et multi adversarii et inimici; neque enim haec in angulo scripta dederunt, sed ubique terrarum et marium omnibus audientibus publicarunt, inimicis praesentibus haec legebantur quomodo et hodie, et neminem unquam offenderunt; idque jure merito: divina quippe virtus erat, quae haec omnia operabatur apud universos.

7368 Etenim si non res ita se habuisset, quomodo publicanus, piscator, et illiteratus haec potuissent philosophari? Quae enim ne per somnium quidem exteri imaginari potuerunt, haec cum auctoritate magna hi annuntiant et suadent; idque non modo in vivis agentes, sed etiam defuncti; non duobus vel viginti hominibus, non centenis vel millenis, vel decies millenis, sed urbibus, gentibus, populis, terrae, mari, Graeciae, barbarorum regionibus, orbi et desertis; idque cum de scriptis ageretur naturam nostram admodum exsuperantibus. Nam, missa terra, de coelestibus omnia edisserunt, aliam nobis inducentes vitam et vivendi rationem, alias divitias, aliam paupertatem, libertatem, servitutem, aliam vitam atque mortem, alium mundum, institutum, omnia denique mutata.

7369 Non sicut *Plato*, qui ridiculam illam rempublicam instituit; non sicut *Zeno*, et si qui alii de republica scripsere, legesque edidere; siquidem vel ex re ipsa conspicuum fuit malignum spiritum, daemonemque quempiam, ferum naturae nostrae hostem, castitatis inimicum, honestatis adversarium, omnia susdeque vertentem, haec illorum animis inseruisse. Cum enim uxores omnibus communes faciant, nudas virgines ad spectaculum virorum in palaestram ducant, clandestinas nuptias apparent, omnia simul commiscentes et conturbantes, naturaeque terminos evertentes, quid aliud de illis dici potest? Quod enim haec omnia sint daemonum inventa et naturae repugnantia, ipsa certe natura testificatur, quae et supra dictis abhorret.

7370 Et illa non cum persecutionibus, non cum periculis, vel proeliis, sed cum libertate omni et securitate scribentium, et ornatu sermonis multo saepe utentium (emissa sunt): contra vero haec quae praedicta sunt a piscatoribus, pulsis, verberibus caesis, inter pericula versantibus, ineruditi, sapientes, servi, liberi, reges, milites, barbari, Graeci, cum omni benevolentia excepere. Neque vero dicere possis haec quod parva essent et humilia, facile a cunctis suscepta fuisse; siquidem haec multo sublimiora sunt illis.

7371 Virginitatis enim illi ne nomen quidem vel per somnium imaginati sunt; non paupertatem, non jejunium, neque quampiam aliam rerum sublimium; magistri vero nostri, non modo concupiscentiam eliminant, non modo malum opus castigant, sed etiam aspectum impudicum, verba contumeliosa, risum immodestum, habitum, incessum, clamorem, et usque ad minima accuratam disciplinam extendunt, atque universum orbem virginitatis germine repleverunt.

7372 De Deo autem, deque coelestibus ea philosophari suadent, quae nulli eorum unquam in mentem venire potuerunt. Quomodo enim haec cogitassent, qui ferarum, serpentium aliorumque viliorum imagines in deorum numerum retulère? Attamen haec sublimia dogmata suscepta et credita sunt, in diesque florent atque crescunt; illorum vero cultus abit et perit, atque aranearum telis facilius evanescit. Illudque merito; daemones enim haec praedicarunt; quapropter cum lascivia multam habent caliginem majoremque laborem. Quid enim magis ridiculum fuerit quam disciplina illa, ubi praeter ea quae dicta sunt, innumeris prolatis versibus philosophus, ut quid sit justum ostendat, tanta loquacitate et obscuritate dicta sua replet, ut si quid etiam haberent, admodum tamen inutilia essent hominum vitae? Si enim agricola, vel aerarius faber, vel architectus, aut gubernator...

7373

MEDITAZIONE 2.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 1,1*: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*.

Preludio 2. Jeri siamo stati alla porta; nunc autem sacra limina ingressuri, omni quiete et silentio opus est.

Preludio 3. Che [Dio] ne renda tali [: veri figli di Abramo].

7374 Nam si Judaei ad montem ardentem, ad ignem, ad caliginem, ad tenebras et procellas accessuri, imo non accessuri, sed ea audituri e minus et visuri, tribus autem diebus ab uxoribus abstinere jubebantur, vestesque abluere, atque in timore ac tremore degebant, Moysesque cum ipsi, *Ex. 19,10 sqq,* multo magis nos talia audituri verba, non procul a monte fumante stantes, sed ipsum ingressuri coelum, majorem debemus exhibere philosophiam, non vestimenta abluentes, sed animae stolam abstergentes, et ab omni saecularium rerum commixtione liberi.

7375 Non enim caliginem videbitis, non fumum, non procellam, sed ipsum regem sedentem in solio inefabilis illius gloriae, Angelosque et Archangelos ipsi adstantes, sanctorumque populos cum innumerabili illorum coetu.

Talis quippe est civitas Dei, Ecclesiam primitivorum habens, spiritus justorum, Angelorum frequentiam, sanguinem aspersionis, quo omnia copulantur, coelum terrena suscepit et terra coelestia; et jam olim desiderata pax Angelis atque sanctis donata est.

7376 In hac urbe crucis trophaeum illustre illud et conspicuum erectum est: spolia Christo parta, exuviae naturae nostrae, manubiae regis nostri: quae omnia ex

evangeliis accurate discemus.

Si cum congruenti quiete sequaris, poterimus te per cuncta circumducere, ostendereque tibi ubinam mors affixa jaceat, ubi peccatum suspensum sit, ubi plurimae ac mirabiles ex hoc bello, ex ex hac pugna manubiae. Videbis et tyrannum vinctum, cum multitudine captivorum sequente, et arcem ex qua impurus ille daemon, praeterito tempore incursus in omnia faciebat; videbis etiam furis latibula et speluncas, diruptas quidem et patefactas, nam ibi quoque rex affuit etc.

7377 Ecce portas video nobis apertas; sed cum omni modestia ac tremore ingrediamur statim limina petentes.

Matth. 1,1: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*.

Quid dicis? De Unigenito Dei filio te loquuturum esse pollicebaris, et David memoras, hominem post mille generationes natum, ipsumque dicis esse et patrem et proavum?

7378 - Expecta: ne simul omnia ediscere quaeras, sed sensim atque paulatim. In limine solum stas, adhuc in ipso ostio; quid festinas ad interiora? Nondum exteriora omnia probe explorasti; neque enim illam tibi generationem adhuc recenseo, imo neque illam quae post sequitur, quae ineffabilis et arcana est. Hocque tibi ante me Isaias propheta denuntiat; siquidem ejus passionem praedicans, ipsiusque circa orbem terrarum providentiam, admirans quis cum esset quid factus sit, quove descenderit, magna et clara voce exclamat, *Isai. 53,8*: Generationem ejus, quis enarrabit?

7379 Non ergo de illa generatione nobis sermo est, sed de hac inferiore et terrena quae innumeros sui testes habet. De hac porro pro virili nostra, secundum acceptam Spiritus Sancti gratiam, sic sermonem instituemus. Neque tamen hanc cum omni perspicuitate explicare possumus: nam et ipsa quoque admodum stupenda est. Ne itaque exigua te audire putes, dum hanc audis generationem, sed mente excita, et statim exhorresce, Deum in terram venisse audiens. Illud enim sic admirandum, sic inexpectandum erat, ut Angeli in chorum collecti super hac re, pro toto orbe laudem gloriamque concinnerent, et prophetae jam olim de hac re obstupescerent, quod in terra visus et cum hominibus conversatus sit, *Baruch 3,38*.

7380 Etenim admodum stupendum est audire Deum ineffabilem, inenarrabilem, incomprehensibilem, Patri aequalem, per virgineam venisse vulvam, et ex muliere nasci dignatum esse, avosque habere Davidem et Abrahamum. Et quid dico Davidem et Abrahamum? Nam, quod horribilius, etiam mulieres illas meretrices. Haec audiens animum erige, et nihil vile suspiceris; illudque maxime mirare quod filius, et genuinus filius, Dei sine principio existentis, se filium Davidis audire passus sit, ut te faceret Dei filium; passus est se patrem habere servum, ut tibi servo patrem faceret Dominum.

7381 Viden statim a principio quaenam sint evangelia? Quod si de tuis dubitas,

ab iis quae ad ipsum spectant haec ut credas inducaris; longe enim difficilius et, quantum ad humanum intellectum pertinet, Deum hominem fieri, quam hominem Dei filium esse. Cum igitur audis filium Dei filium esse Davidis et Abrahae, dubitare jam desine, te filium Adae filium Dei futurum esse. Neque enim frustra et incassum seipsum ita humiliasset, nisi nos exaltaturus esset; natus est enim secundum carnem ut tu nascerere secundum spiritum: natus est ex muliere, ut tu desideres filius esse mulieris.

7382 Ideoque duplex generatio fuit: et quae similis nostrae esset, et quae nostram exsuperaret. Etenim ex muliere nasci nobis competit; nasci autem non ex sanguine, non ex voluntate viri et carnis, sed ex Spiritu Sancto, *Jo. 1,13*, generationem nos exsuperantem et futuram praenuntiat, quae ex Spiritu nobis concedenda erat; quin et cetera quoque omnia hujusmodi erant. Etenim tale erat et lavacrum: quidpiam enim ex veteri, quidpiam etiam ex novo habebat; nam a Propheta baptizari, per illud vetus exprimebatur, Spiritum autem Sanctum descendere, novum subindicabat.

7383 Ac quemadmodum si quis in medio stans duos alios sejunctos, expansis suis, arreptisque illorum utrinque manibus, conjunxerit, ita et ille fecit; vetus testamentum novo adjungens, naturam divinam humanae, sua nostris. Viden' urbis hujusce fulgorem, quantumque te a principio coillustraverit. Quomodo tibi regem ostendit statim in sua secie, quasi in medio exercitu? Neque enim ibi rex semper dignitatem suam ostendit, sed missa purpura et diademate, militarem saepe vestem induit. Sed ibi quidem ne, motus cum sit, hostes ad se attrahat; hic contra, ne notus cum sit hostem ex conflictus timore in fugam vertat, neve msuos conturbet; salutem enim ipsis, non terrorem afferre studet.

7384 Ideo statim ipsum illo nomine vocavit, nempe Jesum: Jesu Christi.

Jesum non [est nomen] graecum, sed hebraica lingua sic appellatur Jesus id quod graece significat (*in caratteri greci*) Sotèr: Salvator. Salvator dicitur, quod salvum faciat populum suum. Viden' quomodo auditorem erexit, consueto more verba faciens, ac per ea quae dicit, illa quae spem superant nobis omnibus indicat? Nam utriusque nominis magna erat apud Judaeos cognitio. Quia enim inexpectata quaedam agenda erant, jam nominum figurae praecesserant, ita ut jam olim omnis novitatis tumultus praereptus esset.

7385 Siquidem Jesus, qui post Moysem fuit, populum in terram promissionis introduxisse narratur. Vidisti figuram? Vide et veritatem: ille in terram promissionis, hic in coelum et in coelestia bona; ille post mortem Moysis, hic postquam lex cessavit; ille ut populi dux, hic ut rex. Sed ne Jesum audiens, ex nominum similitudine decipiaris, aliud subdidit: Jesu Christi filii David; ille vero non ex Davide, sed ex alia tribu erat.

7386 Cur librum vocat.

Matth. 1,1: *Liber generationis Jesu Christi*. [Cur ita], cum tamen non solam generationem, sed totam dispensationem complectatur? Quia hoc totius dispensationis caput est, alque principium nobis et radix omnium bonorum. Quemadmodum librum coeli et terrae vocavit Moyses, etiamsi non de coelo et terra tantum loquatur, sed de iis etiam quae in medio posita erant, ita et hic quoque, ex capite bonorum ac praeclare gestorum librum nuncupavit. Quod enim stupendum est, omnemque spem expectationemque superat, est hominem Deum fieri; quo facto, omnia secundum rationem et consequentiam eveniunt.

7387 *Filii David, filii Abraham, 1,1*.

- Cur non dixit: filii Abraham, et postea: filii David?

- Non, ut quidam opinantur, ab inferioribus volens ad superiora ascendere, alioquin id fecisset quod et Lucas; nunc autem e contrario facit.

- Cur ergo Davidem memoravit?

7388 - Quia ille in omnium ore ferebatur, tum ob gestorum splendorem, tum etiam temporis causa, quod non tot ante saeculis mortuus esset quot Abraham. Etiamsi vero utrique pollicitus sit Deus, illud tamen quasi antiquius tacebatur, hoc autem, utpote recentius, omnium ore circumferebatur. Ipsi namque dicunt, *Jo. 7,42*: Nonne Scriptura dicit quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?

7389 Nemo illum filium Abrahae, sed omnes filium David vocabant; nam ob temporis spatium, ut dixi, et ob regnum, in memoria hominum magis versabatur. Similiter et reges quos venerabantur, quique post illum fuere, ab illo cognominabant; nec ipsi solum, sed etiam Deus. Etenim Ezechiel, et alii prophetae, dicunt venturum esse David et resurrecturum esse, non de Davide qui mortuus erat loquentes, sed de iis qui ejus virtutem sectarentur. Ezechiae vero ait, *4 Reg. 19,34*: Protegam... urbem hanc et salvabo eam, propter me, et propter David servum meum. Salomoni vero dicebat, *3 Reg. 11,34*, se propter David, regnum vivente ipso (Salomone), non divisisse.

7390 Magna enim erat illius viri gloria, et apud Deum et apud homines. Ideoque ab illo qui notior erat exordium ducit, et tunc ad Antiquiorem parentem recurrit; superfluum ducens, quantum ad Judaeos, superius sermonem ordiri. Hi enim maxime mirabiles erant: hic ut pote rex et propheta, ille ut patriarcha et propheta.

7391 Et unde probatur, inquies, illum ex Davide ortum esse filii *David*?

Si enim non ex viro sed ex muliere tantum ortus est, virginis autem genealogia non texitur, quomodo sciemus ipsum ex Davide esse ortum? Duae namque sunt quaestiones: cur matris genealogia non texitur, et cur Joseph, qui nihil contulit ad generationem, ab illis memoratur. Videtur enim hoc redundare, et illud desiderari.

7392 Quid ergo prius perquirendum est? Quomodo ex Davide virgo orta fuerit?

Quo pacto autem sciemus ex Davide ortam esse? Audi Deum Gabrieli praecipientem ut adiret virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo et familia David, *Luc. 1,27*. Quid clarius postulas cum audis de domo et familia David virginem fuisse? Unde patet Joseph etiam inde ortum fuisse. Lex quippe erat quae vetaret uxores ducere nisi ex propria tribu. Patriarcha vero Jacob illum ex tribu Juda exoriturum esse praedixit, *Gen. 49,10*: Non deficiet sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.

7393 Certe haec prophetia, quod ex tribu David fuerit declarat; at non quod ex genere Davidis. Nam igitur in tribu Judda non aliud erat genus quam Davidis? Immo multa alia: et contingere potuit ut esset ex tribu Juda, quin esset ex genere Davidis. Verum ne hoc diceres, hanc tibi suspicionem tollit Evangelista, dicens illum fuisse ex domo et familia David. Quod si id aliunde etiam discere velis, non deerit alia probatio. Non modo enim non licebat ex alia tribu uxorem ducere, sed neque ex alia familia, idest ex alia cognatione. Itaque si illud "ex domo et familia David" Virgini aptemus, dictum illud constabit; si Josepho, illud ipsum consequitur; si enim ex domo et familia David erat Joseph, non aliunde accepit uxorem, quam ex cognatione sua.

7394 Quid vero, inquies, si legem transgressurus sit? Sed idcirco praeoccupans, testificatus est Joseph fuisse justum, ut ne hoc diceres; sed illius virtutem edoctus, nosses legem ab eo non fuisse violatam. Qui enim ita humanus erat, et a pravo hominis affectu vacuus, ut ne suspicione quidem urgente vellet de Virgine sumi supplicium, *Matth. 1,19,* quomodo libidinis causa legem transgressurus esset? Qui enim plus quam lex ferebat philosophabatur, nam dimittere, et occulte dimittere illud erat ultra legem philosophari, quomodo contra legem aliquid admitteret, idque nulla cogente necessitate?

7395 Verum ex genere David Virginem fuisse ex jam dictis patet. Jam vero operae pretium fuerit dicere cur non illius, sed Josephi genealogiam duxerit. Qua de causa igitur? Non erat mod apud Judaeos mulierum genealogias texere. Ut igitur secundum morem ageret, nec videretur illum ab initio transgredi, utque simul nobis Virginis genus indicaret, ipsius majores reticens, Josephi genealogiam duxit. Si enim id de Virgine fecisset, novitatis notam non effugisset; si Josephum tacuisset, Virginis progenitores non nossemus. Ut itaque discamus quae esset Maria et unde orta, legesque intactae manerent, sponsi ejus genealogiam contexuit, et ex domo David ostendit esse.

7396 Hoc enim commonstrato, illud quoque simul ostenditur, Virginem etiam inde ortam fuisse quandoque, ut dixi, noluisset justus ille aliunde uxorem accipere.

[Riassunto]. 1. Cur David mentio primum facta. 2. Librum vocavit *generationis Jesu Christi*. 3. Quare dixerit: Jesu Christi. 4. Quare generatio ait communis et non

communis. 5. Undenam Maria ex David orta ostendatur. 6. Cur illius majoribus silentio missis, genealogia Joseph inducitur.

7397 # MEDITAZIONE 3.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 1,2*-16 *Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. v. 3: Judas autem Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. v. 4: Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. v. 5: Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse; Jesse autem genuit David Regem. v. 6: David autem rex genuit Salomonem ex ea quae fuit Uriae. v. 7: Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. v. 8: Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. v. 9: Ozias genuit Joatham. Joatam autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. v. 10: Ezechias autem genuit Manassem. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. v. 11: Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis. v. 12: Et post transmigrationem Babylonis, Jeconias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. v. 14: Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. v. 15: Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Matham autem genuit Jacob. v. 16: Jacom autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.*

7398 Preludio 2. Dal detto Domenica apparisce la profonda natura di queste sentenze.

Preludio 3. Petizione.

- 1. David, 2. Salomon, 3. Roboam, 4. Abias, 5. Assa, 6. Josaphat, 7. Joram, 8. Ozias, 9. Joathan, 10. Achaz, 11. Ezechias, 12. Manasses, 13. Ammon, 14. Josiam.

- 1. Jechonias, 2. Salathiel, 3. Zorobabel, 4. Abiud, 5. Eliacim, 6. Azor, 7. Sadoc, 8. Achim, 9. Eliud, 10. Eleazar, 11. Mathan, 12. Jacob, 13. Joseph, 14. Jesus.

7399 Age, hodie quae residua sunt dicamus. Quid ergo jam quaerimus? Cur Josephi genealogia ducatur, qui nihil ad generationem contulit? Jam unam causam diximus; operae pretium est ut aliam dicamus magis mysticam et arcanam.

- Quaenam illa est?

- Nolebat Judaeis notum esse, ipso partus tempore, ex Virgine nasci Christum. Sed ne turbemini de inexpectata responsione; neque enim meus est hic sermo, sed patrum nostrorum admirandorum insigniumque virorum.

7400 Si enim multa suboscure ab initio loquutus est, Filius hominis sese vo-

cans, nec ubique suam cum Patre aequalitatem clare revelans, quid miraris, si hoc etiam adumbravit, magna quadam et mirabili usus oeconomia? Ecquid hic mirabile? inquies. Ut servaret Virginem, et a prava suspicione liberaret; si enim haec Judaei ab initio audissenti maligne rem interpretantes, Virginem lapidassent, atque ut adulteram damnassent. Nam si in aliis quorum etiam exempla habebant in Veteri Testamento, impudenter palam se gerebant, si quando daemonas ejecit daemoniacum vocabant, si quia in sabbato curavit, Deo adversarium putabant, etiamsi antea sabbatum saepe solutum fuisset, quid non dicturi erant, hoc audientes?

7401 Etenim pro ipsis pugnasset totum praeteritum tempus, ubi nunquam quid simile gestum fuerat. Si namque post tot signa, illum adhuc Josephi filium appellabant, quomodo ante illa signa ipsum ex Virgine natum credidissent? Ideo itaque ejus genealogia ducitur, Virginemque desponsat; quando enim Joseph vir justus et admirandus multis opus habuit, ut quod gestum erat edisceret, Angelo, visione per somnum et prophetarum testimonio, quomodo Judaei perversi et corres tam nova, tam inexpectata perturbatura erat, eo quod progenitorum suorum aevo nihil hujusmodi gestum unquam fuisset.

7402 Etenim, qui semel credidit illum esse Dei Filium, nihil hac de re ambigere debuit; qui vero illum seductorem et Deo adversarium existimaret, quomodo non hac de re magis offenderetur, qui in illam non deduceretur opinionem? Ideoque Apostoli hoc statim ab initio non dicunt, sed de resurrectione multa saepe disserunt, cujus jam exempla fuerant praeteritis temporibus, etsi non huic similia.

7403 Quod autem de Virgine natus sit, non ita frequenter dicunt; sed neque mater id est ausa proferre; vide namque qui illi Virgo dicat, *Luc. 2,48*: Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te. Nam si illud in suspicionem venisset, neque Davidis demum filius esse creditus fuisset; hac porro sublata opinione, multa alia suboritura mala erant. Propterea ne ipsi quidem Angeli illud dicunt; sed Mariae tantum et Josepho declararunt; cum vero pastoribus fausta nunciarent, id minima adjecerunt, *Luc. 2,10 sqq*.

7404 *Matth. 1,2*: *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam et fratres ejus.*

- Cur Abraham memorato, cum dixisset: genuit Isaac, Isaac... Jacob, nec fratrem Jacobi nominasset, cum ad Jacobum postea venit, Judam et fratres ejus commemorat?

- Quidam dicunt, id ob pravos Esau mores, et aliorum priorum factum esse. Ego vero illud non dixerim; nam si hoc esset, cur tales paulo post mulieres commemorat? Nam gloria ejus hic ex contrariis elucescit, non ex eo quod magnos habeat progenitores, sed potius exiguos et viles.

Sublimi enim haec magna gloria est, si possit demissus admodum et vilis apparere.

7405 - Cur itaque non commemoravi?

- Quoniam nihil commune habebant illi cum Israelitico genere; nempe Saraceni, Ismaëlitae, et Arabes, et quot quot ab illis majoribus nati sunt. Ideoque illis silentio missis, ad ejus et Judaici populi majores properat. Ideo ait: Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. Hic jam Judaeorum designatur populus.

7406 *Matth. 1,3*: *Judas autem genuit Phares, et Zaram de Thamar*.

Quid facis, mi homo? Dum historiam affers improbi coitus? Cur haec loquitur? Certe si nudi hominis genus enarraremus, jure quis haec tacuisset; si autem incarnati Dei, non modo haec non tacenda, sed etiam magnifice exponenda sunt, ut ejus et providentia et potesta ostendatur. Ideo namque venit non ut opprobria nostra fugiat, sed ut illa de medio tollat. Sicut non tam admiramur quod mortuus sit, quam quod crucifixus, licet res probrosa sit; sed quo probrosior tanto magis ejus erga homines amorem exhibet.

7407 Sic de generatione ejus dicendum non modo quod carnem susceperit admirandus est, sed etiam quod tales habere cognatos dignatus sit, nusquam de malis nostris susceptis erubescens. Illudque ex ipso generationis [exordio] praedicavit, se de nullo quod ad nos pertineat erubescere; per haec nos edocens ne umquam de majorum nostrorum nequitia erubescamus, sed unam solum quaeramus virtutem. Nam qui illam sectatur, etiamsi alienigenam progenitorem habeat, etiamsi matrem meretricem vel alio modo despiciendam, nihil hinc nocumenti passurus est; nam si fornicatorem qui resipuerit, nulla prior vita dedecore afficit, multo minus vir probus ex meretrice vel adultera natus, parentum improbitate dehonestabitur.

7408 Sic porro se gerebat non tantum ut nos institueret, sed etiam ut Judaeorum tumorem deprimeret. Quia enim animi virtute neglecta, Abrahamum semper ore ferebant, putantes proavorum virtutem defensioni sibi esse, ab ipso initio ostendit hinc minime gloriam aucupari oportere, sed de propriis recte factis. Post haec illud quoque agit, ut ostendat omnes peccatis obnoxios fuisse, etiam proavos ipsos. Nam ipse patriarcha qui nomen indidit genti non modicum in peccatum lapsus narratur; stat enim Thamar ejus fornicationem accusans. David quoque ex adultera muliere Salomonem suscepit. Si porro lex ne a magnis quidem illis viris impleta est, multo minus ab exiguis. Si autem impleta non est, omnes peccaverunt, ac necessarius fuit Christi adventus.

7409 Propterea duodecim Patriarchas commemoravit: Judam et fratres ejus, inde quoque jactantiam illam de progenitorum nobilitate deprimens; nem horum multi ex ancillis nati erant, et tamen parentum illa differentia, differentiam inter filios non intulit; omnes enim simul erant, et patriarchae, et tribuum principes. Illa quippe est Ecclesiae praerogativa; haec apud nos est nobilitatis dignitatisque ratio, cujus olim figura praecessit; ita sive servus, sive liber sis, nihil plus, nihil minus habeas; sed unum est quod quaeritur: voluntas, animique mores.

7410 Praeter ea quae dicta sunt, alia causa fuit haec commemorandi: neque enim sine causa post Phares, additus est et Zara; Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Erat enim redundans et superfluum post commemoratum Pharem, ex quo Christi genealogia ducitur, Zarae etiam facere mentionem. Cur ergo et hunc memoravit? Cum hos paritura Thamar esset, adveniente partu, Zara primus manum emisit e vulva; hoc conspecto obstetrix ut ille prior nosceretur, coccinea fascia manum ejus ligavit, ut porro ligata fuit, retraxit puer manum: quo facto egressus est Phares, et postea Zara. Hoc conspecto, obstetrix ait, *Gen. 38,29*: Quare divisa est propter te maceria?

7411 Viden mysteriorum aenigmata? Neque enim haec sine causa scripta nobis fuere, neque ad historiae dignitatem pertinebat dicere quid dixisset obstetrix, neque narrandum videbatur esse quod manum extulerit primus is qui secundus egressus est. Quodnam igitur hoc aenigma est? Primo ex ipso pueri nomine quaestionem solvimus; Phares, enim [interpretatur] divisio et concisio; secundo ex ipsa re gesta; neque enim ex naturali consequentia erat eum qui extulisset manum ipsam postea retrahere ligatam, nec id rationi vel naturae consonum videtur; nam praemissa quidem unius manu alterum egredi, id forte naturale fuerit, sed retracta manu alterri transitum praebere, id non fit ex more nascentium.

7412 Verum aderat Dei gratia, quae haec circa pueros dispensaret, et per haec futurorum quamdam imaginem adumbraret. Quid igitur ajunt quidam ex illis qui haec exploraverunt? Hosce pueros duorum esse populorum figuram. Deinde, ut discas secundi populi institutum prioris ortui praeluxisse, manum extendens puer non se totum exhibet, imo illam postea retrahit, et postquam totus frater egressus est, tunc et ipse totus apparet; id quod etiam in duobus populis gestum est. Nam cum ecclesiasticum institutum in diebus Abrahae apparuisset, deindeque in medio suppressus fuisset, venit Judaicus populus, et institutum legale, et postea novus ille populus cum legibus suis.

7413 Ideoque ait obstetrix: Quare divisa est propter te maceria? quia instituti libertatem lex superveniens dissecuit. Etenim legem Scriptura *sepem* vocare solet, *Ps. 79,13*: Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui praetergrediuntur viam? *Isai 5,2*: Et sepivit eam. *Eph. 2,14*: Medium parietem maceriae solvens. Alii illud: Divisa est propter te maceria, de novo populo dictum putant; hic quippe cum advenisset, legem abrogavit. Vides ipsum non levi de causa totam commemoravisse Judae historiam.

7414 Idcirco etiam Ruth et Rahab meminit:

Matth. 1,5: Salmon autem genuit Booz de Rahab; Booz autem genuit Obed ex Ruth, quarum altera alienigena, altera meretrix erat, ut edisceres ipsum venisse ut mala omnia nostra solveret; ut medicus enim, non ut judex venit. Quemadmodum igitur hi fornicarias duxere mulieres, ita et Deus naturam fornicatam copulavit sibi,

id quod olim prophetae circa synagogam factum esse dixerunt. Sed illa quidem conjugi suo ingrata fuit: ecclesia vero a patriis malis semel liberata, in sponsi amplexu permansit.

7415 Animadverte ea quae ad Ruth spectant nostris esse similia. Haec quippe alienigena erat, et ad extremam pauperiem deducta; attamen videns illam Booz, nec pauperiem despexit, neque ignobile contemsit genus; quemadmodum et Christus susceptam Ecclesiam, et alienigenam, et magnorum penuria bonorum laborantem, in consortem admisit. Ac quemadmodum illa, nisi prius patrem dimisisset, domum contemsisset, et genus, et patriam, et cognatos, nunqam tali connubio dignata fuisset, sic Ecclesia patriis dimissis moribus, tunc amabilis sponso fuit. Quod et Propheta ipsam alloquens declarat, *Ps. 44,11 sq*: Obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum.

7416 Hoc et Ruth fecit, ideo mater regum fuit, quemadmodum et Ecclesia; ex illa quippe ortus est David: *Booz autem genuit Obed ex Ruth; Obed autem genuit Jesse; Jesse autem genuit David regem, Matth. 1,5*.

Per haec igitur omnia pudore illos afficiens, suadensque ne altum saperent, genealogiam texuit, mulieresque illas in medium protulit; etenim magnum illa Regem per nepotes genuit, neque ea de re erubescit David.

7417 Non potest enim, non potest utique quispiam ex virtute aut ex nequitia majorum aut probus aut improbus esse, gloriosus vel inglorius. Verum si quid mirum dictum proferendum, ille majori fulget splendore, qui ex non probis majoribus ortus, probus tamen effectus est. Nemo igitur de iis altum sapiat, sed consideratis Domini progenitoribus totum abjiciat tumorem, et de solis probe gestis glorietur, imo nec de illis.

7418 MEDITAZIONE 4.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 1,17-19*: *Omnes itaque generationes ad Abraham usque ad David, generationes quattuordecim; et a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quattuordecim; et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quattuordecim. v. 18: Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater ejus Maria, Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. v. 19: Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. v. 20: Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. v. 21: Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

7419 *Matth. 1,17*: *Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quattuordecim; et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quattuordecim; et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quattuordecim.*

7420 Omnes generationes in tres partes divisit, ostendens illos etiam post reipublicae formam pluries mutatam, non evasisse meliores; sed sive aristocratiae, sive regno, sive oligarchiae parerent, in iisdem versatos malis esse; ac neque ducibus, neque sacerdotibus, neque regibus rempublicam administrantibus, majorem penes illos virtutis rationem fuisse.

7421 Cur autem in media parte tres praetermisit reges; in postrema autem parte generationibus duodecim tantum positis; quattuordecim ipsas esse dicit?

[Nota]: In quarto Regum, Joram generat Ochoziam, [ex quo] Joas, [ex quo] Ozias. Verum quia Evangelistae propositum erat tres tesserascedecades in divino temporum statu ponere, et Joram generi se miscuerat impiissimae Jezabel, idcirco usque ad tertiam generationem ejus memoria tollitur, ne in sanctae nativitatis ordine poneretur.

7422 Primam quaestionem vobis solvendam relinquo; non enim omnia solvere vobis necesse est, ne vobis fastidium generemus; secundam autem explanabimus. Mihi certe videtur captivitatis tempus, hic pro una generatione numerari, sed et ipsum Christum (alteram implere) quem ubique nobis conjungit. E re autem captivitatem illam commemorat, ostendens illuc deductos non temperantiores evasisse, ita ut prorsus necessarius videatur fuisse Christi adventus.

7423 - Quid ergo Marcus non idipsum agit, neque Jesu genealogiam recenset, sed compendio omnia refert?

- Mihi quidem videtur ante omnes Matthaeus manum operi admovisse, quapropter genealogiam accurate ponit, et in iis quae necessaria erant insistit; Marcus vero post ipsum scripsit, ideoque compendio studet, ut pote qui jam dicta et nota recenseat.

7424 - Cur ergo Lucas etiam genealogiam et quidem pluribus scribit?

- Quia Matthaeus jam praecesserat, viamque paraverat, voluit ille aliquid amplius nos edocere. Quisque discipulorum magistrum suum est imitatus: hic Paulum, ubertate flumina superantem; ille Petrum, brevitati studentem.

- Cur porro Matthaeus in exordio non dixit, sicut et Propheta: Visio quam vidi, vel: sermo factus est ad me?

7425 - Quoniam ad frugi homines scribebat, qui admodum dictis attenderent; etenim jam patrata miracula clamabant, et qui evangelium accipiebant plene fideles erant. Prophetarum vero tempore non tot erant miracula, quae auctoritatem ipsis inderent, et magna tunc erumpebat pseudoprophetarum turba, quibus magis attendebant Judaei; quamobrem hic proemiorum modus apud illos necessarius erat.

Si vero signa quandoque fierent, barbarorum causa, ut multi proselyti accederent edebantur.

7426 Fiebant quoque signa ad Dei potentiam exhibendam, quando adversarii, subactis Judaeis, deorum suorum vi et auxilio se vicisse putabant; ut in Aegypto contigit, unde promiscua turba profecta est, et postea in Babylone, quae ad fornacem et somnia spectant. Erat etiam cum signa ederentur in deserto, quando sui juris erant, quemadmodum et apud nos; etenim apud nos cum ab errore emergeremus, signa multa exhibita sunt; post haec autem, cum vera religio ubique disseminata esset, illa cessaverunt. Quod si post exitum ex deserto signa facta sunt, illa pauca et rariora fuerunt, ut cum sol substitit, vel cum retrorsum abivit.

7427 Signa quoque apud nos facta videre licuit, nam aetate nostra sub Juliano, qui omnes impietate superavit, multa mirabiliaque facta sunt. Cum enim Judaei templum Hierosolymitanum reaeficare tentarent, ignis e fundamentis erumpens omnes deterruit. Et cum Julianus furorem suum in vasa sacra exerceret, quaestor et Juliani avunculus ipsius cognominis, plexi sunt; prior enim a vermibus corrosus interiit, alter vero medius diruptus est; peractisque ibidem sacrificiis, fontes defecerunt, et fames valida quae eodem imperante civitates invasit, maximum miraculum erat.

7428 Solet enim Deus haec exhibere quando mala supra modum augentur; cum suos in aerumnis versari, adversariosque tyrannica vi debacchari videt, tunc suam ostendit potentiam. Id quod etiam in Perside circa Judaeos praestitit. Quod ergo non sine causa Christi progenitores in tres partes distribuerit, ex praedictis palam est.

7429 Animadvertas velim ubi incipiat et quo desinat. Ab Abraham in Davidem; a Davide in captivitatem Babylonis; ab hac in ipsum Christum. Nam initio ambos una serie posuit: Davidem et Abrahamum; deinde resumpta genealogia utrumque memoravit: nam, ut jam dixi, illis factae fuerant promissiones.

7430 - Cur porro, ut Babylonicam transmigrationem memoravit, non perinde descensus in Aegyptum mentionem fecit?

- Quia Aegyptios non ultra metuebant; Babylonos vero adhuc metuebant; illud enim priscum erat: hoc vero recens et paulo ante gestum; atque illuc non ob peccata deducti erant, isthuc vero scelerum causa translati fuerant.

Si quis vero nominum interpretationem aggredi etc.

7431 Cum itaque progenitores omnes enumerasset, et in Josephum desiisset, non hic stetit, sed addidit: Joseph virum Mariae, *1,16,* ostendens se propter illam ejus genealogiam duxisse. Deinde, ne audiens *virum Mariae* putares communi naturae lege Christum natum esse, animadverte quomodo ea addat quae opinionem istam corrigant. Audisti, inquit virum, audisti matrem, audisti nomen puero datum: audi etiam generationem.

7432 *Matth. 1,18. Christi autem generatio sic erat...*

- Quam mihi, quaeso, generationem narras? Nam progenitores ejus jam dixisti.

- At volo etiam generationis modum exponere. Viden quomodo auditorem excitaverit? Nam quasi novi quidpiam dicturus, se modum quoque explicaturum promittit. Et vide mihi optimam dictorum consequentiam; non enim statim ad generationem venit, sed nos primum edocet quotus esset ab Abrahamo, quotus a Davide et a transmigratione Babylonis, et diligentem auditorem per haec ad temporum supputationem invitat, ostendens hunc esse Christum a Prophetis praedicatum.

7433 Cum enim generationes numeraveris, atque ex temporis computatione didiceris eumdem ipsum esse, facile excipies miraculum in ejus ortu patratum. Quia enim magnum quidpiam loquuturus erat, quod ex Virgine natus esset, priusquam tempus computet, suboscure loquitur, *virum Mariae* dicens, quin et generationis seriem intersecat; insuper annos enumerat, admonens auditorem hunc ipsum esse quem patriarcha Jacob, deficientibus demum Judaici populi principibus, ad futurum dixit; quem Propheta Daniel post multas illas hebdomadas venturum esse praedixit. Si quia autem voluerit annos illos, per hebdomadarum numerum ab Angelo dictos, ab aedificatione urbis enumerans, in ipsius ortum descendere, haec cum illis consentire deprehendet.

7434 - Dic ergo quomodo natus sit.

Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph... 1,18.

Non dixit *virgo* sed simpliciter *mater*, ut sermo facile caperetur. Ideo cum prius praeparasset auditorem ad aliquid eorum quae ex more veniunt audiendum, et in hac cogitatione retinuisset, tunc percellit, rem admirandam subjungens his verbis:

7435 *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, ibi.*

Non dixit: antequam duceretur in domum sponsi: intus enim jam erat; nam mos priscis erat sponsas ut plurimum domi tenere: imo etiam nunc id videre est; et Loti generi cum ipso habitabant. Habitabat ergo et ipsa cum Josepho.

[Nota]: Quod fuerit vere uxor, sententia est aliorum Patrum, quam sequitur *S. Thomas*, et ut melior probata est apud *Benedictum XIV*.

7436 - Sed cur non ante sponsalia concepit?

- Ut, quemadmodum dixi, res occultaretur et ut virgo pravam omnem suspicionem effugeret. Quando enim ille qui plusquam omnes zelotypia corripi poterat, videbatur eam non modo traducere nec inhonorare, sed etiam in consortium accipere, ipsique ministrare praegnanti, palam est eum non sic facturum, nisi persuasum habuisset eam ex Spiritu Sancto concepisse; alioquin illam nec apud se retinuisset, nec in aliis suo ministerio dignatus esset.

7437 Apposite autem et illud adjecit: inventa est in utero habens; id quod dici solet in rebus stupendis, quae praeter spem et expectationem omnem accidunt. Ne

igitur ultra procedas; ne quid quaeras ultra ea quae dicta sunt; neque dixeris: Quomodo Spiritus Sanctus id ex Virgine operatus est? Si enim natura operante nmo potest formationis modum explicare, quomodo Spiritu mirabiliter agente poterimus haec explanare? Ne enim evangelistam vexares, et importunis quaestionibus exagitares, ipse enunciatio miraculi auctore, sese his omnibus liberavit. Nihil ultra scio, nisi a Spiritu factum esse.

7438 Erubescant ii qui supernam generationem curiosuius explorant; si enim hanc quae innumeris testibus celebratur, et ante tot saecula praenunciata fuerat, quae et oculis et tactui pervia fuit nemo potest explicare, in quem non insaniae cumulum deveniunt ii qui arcanam illam curiose scrutantur et explorant? Neque enim Gabriel, neque Matthaeus aliud quidpiam dicere potuerunt, nisi quod ex Spiritu natus sit; quomodo autem, et qua ratione natus sit, nullus eorum est interpretatus; neque enim id fieri poterat.

7439 Neque arbitreris te totum edidicisse cum audis "ex Spiritu"; nam postquam hoc edidicimus, multa adhuc ignoramus; exempli causa: quomodo is qui immensus est in vulva continetur; quomodo is qui omnia continet in utero mulieris gestatur; quomodo Virgo pariat et Virgo permaneat. Quomodo, quaeso te, Spiritus templum illud efformavit? Quomodo non totam carnem ex matre sumsit, sed partem ejus, quam auxit et formavit? Nam quod ex carne Virginis prodierit, declaravit his verbis: Quod enim in ea natum est. *Matth. 1,20* et *Gal. 4,4*: Factum ex muliere. Ex muliere, inquit, ora obstruens eorum qui dicerent, quasi per quemdam canalem per eam transisse Christum. Nam si hoc esset, quid utero opus fuisset? Quod igitur ex nobis, ex massa nostra, et ex utero Virginis prodierit, palam est: quomodo autem, non item. Ne igitur id tu quaeras; sed accipe id quod revelatur, et ne curiose scrutare id quod tacetur.

7440 *Matth. 1,19*: *Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.*

Cum dixisset: ex Spiritu Sancto, et sine ullo congressu, sermonem suum etiam aliunde confirmat. Ne quis enim diceret: Unde hoc manifestum est? Quis novit, quis audivit tale quidpiam factum esse? Ne suspicaveris discipulum in gratiam magistri hoc commentum esse, inducit Josephum, per ea quae passus est his fidem facientem. Quasi dicat: Si mihi fidem non habes, si testimonium meum tibi suspectum est, crede viro illius.

7441 *Joseph... vir ejus, cum esset justus*: [scilicet] omni virtute praeditus. Ad justitiam enim pertinet non esse avarum, estque justitia omnis virtus; et hoc maxime sensus Scriptura justitiae voce utitur, ut quando dicit, *Job. 1,1*: Homo justus, verax; Luc. 1,6: Erant ambo justi. Cum esset justus: [idest] benignus, moderatus.

7442 *Voluit occulte dimittere eam, 1,19*. Ideo id quod contigit enarrat ante noti-

tiam datam, ut ne fidem deroges iis quae re cognita [gesta sunt]. Certe si talis illa fuisset, non modo digna erat quae traduceretur, sed etiam illam supplicio affici lex jubebat; verum Joseph non modo ei quod majus, sed etiam ei quod minus erat consuluit, nempe pudori. Non modo enim punire nolebat, sed ne traducere quidem.

7443 Nollet eam traducere, *ibi*. Vidistin' philosophum virum, et tyrannico illo affectu vacuum? Nostis enim quantus morbus sit zelotypia; quamobrem is qui id probe sciebat, dixit, *Prov. 6,34*: Zelus et furor viri non parcet in die vindictae; *v. 35*: nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Cant. 8,6: Dura sicut infernus aemulatio. Certe multos novimus qui malint animam amittere, quam in zelotypiae suspicionem incidere; hic porro non mera suspicio erat, cum tumor rem palam faceret. Attamen ita erat ab hoc animi morbo liber ut ne in minimis quidem vellet Virgini moestitiam inferre.

7444 Quia ergo illam intus apud se retinere per legem non licere videbatur, traducere autem illam et in judicium trahere, id necessario erat ad mortem tradere, neutrum fecit, sed supra legem jam se gerere coepit. Oportebat enim jam adveniente gratia, multa signa adesse sublimis hujusce instituti. Quaemadmodum enim sol, nondum radios ostendens, eminus in partem maximam orbis illustrat, sic quoque Christus ex utero illo exoriturus, antequem egrederetur orbem totum illuminavit. Idcirco vel ante partum prophetae exultabant, et mulieres futura praedicebant, et Joannes nondum et vulva egresus ab utero exultabat. Hic itaque multam Joseph ostendit philosophiam: neque enim accusavit illam, neque exprobravit illi, sed dimittere tantum cogitabat.

7445 In hoc rerum statu, et in hac negotiorum difficultate, advenit Angelus qui anxietatem omnem tollat. Quaerendum autem est cur Angelus non ante venerit, quam vir ille haec in animo versaret, sed cum haec ille cogitaret, tunc venerit:

Matth. 1,20: *Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit*, quamquam etiam antequamm illa conciperet nuncius accesserit; unde etiam alia quaestio oritur; nam etsi Angelus viro non dixerit, cur Virgo tacuit haec ab Angelo audita, et cum sponsum suum anxium videret non ejus anxietatem sustulit?

7446 Cur ergo antequam ille turbaretur Angelus non rem illi aperuit? Nam operae pretium est priorem quaestionem primo solvere.

- Quare rem illi non aperuit?

- Ne dicto fidem negaret, et idipsum accideret illi quod Zachariae; nam re oculis percepta, facile erat tunc credere; cum autem nondum coepisset, non facile credi poterat. Ideo id Angelus initio non dixit, et Virgo eadem de causa tacuit. Neque enim putasset sibi rem incredibilem nuncianti a sponso fidem esse habendam; imo timuisset se illum in iram concitaturam esse, quasi admissum peccatum tegentem. Si enim etiam ipsa quae tantam gratiam perceptura erat dixit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? *Luc. 1,34,* multo magis ille dubitasset, cum maxime

id audisset a muliere hinc sibi suspecta. Ideo Virgo quidem nihil ipsi dicit; Angelus vero tempore congruenti advenit.

7447 - Quare, inquies idipsum erga Virginem non fecit, nec post conceptionem ipsi rem nunciavit?

- Ne in perturbatione magna foret. Ne itaque id eveniret, ante conceptionem venit Angelus; etenim oportebat imperturbatum esset uterum illum in quem omnium Creator ingressurus erat, et omni tumultu vacuam animam illam quae mysteriorum tantorum ministra futura erat. propterea Virgini ante conceptionem, Josepho autem cum gestaret uterum Virgo loquutus est; quod multi simpliciorum non intelligentes, hic dissonantiam esse dixerunt; quoniam Lucas dixit Mariae nuncium venisse, Matthaeus autem Josepho; non advertentes utrumque gestum fuisse. Id quod etiam in omnibus historiis observandum est; sic enim multas dissonantias, ut quidem putantur, expediemus.

7448 Venit itaque Angelus perturbato Josepho; nam et propterea ea quae supra dicta sunt, et ut ejus philosophia appareret, adventum differt. Cum vero res jam esset implenda, advenit demum. *Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis, 1,20.*

7449 Viden' viri moderationem? Non modo non punivit, sed nemini dixit, ac ne illi quidem quae in suspicionem veniebat, sed rem secum cogitabat, et secessus causam Virgini obtegere studebat; neque enim dixit voluisse illam ejicere, sed dimittere; usque adeo benignus ac moderatus vir erat.

Haec autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit ei in somnis, 1,20.

7450 - Et cur non aperte, ut pastoribus et Zachariae visus est, nec non etiam Virgini?

- Admodum fidelis vir erat, neque egebat tali visione; nam Virgo cui annunciabatur res tanta, et longe major quam Zachariae, etiam ante rem ipsam egebat mirabili quadam visione; pastores vero, ut pote qui agrestiores essent, apertiore visione opus habebant; hic autem post partum, cum suspicione animi teneretur, et paratus esset ad bonam spem facile reduci si quis hac in re dux illi appareret, revelationem accipit.

7451 Ideo post suspicionem adest bonus nuncius, ut hoc ipsum illi foret vera supra dictorum demonstratio. Cum enim nemini dixisset, sed animo solum haec cogitasset, et hac de re loquantem Angelum adudiret, indubitatum ipsi signum erat Angelum a Deo jussum haec dictum venisse; ipsius enim solius est cordis arcana scire. Vide itaque quanta efficiantur: viri philosophia ostenditur, et illud opportune ab Angelo prolatum ad fidem ejus firmandam confert, dictumque ipsum sine suspicione manet quod ostendit ipsum ea passum esse quae vir quivis pati poterat.

7452 - Quomodo autem fidem ipsi facit Angelus?

- Audi, et mirare dictorum sapientiam. Accedens ait: *Joseph, fili David, noli*

timere accipere Mariam conjugem tuam, Matth. 1,20.

Statim Davidem in memoriam revocat, unde nasciturus erat Christus, neque sinit illum turbari, dum per majorum nomen promissionem universo generi factam in memoriam revocat.

7453 - Sed cujus rei gratia filium David ipsum appellat?

- *Ne timeas*: Quamquam alibi Deus non ita fecit, sed quodam de uxore Abrahae secus quam oportuerat cogitante, terroribus minisque in loquendo usus Deus est, *Gen. 30,3 sqq,* etiamsi ibi quoque res per ignorantiam fieret; neque enim rerum ignarus ille Saram acceperat: attamen perterrefecit eum. Hic autem mitius agitur; ingens enim erat rerum quae agebantur magnitudo, magnumque inter virum utrumque discrimen; quapropter non erat increpatione opus.

7454 Cum autem dixit: *Ne timeas*, declarat ipsum nutare de Deum offendat. His igitur omnibus declaratur a Deo venisse Angelum qui omnia quae cogitavit et animo passus est Joseph, in medium attulit et exposuit; Virginis autem pronunciato nomine, non hic estetit, sed addidit: conjugem tuam.

7455 *Accipere conjugem tuam*: [quod est] domi retinere. Jam enim animo dimiserat. Hanc dimissam retine quam tibi Deus tradit, non parentes; tradit autem non ad nuptias, sed ut cum illa habites; tradit porro per vocem meam, ut illam postea Christus tradidit discipulo, ita et nunc Josepho traditur.

7456 Deinde rem obscure indicans, pravam suspicionem non nominavit, sed honestiore congruentioreque modo conceptionis exposita causa, illam sustulit, ostendens eum propter eamdem ipsam causam qua timebat, et illam dimittere volebat, jure illam recipere et retinere debere; sicque ex abundanti ejus moestitiam resolvit. Non modo, inquit, illicito congressu pura est, sed etiam supra naturam uterum gestat; ne igitur metum ponas tantum, sed in magnam erumpe laetitiam:

7457 *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est, 1,20*.

Stupendum dictum, humanam cogitationem superans, legesque naturae transcendens. Quomodo igitur credet vir, tales non expertus narrationes? A praeteritorum, inquit, revelatione. Ideo omnia quae mente cogitabat, revelavit, quae passus est, quae timuit, quae facere meditabatur, ut illis in medium adductis, etiam his fidem haberet; imo non ex praeteritis tantum sed etiam ex futuris ad credendum illum inducit.

7458 *Matth. 1,21*: *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.*

Ne putes enim, quia ex Spiritu Sancto est, te ideo alienum esse a ministerio oeconomiae illius; etiamsi enim nihil ad generationem conferars, sed intacta virgo maneat, attament quod est patri proprium etsi virginitatis dignitatem non labefactet, hoc tibi confero, ut nato nomen imponas. Tu enim vocabis (illum). Etsi namque filius tuus non sit, tu paternam erga illum curam geras; ideo vel ab ipsa nominis impositione, nato te parentis loco adjungo.

7459 Deinde ne quis ideo cum patrem esse suspicaretur, audi quam accurate sequentia ponat: *pariet... filium 1,21*. Non dicit: pariet tibi, sed indeterminate posuit; non enim ipsi peperit, sed universo orbi. Ideoque nomen ejus ex coelo detulit Angelus, hinc ostendens mirabilem esse partum, quod Deus ipse nomen ejus de coelo per Angelum Josepho miserit; neque enim ipsum casu et sine causa datum fuit, sed est mille bonorum thesaurus. Idcirco ipsum Angelus interpretatur, optimamque spem offert, et hac ratione fidem ipsi conciliat; nam propensius inclinamur ad res hujuscemodi, ideoque illis facilius credimus.

7460 Cum igitur ex omnibus ad fidem ei habendam praeparasset, ex praeteritis, ex futuris et ex praesentibus, nec non ab honore ipsi debito, inducit prophetam, opportune his omnibus calculum dantem. Priusquam vero ipsum inducat, bona per ipsum orbi conferenda pronunciat.

- Quaenam illa?

- Ereptio a peccatis:

7461 *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum, 1,21.*

Hic quoque stupendum quidpiam indicatur; non enim a bellis sub sensum cadentibus, non a barbaris, sed quod longe majus erat, a peccatis liberandum populum ipsius annuntiat, id quod nemo ante facere potuerat.

- Et qua de causa, inquies, populum suum dixit, neque gentes adjecit?

- Ne statim auditorem percelleret; alioquin vero intelligentia praeditus auditor, hic gentes quoque subindicari perspicit. Populus enim ejus sunt non Judaei tantum, sed omnes qui accedunt et ejus doctrinam cognitionemque suscipiunt.

7462 Animadverte autem quomodo ejus dignitatem nobis aperuerit, populum suum appellans populum Judaicum. Hoc enim nihil aiud significat, quam eum qui natus est esse Filius Dei; ac de rege superno sermo ipsi est; neque enim alia potestas peccata remittere valet, nisi ea quae ad illam substantiam pertinet.

Quoniam igitur tantum accepimus donum, nihil non agamus ne tantum beneficium dehonestemus; si enim ea quae ante hunc honorem gesta sunt digna ultione erant, multo magis post ineffabile illud beneficium.

7463 MEDITAZIONE 5.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 1,22-25. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino pr Prophetam dicentem: v. 23: Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus. v. 24: Exsurgens*

autem Joseph a somno, fecit sicut praecepit ei Angelus domini, et accepit conjugem suam. v. 25: Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum; et vocavit nomen ejus Jesum.

7464 Si quis denarios paucos (etiam) acceperit, (diligenter) in crumena reponit et sigillo munit. Lectionis fructum in mente nondum probe defixum, externarum rerum tumultus incidens, totum aufert et abrigit.

7465 Attenzione nell'udire, diligenza nel custodire. Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud, *Luc. 11,28*.

Ita enim multo dociliores ad ea quae dicenda sunt occurremus; nobisque labor minor, ac vobis majus lucrum accedet, cum ea quae nuper dicta sunt memoria retinentes sic sequentia audietis.

7466 Non enim id parum confert ad dictorum intelligentiam si seriem sententiarum nostrarum accurate teneatis. Quia enim non possumus omnia uno die complecti, si ea quae singulis vobis diebus proponimus, ut totum Scripturae corpus simul appareat. Revocatis igitur in mentem iis quae nuper dicta sunt, sic hodie ad ea quae proponenda sunt accedamus.

7467 *Matth. 1,22*: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: v. 23: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel.*

Digna miraculi voce pro viribus clamavit dicens: Hoc autem totum factum est. Quia enim vidit pelagus et abyssum benigitatis Dei, et id quod nunquam speratum fuerat evenisse, naturae solutas leges, reconciliationem factam, et omnium supremum ad omnium infimum descendisse, medium murum sublatum, et impedimenta abacta, multoque plura his gesta alia, uno verbo miraculum declaravit, dicens:

7468 *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino, 1,22.*

Ne existimes, inquit, id modo decretum esse; jam olim praefiguratum fuerat, id quod etiam Paulus demonstrare studuit.

Per prophetam dicentem: Jam vero Josephum ad Esaiam remittit, ut si experrectus verborum ipsius ut pote recens dictorum oblitus esset, propheticorum, in quorum meditatione nutritus fuerat, semper recordatus, quae dicta sibi erant retineret. Et ante hac quidem dixerat: Mariam conjugem tuam; hic vero, postquam Prophetam adduxit in medium, nunc demum nomen virginitatis illi credidit et patefecit; neque enim tam imperturbato animo fuisset, audito Virginis nomine, nisi prius id ab Esaia audivisset.

7469 Nihil enim stupendum, sed rem sibi haec multo tempore meditanti familiarem auditurus erat a Propheta; ideo Angelus ut rem credibilem redderet, Esaiam in medium adducit. Neque hic gradum [sistit]; sed ad Deum haec loquentem erigit

eum, non enim Prophetae verba esse dixit, sed a Deo universorum prolata. Ideo non dixit: Ut impleretur quod dictum est ab Esaia; sed: quod dictum est a Domino. Os quippe erat Esaiae, oraculum vero e supernis delatum. Quid autem ait hoc oraculum? Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium. [Nota]: (In Isaia habetur: in utero...) et vocabunt nomen ejus Emmanuel.

7470 - Cur ergo, dices, non vocatus est Emmanuel, sed Jesus Christus?

- Quia non dixit: Vocabis; sed: vocabunt; nempe populi et ipse rerum exitus. Hic rei quae contigit nomen imponit, et hic est mos Scripturae: res quae contingunt, pro nomine ponere. Nihil enim aliud est illud: Vocabunt... Emmanuel, quam: Videbunt Deum cum hominibus.

7471 *Quod est interpretatum: Nobiscum Deus, 1,23*. Nam semper cum hominibus fuit, sed nunquam ita manifeste. Quod si impudenter obsistant Judaei, interrogabimus eos: Quando nam vocatus est puer, *Isai 8,3*: Accelera spolia detrahere, festina praedari? Cur ergo Propheta dixit: Voca nomen ejus: Accelera spolia detrahere? Quoniam ipso nato, depopulatio et spoliorum direptio facta est; ideoque rem quae circa ipsum contigit, quasi nomen ipsi imponit.

7272 De Virginitate auntem Beatae Mariae, non simpliciter dixit Propheta: Ecce Virgo in utero habebit. Sed cum ante dixisset: Ecce dabit Dominus ipse vobis signum, tunc subjecit: Ecce Virgo in utero habebit. Atqui nisi virgo fuisset illa quae paritura erat, et si ex connubii lege id futurum erat, quod tandem id signum fuisset? Signum enim rerum communem ordinem debet excedere, atque omnino inexpectatum et insolitum esse; alioquin, quomodo signum esset?

7473 *Matth. 1,24: Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut praecepit ei Angelus Domini.*

Vidistin' obsequentiam, et animum obtemperantem? Vidistin' animam vigilem et nulli personarum acceptioni obnoxiam? Neque enim cum suspicabatur illam apud se retinere voluit, neque amota suspicione illam ultra dimittere sustinuit; imo vero illam retinuit, ac totius dispensationis minister affectus est.

7474 *Et accepit conjugem suam, 1,24*.

Viden' quam frequenter hoc nomen proferat Evangelista, quod nolit interim mysterium illud revelare, dum malam amovet suspicionem?

Matth. 1,25: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*.

Donec hic posuit, non ut suspiceris illam postea cognovisse Josephum, sed ut scias Virginem usque ad partum intactam fuisse.

7475 - Cur autem ait: Donec peperit?

- Hic mos loquendi in scriptura saepe observatur, ita ut haec vox non pro definito quodam tempore ponatur; nam de arca loquens, ait, *Gen. 8,6*: Dimisit corvum, *v. 7*: qui egrediebatur, et non revertebatur, donec siccarentur aquae; etsi postea reversus non sit.

7476 De ipso etiam Deo sic loquitur, *Ps. 89,2*: A saeculo et usque in saeculum tu es, nullos sic terminos ponens; rursumque pronuncians, *Ps. 71,7*: Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna, nullum terminum pulchro huic elemento statuit. Ita et hoc loco *donec* dixit, ut quae partum antecedebant firmaret, et quae sequebantur tibi consideranda relinqueret. Quod enim ab eo tibi discendum erat, hoc dixit, nempe Virginem usque ad partum intactam mansisse.

7477 Quod autem ex dictis consequi et in confesso esse videbatur, hoc tibi intelligendum reliquit: nempe virum illum justum eam quae sic mater effecta ac tam novo et insolito puerperio dignata fuerat, tangere non ausum fuisse. Nam si cognovisset eam, et uxoris loco habuisset, quomodo illam quasi nullum habentem virum discipulo commendasset, jubens eam in sua accipere?

7478 - Quo pacto ergo, inquies, Jacobus et alii ejus fratres appellantur?- Quaemadmodum et Joseph vir Mariae esse existimabatur. Multa enim erant posita velamina ut hujusmodi partus occultaretur; ideoque Joannes illos sic vocabat his verbis, *Jo. 7,5*: Neque enim fratres ejus credebant in eum. Attament qui prius non crediderant, admirandi et praeclari postea extiterunt.

7479 *Peperit filium suum primogenitum*, *1,25.*

Ex hoc loco quidam perversissime suspicantur et alios filios habuisse Mariam, dicentes primogenitum non dici nisi qui habeat et fratres; quum hic mos sit divinarum Scripturarum, ut primogenitum non eum vocent quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit. *S. Hieronymus* ibi, et contra Helvidium, *t. 7,14 A. et t. 2,206, C. sqq.* Nos autem ita definimus: Omnis unigenitus est primogenitus: non omnis primogenitus est unigenitus. Primogenitus est non tantum post quem et alii, sed ante quem nullus.

7480 *Exod. 34,19*: Omne quod aperit vulvam generis masculini meum erit de cunctis animantibus, tam de bobus quam de ovibus, meum erit. *Num. 18,15*: Quidquid primum erumpit e vulva cunctae carnis quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive ex pecoribus fuerit, tui juris erit; ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias, et omne animal quod immundum est, redimi facias. Definivit sermo Dei quid sit primogenitum: Omne quod aperit vulvam. Alioquin si non est primogenitus nisi is tantum quem sequuntur fratres, tamdiu sacerdotibus primogenita non debentur, quamdiu et alia fuerint procreata, ne forte, partu postea non sequente, unigenitus sit, et non primogenitus.

7481 MEDITAZIONE PREPARATORIA.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 2,1-3*: *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam, v. 2: dicentes: Ubi est qui natus est rex Judaeorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum. v. 3: Audiens autem Herodes rex, turbatus est et omnis Hierosolyma cum illo.*

7482 *Matth. 2,1*: *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam.*

Multa nobis opus est vigilantia, multis precibus, ut praesentem locum explicare possimus, ac scire qui sint hi Magi, unde, quomodo, et quo suadente venerint, et quaenam illa stella fuerit. Imo etiam, si vultis, ea primum in medium adducamus quae dicunt veritatis inimici.

7483 1.- Ecce Christo nato stella apparuit: quomodo ergo astrologiam solvit, fatum sustulit?

2.- Quomodo etiam Magi per hujusmodi stellam ediscunt ipsum esse regem Judaeorum, cum certe non hujusmodi regni rex esset, ut ipse Pilato dicebat, Jo. 18,36: Regnum meum non est de hoc mundo. Nihil quippe tale monstravit: non hastatos, non clypeatos, non equos, non mulorum jugum, neque quidpiam simile circum se habuit, sed vilem et pauperem vitam agebat, duodecim tantum viros, eosque despicatissimos circumducens.

7484 3.- Sed etiamsi ipsum scirent esse regem, cur tandem illum adeunt? Neque enim illud astronomiam spectat ut ex stellis cognoscantur ii qui nascuntur, sed ut ex hora qua nascuntur praenuntientur ea quae ipsis eventura sunt, uti quidam narrant.

Hi vero neque parienti matri aderant, neque tempus noverant quo natus est; neque inde initio ducto ex stellarum motu, quae eventura erant praedixerunt; sed e contrario, cum stellam multo ante tempore in regione sua fulgentem vidissent, natum visuri accedunt; quod sane majoribus difficultatibus obnoxium est, quam id quod praecedit.

7485 4.- Quaenam illos ratio movit? Qua spe fulti, ex tanto terrarum spatio adoratum regem veniunt? Nam si quidem rex ipsorum futurus erat, ne sic etiam congruentem habuere rationem; etenim si in regiis aedibus natus fuisset, rege patre praesente, jure quis diceret ipsos ut patri placerent natum puerum adoravisse, ut hoc praemisso cultu, regis benevolentiam sibi conciliarent. Cum vero scirent ipsum regem suum non esse futurum, sed alienae gentis, a regione sua longe remotae, ipsumque ad viri aetatem nondum pervenisse, cur tantam peregrinationem suscipiunt?

7486 5.- Cur dona afferunt, quando maxime cum periculo haec facturi erant? Siquidem, hoc audito Herodes turbatus est, turbatus item populus totus, cum haec

ex illis audirent, *Matth. 2,3*.

- At, inquies, haec illi non praesciebant.

Verum id cum ratione pugnat. Nam etsi, admodum insipientes fuissent, ignorare non poterant se in urbem regi subditam venientes, taliaque nunciantes, aliumque ab eo qui tum regnabat regem esse monstrantes, sexcentis sese mortis periculis objicere.

7487 6.- Cur autem pannis involutum adorarunt? Nam si vir saltem fuisset, dici potuisset illos quod opem ejus expectarent se in apertum peruculum conjecisse; quod tamen ipsum extremae dementiae fuisset, Persam, barbarum, qui nihil commune habebat cum Judaeorum gente, a propria terra discedere velle, ac patriam, cognatos et domum relinquere, seque alteri regno subjicere.

7488 7.- Quod si hoc stultum fuisset, quod sequitur longe stultius.

- Quidnam illus est?

- Quod tam longi spatium itineris emensi, postquam adoraverant et tantum apud omnes tumultum excitaverant, statim reversi sint.

7489 Quae tandem viderunt regni insignia? Tugurium, praesepe, puerulum in cunabulis, matrem pauperem. Cuinam munera obtulerunt, et qua de causa? An ea lex, is mos erat, ut omnibus per orbem nascentibus regibus id obsequii tribueretur? An semper terrarum orbem circuibant, ut quos scirent ex vilibus et pauperibus reges futuros, antequam in regium solium ascenderent, adorarent? Nemo sane illud dixerit.

7490 8.- Cur ergo illum adorarunt? Si rerum praesentium causa, quid se sperare poterant a puerulo et inope matre accepturos? Si futurorum gratia, unde scire poterant puerulum in cunabulis adoratum, eorum quae tum gesta sunt recordaturum esse? Quod si mater illum admonitura erat, supplicio potius quam praemio digni erant, qui in apertum periculum illum coniecissent; exinde enim Herodes turbatus quaerebat illum, scrutabatur et interficere tentabat; atque ubique terrarum, qui aliquem in tenella aetate privatum, regnaturum esse palam praedixerit, nihil aliud agit quam quod ipsum neci tradat, vel contra illum bella excitet innumera.

7491 Viden' quanta hinc absurda nascantur, si secundum rerum humanarum seriem vulgaremque morem res expoloretur. Neque tamen haec tantum, sed etiam multo plura dici possent, quae majorers iis quas supra diximus parerent quaestiones. Sed ne difficultates difficultatibus nectentes in caliginem obscuritatemque vos dejiciamus; ago demum, ad quaesitorum solutionem properemus, et a stella ducamus initium. Si enim discamus quae, vel qualis illa sit, an ex numero aliarum, an diversa ab illis, an natura sua, an specie tantum stella tunc facile cetera omnia sciemus.

7492 - Unde ergo haec comperiamus?

- Ex ipsa Scriptura. Quod enim haec stella non ex numero aliarum, sed ex motu

invisibilis virtutis ducta [sit] ab ejus itinere arguitur. Nulla enim, nulla utique stella est quae tali pergat via; nam et solem, et lunam, et alias omnes stellas ab oriente videmus ad occidentem pergere; ea modo lucem emitteret, modo cessaret; nam venientibus in Palaestinam luxit, postquam autem Hierosolymam advenerant, sese occultavit, deinde, Herode relicto, postquam illum de causa itineris certiorem fecerant, iter suscepturis apparuit; quod certe non stellae motui competit, sed virtuti intelligentia praeditae.

7493 Neque enim proprium sibi cursum habebat; sed ubi pergendum erat illa pergebat, ubi standum stabat, scundum opportunitatem omnia dispensans, sicut columna illa nubis, quae Judaeis monstrabat quando castra movere, quando sistere oporteret.

Secundo, ab ipso lucendi modo id clare discitur; non enim in alto caelo constituta, neque enim poterant illo modo dirigi; sed inferne demissa locum monstrabat. Nostis enim non posse stellam locum ita parvum monstrare qui tugurium contineret, imo locum qui corpus infantuli capere posset; quia enim immensa erat altitudo, non poterat stella tam angustum locum indicare, volentibus invisere.

7494 Illud vero ex ipsa luna deprehendere est, quae cum stellas omnes tantum superet, universis orbem incolentibus et in tanta terrae latitudine diffusis, vicina esse videtur. Quomodo igitur, quaeso, locum ita angustum praesepis et tugurii stella ostendisset, nisi relicta illa celsitudine, ad inferiora descendisset, et supra caput ipsum pueri stetisset? Quod subindicans Evangelista dicebat: *Ecce stella antecedebat eo, usque dum veniens staret supra ubi erat puer, Matth. 2,9*. Viden' quot argumentis probatur hanc stellam non fuisse ex numero aliarum, neque secundum seriem externae illius genesis apparuisse?

7495 - Cur ergo apparuit?

- Ut Judaeorum stupiditatem incesseret, atque ingratis adimeret omnem defensionis ansam. Quia enim adveniens ille vetus institutum abrogaturus, orbemque ad unum eumdemque cultum deducturus, ipseque in mari et terra ubique adorandus erat, ab ipsis statim initiis ostium gentibus aperit, ut alienorum exemplo suos etiam erudiret.

7496 Quia enim, cum prophetas frequenter audirent de ipsius adventu saepe loquentes, non admodum attendebant, effecit ut barbari de terra longinqua venirent, qui regem apud ipsos natum inquirerent, et Persica voce primum ea ediscerent quae a prophetis discere noluerant; ut si probe se gererent maximam arriperent ad obtemperandum ansam, sin vero contenderent, omni prorsus excusatione vacui essent.

7497 Quid enim dicere possunt ii qui Christum a tot prophetis annuntiatum non susceperunt, cum viderint Magos ex unius stellae visu ipsum suscipientes et

adorantes? Quod igitur circa Ninivitas fecerat Jonam mittens, et quod circa Samaritanam et Chananaeam, idipsum etiam per Magos fecit. *Matth. 12,41*: Viri Ninivitae surgent et condemnabunt. *Luc. 12,41*: Regina Austri surget et condemnabit generationem hanc; quoniam illi minoribus crediderunt, hi vero neque majoribus.

7498 - At cur illos, inquies, per talem visum adduxit?

- At quomodo oportuit? An prophetas mittere? Sed Magi prophetis non credidissent. An vocem superne proferre? Verum non attendissent. An Angelum mittere? Sed hunc quoque forsitan praeteriissent. Quapropter, illis omnibus omissis, Deus summa utens indulgentia, per consueta vocat illos, ostenditque stellam magnam, ab aliis diversam, ut ipsos ex magnitudine et ex pulchritudine spectaculi percelleret. Haec et Paulus imitatus, ex ara cum Graecis disserendi occasionem accipit, et poëtarum testimonia in medium adducit; Judaeos vero circumcisionem memorans alloquitur, et eos qui sub lege viverent a sacrificiis orsus, doctrina imbuit. Quia enim consuetum sibi quisque morem libenter sequitur, et Deus et viri a Deo ad orbis salutem missi, ita res tractant.

7499 Ne itaque indignum Deo putes quod per stellam ipsos vocaverit; sic enim Judaica quoque omnia improbabis, sacrificia nempe, purificationes, neomenias, arcam, ipsumque templum; haec quippe omnia ex gentium crassitudine ortum duxerunt. Attamen Deus ad errantium salutem, his se passus est coli, quibus daemonas gentiles illi colebant; illo tamen cultu tantisper mutato, ut illos paulatim a consuetudine abductos, ad sublimen illam philosophiam deduceret. Id quod etiam circa Magos effecit, cum illos per stellae visum vocavit, ut deinde sublimiores redderet.

7500 Postquam igitur illos ad praesepe quasi manu deduxerat, non per stellam deinde, sed per Angelum ipsos alloquitur; sic illi gradatim meliores effecti sunt. Hoc ipsum fecit circa Ascalonitas et Gazaeos; nam postquam quinque illae civitates, arca ad se veniente, lethali plaga percussae sunt, cum nullum ingruentibus malis remedium invenirent, vocatis vatibus et congregato coetu, quomodo divinitus immissum malum amoverent, consultabant, *1 Reg. 6,1 sqq*.

7501 Hinc vatibus dicentibus vaccas indomitas et primiparas arcae jungi oportere, ut nullo duce quo vellent irent, hincque exploratum foret an divinitus an casu quopiam immissus morbus esset; nam si, ajebant, jugum ex imperitia conterant, vel si ad mugientes vitulos vertantur, plaga casu acciderit, sin recta pergant, neque vitulorum mugitum curent, neque ex viae ignorantia aberrent, conspicuum erit ipsam Dei manum has urbes percussisse.

7502 Quia ergo vatum dictis paruerunt illarum civitatum incolae, Deus etiam indulgentia usus, vatum sententiam sequutus est; nec majestate sua indignum putavit vatum praedictionem ad opus deducere, et fidem dictis eorum conciliare.

Eo major enim res gesta videbatur, si Dei potentiam ipsi etiam inimici testificarentur, et si eorum doctores de illa calculum ferrent. Multa quoque similia, Deum disponentem, animadvertimus; nam ea etiam quae ad Pytonissam spectant, eodem dispensata sunt modo, *1 Reg. 28,1 sqq,* ut vos deinceps secundum jam dicta poteritis explicare.

7503 Haec de stella a nobis dicta sunt, sed plura a vobis dici possint; nam, *Prov. 9,9*: Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Jam ad principium eorum quae lecta sunt, redeundum est.

- Quodnam est principium?

7504 - *Matth. 2,1*: *Cum ergo natus esset Jesus in Bethelehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam.*

Magi stellam ducem sequuti sunt; hi vero ne prophetis quidem annuntiantibus crediderunt; cur autem nobis et tempus dicit et locum, dum ait: In Bethlehem... (et) in diebus Herodis? Qua vero de causa dignitatem etiam addidit:

Herodis regis? Quoniam et alius fuit Herodes, qui Joannem occidit; sed hic tetrarcha, ille rex erat.

7505 Locum autem scribit et tempus, dum prophetias nobis veteres commemorat, quarum alteram Michaeas emisit his verbis, *Mich. 5,2*: Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis; alteram patriarcha Jacob, qui nobis tempus exprimit, magnumque signum adventus ejus apponit, *Gen. 49,10*: Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: et ipse erit expectatio gentium.

7506 Sed illud quoque inquirendum est, quae causa illis fuerit talia cogitandi, et quis illos ad talia agenda concitaverit; neque enim mihi videtur haec posse ad solam stellam referri, sed ad Deum qui eorum animos concitavit; id quod etiam in Cypro fecit, cum ejus animum induxit, ut Judaeos dimiteret; neque tamen illud ita operatus est, ut liberum ejus arbitrium tolleret; quandoquidem et cum Paulum ex alto vocavit, et gratiam suam, et ejus obsequentiam conspicuam effecit.

7507 - At, inquies, cur non omnibus Magis hoc ipsum revelavit?

- Quia non omnes crediturі erant; hi vero erant aliis paratiores; siquidem cum innumerae gentes perirent, ad Ninivitas solum Propheta missus est; duoque erant in cruce latrones, et alter tantum salutem nactus est. Horum itaque virtutem perpende, non quod venerint, sed quod cum fiducia et simpliciter egerint; etenim ne subdole missi videantur, et quo duce venerint, et viae longitudinem narrant, et loquendo fiduciam exhibent; nam ajunt: *Venimus adorare eum, 2,2*. Neque populi furorem, neque regis tyrannidem reformidant; quapropter videntur mihi etiam contribulium suorum doctores domi fuisse. Nam qui isthic illud dicere non dubitarunt, multo magis in patria sua ea de re loquuti libere fuerint, quippe qui et oraculum Angeli

accepissent, et prophetae testimonium allatum.

7508 *Matth. 2,3*: *Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.*

- Jure quidem Herodes qui rex erat sibi filiisque timebat; Jerosolyma vero quare turbata est: quandoquidem ipsum et servatorem, et beneficum, et liberatorem jam olim prophetae praedixerant. Cur ergo turbati sunt?

7509 - Eodem animo quo olim beneficum Deum aversabantur, et carnes illas Aegyptiacas commemorabant, dum tanta tenerentur libertate. Tu vero mihi perpende accurata prophetarum dicta; nam illud ipsum jam olim praenunciavit propheta his verbis, Isai, 9,6: Quia omnis violenta praedatio cum tumultu, et vestimentum mistum sanguine erit in combustionem et cibus ignis: Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis.

7510 Attamen perturbati, non curant videre quod gestum est; non Magos sequuntur, non sciscitantur; ita nimirum contentiosi et simul socordes prae omnibus erant; cum par fuisset enim gloriari quod rex ille apud se natus esset, quod Persarum regionem ad se traxisset, ac fore videretur ut omnes sibi subditi essent, quando res sic prospere cederent, et in melius proficerent, ac vel principio imperium ita splendidum esset, illi tamen ne sic quidem in meliora mutantur, etiamsi nuper fuerant a captivitate Persica liberati.

7511 MEDITAZIONE 7.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 2,4-10: Et congregans omnes pincipes sacerdotum et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. v. 5: At illi dixerunt ei: In Berthlehem Judae: sic enim scriptum est per Prophetam: v. 6: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. v. 7: Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae quae apparuit eis; v. 8: et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. v. 9: Qui cum audissent regem abierunt. Et ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer. v. 10: Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.*

7512 *Matth. 2,4*: *Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur; v. 5: At illi dixerunt ei: Bethlehem Judae.*

Vidistin' omnia ad Judaeorum confutationem accidisse? Quamdiu enim non videbant eum, nec invidia corripiebantur, testimonia vere et ut erant proferebant;

ubi autem viderunt gloriam ex miraculis partam, invidia demum correpti veritatem prodiderunt.

7513 Sed veritas in omnibus eminebat, et ab inimicis magis magisque promulgabatur. Hic mihi vide quam mira, quam stupenda provideantur: mutuas sibi commodant notitias Babari et Judaei, ita ut singuli ab aliis quidpiam novi ediscant; Judaei namque a Magis edidicerunt quod stella ipsum in Persarum regione praedicaverit; Magi a Judaeis acceperunt eum ipsum quem stella praedicaverat jam a multis retro temporibus per prophetas praenuntiatum fuisse, atque interogationis occasio clarioris et accuratioris doctrinae demonstratio utriusque fuit.

7514 Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu, Bethlehem etc. *2,5 sq*.

Certe veritatis inimici, scripta veritatis testimonia vel inviti legere coguntur, et prophetiam interpretari, etsi non totam. Cum enim Bethlehem dixisset, et inde exoriturum esse eum qui regeret Israelem, non addiderunt id quod sequebatur, ut regi adularentur.

- Quid autem est illud?

- *Mich. 5,2*: Et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.

7515 - Et qua de causa, inquies, si inde oriturus erat, post partum in Nazareth mansit, et prophetiam obscuravit?

- Imo non obscuravit, sed clariorem effecit; nam quod mater ejus quae illic habitabat hoc in loco pepererit, id certe ostendit rem per providentiam factam fuisse. Quapropter non statim atque natus est hinc exiit, sed ibi mansit per dies quadraginta, locum dans illis qui vellent curiosius inquirere, ut accurate examinarent omnia; multa quippe erant quae ad hanc perquisitionem moverent, si quidem attendere vellent.

7516 Diligenza nello studio delle verità necessarie.

Etenim venientibus Magis concitata est universa civitas, et cum civitate rex ipse; propheta in medium adductus est, forum judiciale magnum collectum est, aliaque multa ibidem gesta sunt quae omnia narrat accurate Lucas, verbi gratia quae ad Annam spectant, quae ad Simeonem, quae ad Zachariam, ad Angelos, ad pastores; quae omnia poterant iis qui animum adhibere vellent, occasionem dare ut quod factum erat poterant iis qui animum adhibere vellent, occasionem dare ut quod factum erat deprehenderent; nam si Magi ex Perside venientes locum non ignoraverunt, multo magis ii qui isthic versabantur haec poterant ediscere.

7517 Sese igitur ostendit ab initio per multa miracula; quia autem videre noluerunt per aliquantum temporis sese occultans, iterum se alio longe clariore ostendit modo. Non enim Magi deinceps, non stella, sed Pater superne pradicavit in Jordanis fluentis, et Spiritus supervenit, vocem illam in baptizati caput afferens, et Joannes cum libertate omni per totam Judaeam clamabat, habitabilem inhabitatam terram hujusmodi doctrina replens, miraculorum quoque testimonium

terra, mare, universaque creatura, splendidam hac de re vocem emittebat. Ipso etiam partus tempore tot accidere signa, quae possent indicare ipsum advenisse.

7518 Ne dicerent enim Judaei: Nescimus ubi, vel quo loco natus sit, illa quae Magos spectant provisa fuere, itemque alia quae diximus, ita ut nullam excusationem afferre possint, quod id quod gestum erat non perquisiverint. Perpende autem prophetiae accurationem; non enim dixit: in Bethlehem manebit, sed: Ex te enim exiet; itaque id tantum prophetia exprimebat: quod ibi nasciturus esset.

7519 Quidam autem eorum impudenter dicunt haec de Zorobabele praenunciata fuisse. Sed quomodo sic possunt intelligere? Non enim egressus ejus ab initio ex diebus saeculi; quomodo autem illud quod initio dicitur: Ex te exiet, in illum convenire possit? Non enim in Judaea, sed in Babylone natus est; unde etiam Zorobabel appellatus fuit; quia ibi ortum duxit; quotquot Syrorum linguam sciunt, id quod dicimus non ignorant. Praeter ea vero quae diximus; tempus totum subsequens hoc testimonium confirmare valet.

7520 Quid enim dicit? Nequaquam minima es in principibus Juda; et celebritatis causam adjicit his verbis: Ex te enim exiet. Nullus autem alius hunc locum clarum conspicuumque fecit, nisi ipse solus. Post partum quippe illum ex finibus orbis veniunt visitatum praesepe et tugurii locum; id quod jam olim propheta praenunciavit dicens: Nequaquam minima es in principibus Juda, idest inter tribuum principes; quibus verbis etiam Jerosolymam complectitur; sed ne sic quidem animum adhibuerunt, etiamsi utilitas ad ipsos dimanaret.

7521 Ideo enim nusquam prophetae de dignitate ejus, in principio, tantum luquuntur, quantum de beneficio quod ipsus praestitit. Etenim, cum Virginis partus instare, ait: Vocabis nomen ejus Jesum; et adjecit: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Magi vero non dicebant: Ubi est Filius Dei? sed: Qui natus est Rex Judaeorum.

7522 Hinc quoque non dixit: Ex te exiet Filius Dei, sed: dux qui regat populum meum Israel; oportebat quippe initio humiliore loquendi modo uti, ne haec ipsi offendiculo essent; et ea dicere quae ad salutem ipsorum spectabant, ut sic facilius attraherentur. Quotquot itaque prima proferuntur, quorum tempus ortum ejus spectat, nihil magnum vel sublime de illo dicunt; nec perinde atque ea quae ad signa et miracula edita spectant, illa quippe clarius de ipsius dignitate loquuntur.

7523 Quod itaque post multa miracula hymnos in illum pueri canerent, audi quomodo dicat propheta, *Ps. 8,2*: ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem; ac rursus, *v. 4*: Quoniam videbo coelos tuos, opera manuum tuarum: id quod ipsum universi creatorem declarat. Illud vero testimonium quod peractam Assumptionem respicit, ejus cum Patre aequalitatem ostendit his verbis, *Ps. 109,1*: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis. *Is. 11,10*; *Rom. 15,12*: Qui exsurget regere

gentes, in ipsum gentes sperabunt.

7524 - Cur autem ait Bethlehem in principibus Juda non esse minimam?

- Neque enim in Palaestina tantum, sed etiam in toto orbe illustris vicus effectus est.

Sed ad Judaeos nunc sermo spectat, ideoque subjunxit: Qui regat populum meum Israel, *Matth. 2,6*.

7525 - Atqui, orbem etiam regit.

- At, ut dixi, non vult offendiculo esse, ideoque de gentibus verba non facit.

- Et quomodo, inquies, non rexit populum Judaicum?

- Imo illud quoque factum est; cum enim *Israelem* dicit, Judaeos qui in ipsum crediderunt subindicat; et hoc interpretan Paulus ait, *Rom. 9,6*: Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israeliatae... *v. 8*:... sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine.

7526 Quod si non omnes rexit, id vocatorum crimen et culpa est; cum debuissent enim adorare cum Magis, et Deo gloriam referre quod tempus advenisset in quo omnia ipsorum peccata solverentur; nihil enim de tribunali et de repetendis poenis audierant, sed de miti et mansueto pastore; illi contra turbantur et turbant, et innumeras postea struunt indidias.

7527 *Matth. 2,7*: *Tunc Herodes clan vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae quae apparuit eis*, puerum interficere cupiens; quod non furoris tantum, sed etiam extremae dementiae fuit; etenim quae dicta et quae gesta fuerant, a tali conatu illum deterrere poterant; neque enim humana erant ea quae acciderant. Nam, quod Magos stella superne vocasset, quodque Barbari tantam susciperent peregrinationem ut in cunabulis et in praesepe jacentem adorarent, quod prophetae jam olim haec omnia praedicerent, aliaque omnia, majora erant quam quae hominem spectarent: attamen nihil eorum ipsum cohibuit. Hujusmodi namque est malignitas: in sese ipsa impingit, et res quae perfici nequeunt semper aggreditur.

7528 Perpende stultitiam: Si prophetiae credebat, illamque immotam firmamque putabat, palam est eum impossibilia conatum esse; quod si non credebat, nec putabat ea quae dicebantur eventura esse, metuere vel timere non oportuit, nec ea de causa puero insidiari. Ex utraque igitur parte superfluus erat dolus. Illud quoque extremae dementiae erat, quod putaverit Magos ipsum antelaturos esse puero, pro quo tantam susceperant peregrinationem; nam si vel antequam illum vidissent ita ardebant desiderio, postquam viderant, et per prophetiam confirmati fuerant, quomodo sperabat se suadere illis posse ut puerum sibi proderent?

7529 Attamen, cum tot tantaque essent quae ipsum a proposito deterrerent, id conatus est, et *clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae quae apparuit eis, 2,7*: putabat enim Judaeos de pueri salute sollicitos esse; neque credebat illos in tantum insaniae devenisse, ut ideo vellent patronum et servatorem,

qui ad libertatem genti procurandam venerat, inimicis prodere; ideo clam vocat, et tempus inquirit, non pueri, sed stellae, venatum illum magna cum diligentia captans. Quod autem a bimatu et infra occiderit, ne miremus: furor enim et timor ad majorem securitatem plus temporis adjecit, ut nullus effugeret.

7530 Vocatis igitur illis, ait: *Matth. 2,8*: *Ite et interrogate diligenter de puero; et cum inveneritis renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.*

Vidistin' insipientiam? Si enim ex veritatis affectu loqueris, cur clam interrogas? Sin insidias paras, cur non cogitas magos cum te videant clam interrogare, dolum suspicaturos esse? Sed, ut dixi, anima semel malignitate correpta, omnium insipientissima evadit.

7531 Non dixit: Euntes interrogate de rege, sed de puero. De puero: non enim imperii nomen proferre sustinuit; Magi vero qui prae multa pietate nihil horum noverant, neque enim putabant illum in tantum nequitiae prorupisse, ut tam mirabili oeconomiae insidiari tentaret, nihil hujusmodi suspicantes abeunt, sed ex affectu suo alios aestimant.

7532 *Matth. 2,9*: *Qui cum audissent regem abierunt. Et ecce stella quam viderant in oriente antecedebat eos.*

Ideo enim occultata fuerat ut, amisso duce, Judaeos interrogare cogerentur, et sic res omnibus palam fieret; postquam enim interogaverant, et Judaeos doctores habuerant, rursum illis apparet.

7533 Et consideres velim optimum rerum ordinem. Post stellam excipit eos Judaicus populus, rexque ipse, prophetamque inducunt praenunciantem id quod apparuerat; post prophetam rursum Angelus ipsos excipit omniaque docet; interim vero Jerosolymis in Bethelehem a stella ducuntur; stella enim ab instinc viae dux fuit; ut hinc quoque discas non fuisse illam ex numero ceterarum stellarum: nulla quippe stella hanc habet naturam. Neque solum ibat, sed etiam antecedebat ducens, et quasi manu trahens ipsos in medio die.

7534 - Et quid opus erat stella, inquies, cum jam notus locus esset?

- Ut puer videri posset. Hihil quippe erat quod ipsum ostenderet; nam neque domus erat conspicua, neque mater ejus illustrem quandam speciem prae se ferebat; opus itaque erat stella quae eos in ipso loco sisteret. Quamobrem Jerosolyma egredientibus appareret, nec stat prius quam ad praesepe pervenerit, et miraculum miraculo addiderit; nam utrumque mirabile erat: et quod magi adorarent, et quod stella ipsos sisteret, quae sane possint vel lapideos animos attrahere.

7535 Si enim dixissent Magi se prophetas audivisse haec dicentes, vel haec sibi privatim ab Angelis dicta fuisse, fides illis non fuisset habita; jam vero stella superne lucente, vel impudentium ora obstruebantur. *[Usque] dum veniens staret supra ubi erat puer, 2,9.* Deinde cum puero immineret stella, stetit; id quod majoris erat potestatis, quam ut stellae competat; quod scilicet, modo occulteretur, modo

appareat; et cum apparet cursum sistat. Hinc illi incrementum fidei ceperunt: ideo laetati sunt.

7536 *Matth. 2,10*: *Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde*, quia quod quaerebant invenerunt; quia nuncii veritatis effecti sunt; quia non frustra tantum susceperunt iter: sic ardenti Christi desiderio flagrabant. Nam accedens stella super ipsum pueri caput stetit, ostendens divinam esse prolem; cumque stetisset, ad adorandum adducit non simpliciter barbaros, sed qui inter illos sapientissimi erant. Vides hanc stellam jure merito apparuisse? Siquidem et post prophetiam, et post sacerdotum scribarumque interpretationem adhuc illa utebantur duce.

7537 Magos itaque sequamur, et a barbarorum tamen moribus multa intercapedine nos removeamus, ut Christum videamus; quandoquidem et ipsi nisi procul a sua regione recessissent, non illum visuri erant. Recedamus a terrenis negotiis; etenim Magi dum in Perside essent, stellam videbant, cum autem a Perside recesserunt, solem justitiae conspexère; imo nec stellam ultra visuri erant, nisi promto animo inde profecti essent. Surgamus igitur et nos, etiamsi omnes perturbentur; ad domum pueri curramus, etsi reges, etsi populi, etsi tyranni hanc viam intercipere satagant, ne desiderium solvamus.

7538 Sic enim omnia ingruentia mala depellemus; siquidem et hi quoque, nisi puerum vidissent, periculum quod a rege metuebant non effugissent. Antequam puerum viderent, timores, pericula, perturbationes undique instabant; post adorationem vero, tranquillitas atque securitas; neque ulterius stella sed Angelus.

7539 MEDITAZIONE 8.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 2,11-15*: *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum; et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrram. v. 12: Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. v. 13: Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Aegyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi; futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum. v. 14: Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Aegyptum. v. 15: Et erat ibi usque ad obitum Herodis; ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex aegypto vocavi filium meum.*

7540 *Matth. 2,11: Entrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrram.*

- Quomodo ergo ait Lucas quod in presepio posuit esset?

7541 -Quia statim atque pepererat, eum ibi reclinavit. Confluentibus enim ad censum Judaeis, nulla poterat reperiri domus, quod etiam Lucas significat cum ait, *Luc. 2,7*: Quia non erat locus reclinavit illum. Postea vero sustulit, et supra genua collocavit. Nam statim atque in Bethlehem pervenit filium peperit, ut hinc totam ediscas oeconomiam, et non casu et sine consilio gesta, sed per providentiam quandam divinam, ac secundum prophetiae seriem impleta haec omnia fuisse.

7542 - Verum quid illos ad puerum adorandum induxit? Neque enim Virgo insigne quidpiam prae se ferebat, neque domus magnifica erat, neque isthic aliquid aliud erat quod posset illos vel percellere vel allicere; illi vero non modo adorant, sed apertis thesauris munera offerunt; munera inquam, non quasi homini, sed quasi Deo. Thus et myrra Dei maxime symbolum est. Quid igitur hoc illis suasit?

- Idipsum quod suscitavit illos, ut relicta domo tantum iter susciperent; nimirum stella et illustratio mentis a Deo ipsis indita, quae paulatim illos ad perfectiorem notitiam deduxit.

7543 Nisi enim res ita se haberet, cum omnia quae isthic videbantur vilia essent, non si ei tantum exhibuissent honorem; ideo autem nihil eorum quae sub sensum cadunt ibi magnum erat, sed praesepe, tugurium, mater inops, ut nudam magorum philosophiam perspicias, atque discas eos non ut hominem purum, sed ut Deum, et beneficum, ipsum adiisse. Quapropter nullo eorum quae extrinsecus videbantur offensi sunt, sed adorarunt et dona obtulerunt; quae dona multum a Judaica crassitie differebant; neque enim oves et vitulos immolarunt, sed quae Ecclesiae philosophiae vicina erant; siquidem scientiam, obedientiam, et dilectionem offerebant.

7544 *Matth. 2,12: Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.*

Hic mihi vide fidem ipsorum: quomodo non offendantur, sed sint quieti et obtemperantes, neque turbentur, neque talia mutuo loquantur. Sane si magnus hic puer est, et si quam habet potentiam, quid opus fuga et occulto discessu? Cur vero nos qui palam et cum fiducia accessimus ad populum tantum et coram furente rege stetimus, quasi fugitivos ex civitate dimittit Angelus? At nihil tale vel dixerunt, vel cogitarunt; illud enim maxime ad fidem pertinet ut nulla mandatorum ratio exquiratur, sed jussis tantum obediatur.

7545 *Matth. 2,13*: *Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Aegyptum.*

Hinc subit in mentem quaedam dubitatio circa Magos et circa puerum. Etsi enim illi turbati non sint, sed fideliter omnia susceperint, nobis tamen quaerendum incumbit cur non et illi et puer praesentes servantur; sed illi in Persidem, hic in Aegyptum cum matre fugatur. Sed quid? An oportebat illum incidere in manus

Herodis, et captum non interficit? At non putatum fuisset ipsum accepisse carnem, neque oeconomiae magnitudo credita fuisset. Nam si his ita gestis, postquam multa humano modo dispensatra sunt, quidam dicere ausi sunt carnis assumptionem ese fabulam, quo impietatis non prorupissent, si omnia divino modo et secundum suam potentiam fecisset?

7546 Magos autem celeriter emittit, simul doctores mittens in Persarum regionem; et tyranni furorem praevertens, ut edisceret se res quae fieri non possent aggredi, iramque ejus sedaret, et a vano labore retraheret. Ad ejus enim potentiam pertinet non modo inimicos palam profligare, sed etiam ipsos facile decipere; sic enim Aegyptios in Judaeorum gratiam decepit, et cum posset illorum divitias in manus Hebraeorum palam transferre, clam id et cum astutia fieri jubet; id quod illum non minus formidabilem hostibus reddebat quam alia signa.

7547 Ascalonitae namque, ceterique omnes, postquam arcam ceperant, percussi deinde hortabantur suos ne pugnarent, neque adversum starent, ac cum ceteris miraculis hoc etiam in medium proferebant, *1 Reg. 6,6*: Quare aggravatis corda vestra sicut aggravavit Aegyptus, et Pharao cor suum? Nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos et abierunt? Haec dicebant putantes hoc postremum signum non minus esse ceteris palam gestis ad ejus demonstrandam potentiam atque magnitudinem. Id quod etiam hic factum est, poteratque tyrannum perterrefacere. Animadverte namque quanta passum, et quanto praefocatum moerore Herodem fuisse verisimile sit, sic a Magis deceptum et illusum.

7548 - Quid enim, si non melior sit effectus?

- Id certe non ad eum qui haec dispensavit referendum est, sed a ingentem furorem illum, qui non cessit iis quae ipsum consolari, et a nequitia abducere debebant; sd ulterius processit, ut tantae insaniae graviores lueret poenas.

7549 - Et cur, inquies, in Aegyptum puer mittitur?

- Causam in primis protulit Evangelista dicens: *ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum, 2, 15;* simulque bonae spei praemia toti orbi praenunciabantur. Quia enim Babylon et Aegyptus plusquam reliquus orbis impietatis ardebant flamma, ab exordio declarans se ambas illas regiones emendaturum, et ad meliora deducturum, simulque per haec indicans etiam toti terrarum orbi bona expectanda esse, et Magos misit, et ipse cum matre sua profectus est.

7550 Ad haec vero aliud etiam inde docemur, quod non parum nos ad philosophiam incitet.

- Quodnam illud?

- Quod ab ipso initio tentationes et pericula sint expectanda. Vide namque id ipsi ab incunabulis accidisse. Nam illo nato furit tyrannus; hinc fuga et transmigratio in exilii locum, et insons mater in barbarorum regionem se proripit; ut tu haec

audiens, aliquo spirituali ministerio dignatus, si videris te dira patientem et inter sexcenta versantem pericula, ne turberis, neque dicas: Quidnam hoc est? Oportebat utique me coronari, laudari, clarum et illustrem esse, qui mandatum Domini impleam; sed hoc exemplo fultus, fortiter feras, gnarus hanc cum primis e spiritualium virorum sorte, ut ubique tentationibus appetantur.

7551 Animadverte igitur id non solum pueri matri accidere, sed etiam barbaris illis; nam et illi clam discedunt quasi fugitivi, et haec quae nunquam e domo egressa fuerat, tam longum et aerumnosum iter suscipere jubetur, ob mirabilem hunc editum puerum et spiritualem partum.

7552 Rem interum stupendam considera: Palaestina insidiatur, Aegyptus vero excipit, et servat insidiis impetitum; per ea enim quae ab ipso gesta sunt, multa praenunciabantur eorum quae postea eventura erant: quod et in asina et in pullo factum est, *Matth. 21,2*.

7553 Angelus igitur qui apparuit, non Mariam sed Josephum alloquitur; et quid dicit? Surge, et accipe puerum et matrem ejus; *2,13*: Hic non ultra dicit: coniugem tuam, sed *matrem ejus.* Quia enim partus contigit, suspicio soluta est, et viro fides facta est, libere jam loquitur Angelus, neque filium neque conjugem ejus dicens, sed *puerum et matrem ejus*, et *fuge in Aegyptum*; fugaeque causam addit: Futurum est enim ut Herodes quaerat puerum, *ibi.* His auditis Joseph non offensus est, neque dixit: Aenigma est hoc: tu nuper dicebas: Salvum faciet populum suum a peccatis eorum; nunc autem nec seipsum potest servare, sed fuga nobis est opus et peregrinatione? Contraria sunt haec promissioni tuae.

7554 Sed nihil hujusmodi dixit; fidelis enim vir erat; neque reversionis tempus inquirit, etiamsi Angelus indefinite loquutus esset, nam ait: *et esto ibi usque dum dicam tibi, ibidem*.

Verum ille non ideo segnior factus est, sed paret et obtemperat, tentationesque omnes cum gaudio tolerat. Enimvero benignus Deus his laboribus dulcia miscuit: id quod etiam in sanctis omnibus observat; neque pericula, neque quietem continuam praestat, sed et his et illis permixtim positis vitam justorum ordinat; id quod etim hic fecit, idque perpendas velim.

7555 Videt ille Virginem uterum gestantem; ea de re turbatur et admodum anxius est; sed statim adstitit Angelus qui suspicionem solveret ac metum eliminaret. Cum vidit natum puerum, gaudio magno perfusus est, rursumque gaudium hujusmodi periculum non parvum excipit, civitate perturbata ac rege furente, puerumque perquirente. At perturbationem illam aliud gaudium excipit: stella nempe et Magorum adoratio. Rursus vero post hanc laetitiam timor ac periculum:

7556 *Futurum est enim, ut Herodes quaerat animam pueri, 2,13*. Iterum Angelus significat ipsi fugiendum et transmigrandum humano more, nondum enim miracula edere oportebat; nam si a prima aetate miracula edidisset, homo non credi-

tus fuisset. Idcirco non simpliciter templum formatur, sed uteri tumor conspicitur, et novem mensium spatium, et partus, et lactis nutrimentum, quies per multum temporis, aetas virilis expectatur, ut per omnia credibile redderetur oeconomiae mysterium.

7557 - Quam ergo de causa, inquies, haec ab initio facta sunt signa?

- Propter matrem, propter Josephum, propter Simeonem jam jam moriturum; propter pastores, propter Magos, propter Judaeos. Si enim iis quae gerebantur accurate voluissent attendere, non parvum hinc ad futurum tempus fructum retulissent. Quod si Prophetae de Magis nihil praedicant, ne ideo turberis; neque enim omnia tacuerunt. Sicut enim nulla re ante audita, res hujusmodi gestas videre magnum stuporem magnamque perturbationem peperisset, sic si omnia didicissent, auditores dormituri erant, nec quidquam Evangelistis fuisset relictum.

7558 Quod si de prophetia ambigant Judaei, dicentes illud: Ex Aegypto vocavi filium meum, de seipsis dictum esse, respondebimus illis, hunc etiam esse prophetiae morem, ut multa saepe de aliis dicantur, et in aliis impleantur; quale illud de Symeone et Levi dictum, *Gen. 49,7*: Dividam eos in Hacob, et dispergam eos in Israel; Id enim non in ipsis, sed in posteris eorum impletum est; et illud quod de Chanaam a Noe pronunciatum est, Gabaonitis ex stirpe Chanaam contigit. Quod ipsum Jacobo etiam accidisse deprehenditur; benedictiones enim illae, *Gen. 27,29*: Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae, non in ipso finem accepit; quomodo enim ad ipsum pertineat, qui fratrem timebat, tremebatque, ac sexcenties ipsum adoravit? Sed de prole ejus dictum est.

7559 Quod etiam hoc loco dici possit. Quis enim verius Dei Filius dicatur: an is qui vitulum adoravit et Beelphegori initiatus est, quique filios suos daemoniis immolavit, an is qui natura filius erat, et genitorem honoravit? Itaque nisi hic advenisset, prophetia dignum non habitura finem erat. Vide ergo quomodo hoc ipsum Evangelista subindicet, dicens: Ut impleretur; ostendens, nisi venisset, non implendum illud fuisse. Hoc vero Virginem ipsam non mediocriter claram efficit et illustrem; nam quod totus populus encomii loco habebat, hoc ipsum habere potuit et ipsa. Quod enim altum sapiebant, et sese jactabant ob reditum ex Aegypto, id quod subindicans propheta dicebat, *Amos 9,7*: Numquid non Israel ascendere feci de terra Aetypti, et Palaestinos de Cappadocia, et Syros de Cyrene? Illud ipsum praerogativam Virginis facit.

7560 Imo vero et populus et patriarcha descendentes et ascendentes inde, istius ascensus seu reditus typum implebant; nam illi descenderunt ut mortem ex fame imminentem effugerent: hic vero ut vitaret mortem insidiis paratam; at illi eo venientes ex fame tunc liberati sunt; ille vero ut eo descendit, regionem totam per adventum suum sanctificavit.

7561 Consideres itaque velim quomodo inter humilia, quae ad divinitatem

pertinent revelentur. Etenim, cum dixit Angelus: Fuge in Aegyptum, non promisit se itineri comitem futurum, vel descendentibus vel redeuntibus; subindicans illos magnum habere comitem, recens natum puerum, qui statim atque apparuit omnia mutavit, atque id effecit ut inimici ad hanc oeconomiam admodum inservirent. Etenim Magi et Barbari paterna superstitione relicta adoraturi veniunt; Augustus Bethlehemitico partui ministrat, dum censum fieri jubet.

7562 MEDITAZIONE 9.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 2,16-23: Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. v. 17: Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: v. 18: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt. v. 19: Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Aegypto, v. 20: dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri. v. 21: Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel. v. 22: Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judaea pro Herode patre suo, timuit illo ire; et admonitus in somnis secessit in partes Galilaeae, v. 23: et veniens habitavit in civitate quae vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaraenus vocabitur.*

7563 *Matth. 2,16*: *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est, et mittens occidit omnes pueros qui erano in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis.*

Iratus est: Certe non oportebat illum irasci, sed potius timere et comprimi, atque intelligere se rem tentare quam non posset perficere. At ille non coërcetur; quando enim improbus animus et insanabilis est, nulli cedit a Deo concessae medicinae.

7564 Et mittens occidit omnes pueros: Vide igitur illum prioribus insistentem, et quaedam caedi jungentem, atque per praecipitia undique ruentem; nam quasi a quodam irae invidiaeque daemone percitus, nulla ratione fraenatur, sed contra ipsam ferit naturam, iramque quam contra Magos sibi illudentes conceperat, contra insontes pueros exonerat, simile facinus in Palaestina aggressus, ei quod in Aegypto perpetratum fuerat. Nam ait: *Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis.*

7565 Hic mihi diligenter attendite: etenim multi plurima circa pueros istos nugantur, injustitiam facti criminantes; alii quidem modestius hac de re dubia proponunt; alii vero audacius et furiosius. Ut igitur hos ab amentia, alios a dubitatione liberamus, patienter nos audite, de tali argumento breviter disputantes.

7566 Nam si ea de re criminantur quod puerorum caedes neglecta fuerit, criminentur etiam ob militum Petrum custodientium necem; quemadmodum enim hic puero fugiente alii pueri pro eo qui quaerebatur interficiuntur, ita tunc cum Petrus ex carcere et ex catenis ab Angelo liberatus esset, quidam tyranno nomine et moribus similis, cum eum quaesisset nec invenisset, milites qui eum custodiebant pro illo iterfecit.

7567 - Et quid hoc? inquies. Haec non est solutio, sed additamentum ad quaestionem.

- Hoc bene novi ego; ideo haec omnia in medium profero, ut omnibus unam addam solutionem.

- Quaenam igitur est illa solutio? et quam probabilem solutionem afferre possumus.

7568 - Christum scilicet non fuisse ipsius necis causam, sed regis crudelitatem, quemadmodum neque illis Petrum, sed Herodis amentiam; nam si effossum murum vidisset, vel portas eversas, jure forte potuisset milites qui Apostolum custodiebant negligentiae accusare; verum ibi omnia in suo statu manebant; januae clausae erant, catenae custodientium manibus alligatae; erant enim illi simul cum Petro et victi, poteratque ex his secum reputare, si quid recte judicasset, quod gestum fuerat non humana virtute, neque fraude aliqua, sed divina quadam ac mirabili potentia factum fuisse, atque illum adorare qui haec fecisset, nec poenas de custodibus expetere.

7569 Deus quippe ita omnia fecit, ut non modo custodes non proderet, sed etiam ut per illos regem ad veritatem adduceret. Si autem ille improbus, ingratusque fuit, quid ad sapientem animarum medicum, qui omnia agebat ad beneficium praestandum ei qui morbo inobsequentiae laborabat?

7570 Idipsum hic quoque dicendum est. Cur, o Herodes, a Magis illusus iratus es? Non noveras divinum esse partum? Annon tu principes sacerdotum advocaveras? Annon scribas congregaveras? Annon vocati illi Prophetam qui haec olim praenuntiaverat ad tribunal tuum adduxerunt? Annon vidisti vetera novis consonare? Annon audisti stellam his ministravisse? Annon reveritus es barbarorum diligentiam? Annon miratus es eorum fiduciam ac loquendi libertatem? Annon horruisti ad veram prophetiae vocem? Annon ex prioribus postrema sequi cogitasti? Cur non ex his omnibus tecum reputasti non ex Magorum fraude haec evenisse, sed divina virtute omnia ut par erat providente? Etiamsi vero illusus fuisti a Magis, quid illud ad pueros, qui nihil te laeserant?

7571 - Recte, inquies; sed Herodem quidem omni defensione vacuum et sanguinarium probe ostendisti, neque tamen adhuc solvisti objectionem circa facti injustitiam; nam si ille injuste egit, cur Deus id permisit?

- Quid ergo ad haec dixerim? Idipsum quod semper et in Ecclesia et in foro, et ubique dicere non desino, quod velim vos diligenter observare; nam regula est ad omnem hujusmodi quaestionem adhibenda.

- Quae regula, quaeve ratio est?

- Qui laedant multos, qui laedatur nullum esse. Et ne hoc aenigma vos conturbet, cito solutionem exhibebo.

7572 Nam eas quas a quovis homine injuste patimur injurias, Deus nobis computat aut in peccatorum remissionem, aut in mercedis retributionem. Atque ut id quod dictum est clarius evadat, ad exemplum veniamus. Ponamus enim esse servum aliquem multas pecunias domino suo debentem; qui servus ab iniquis hominibus impetatur, ita ut bonorum parte aliqua mulctetur; si ergo dominus qui raptorem cohibere, potuit raptas quidem pecunias non repetat, sed raptas tamen inter eas quae sibi debebantur computet, an laesus fuit servus? Nequaquam. Quid vero si plura ipsi dominus dederit? Annon plus lucratus est, quam perdiderit? Id omnibus palam est.

7573 Idipsum et nos putemus, cum aliquid patimur; quod enim per aerumnas illas aut peccata diluamus, aut si non admodum peccatis obnoxii simus splendidores accipiamus coronas, audi Paulum dicentem de fornicario, *1 Cor. 5,5*: (Judicavi) tradere hujusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

7574 - Et quid hoc? Nam de iis qui laeduntur ab aliis sermo est, non de iis qui a doctoribus corriguntur.

- Certe nullum est inter illa medium; nam de dicto hujusmodi quaerebatur: *in aerumnis nullum patientis damnum est*.

7575 Sed ut sermonem transferam ad id quod magis accedit ad quaestionem, recordare Davidis, qui Semei videns instantem et calamitati suae insultantem, sexcentisque probris aspergentem, cum vellent eum duces exercitus interficere, cohibuit his verbis, *2 Reg. 16,11*:... Dimittite eum ut maledicat juxta praeceptum Domini; *v. 12*: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bona pro maledictione hac hodierna. Et in *Ps. 24,18*, dicebat: Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea. *v. 19*: Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me. Et Lazarus quietem consequutus est, quia innumera mala per hanc vitam perpessus est, *Luc. 19,19 sqq.*

7576 Non ergo laeduntur qui laedi videntur, si mala omnia fortiter ferant; imo majus lucrum reportant, sive a Deo percutiantur, sive a diabolo verberentur.

- Ecquod peccatum habuere pueri, inquies, quod eluerent? De iis enim qui

aetatem assequuti peccata plurima perpetrarunt, jure quis haec dixerit; qui vero tam immatura morte praerepti sunt, quae peccata iis affecti malis deleverunt?

7577 - Non audisti me dicentem: etiamsi nulla sint peccata, mercedis retributionem ibi manere eos qui hic malis sunt affecti? Quid ergo detrimenti accepere pueri pro tali causa occisi, qui statim ad tranquillum portum appulerunt!

- At multa, inquies, forte bona edituri erant, si vixissent.

- Sed non parva ipsis merces reposita est, quod pro tali causa obierint. Alioquin vero non permisisset pueros praematura morte abripi, si magni futuri erant; nam si eos qui in nequitia victuri sunt cum tanta fert patientia, multo magis hos non sineret ita auferri, si magna quaedam edituros praevideret?

7578 Et hi quidem nostri sunt sermones; nec tamen hi soli possunt afferri, sed sunt etiam alii his longe abstrusiores, quos bene novit is qui haec dispensavit. Ipsi itaque accuratiore harumce rerum comprehensione concessa, iis quae sequuntur haereamus, et ex aliorum calamitatibus ad omnia fortiter ferenda instituamur.

7579 Non parva enim tragoedia tunc Bethlehem occupavit, pueris ex ipsis matrum uberibus abreptis, et ad hanc iniquam caedem adductis. Quod si adhuc pusilli es animi, nec tantam potes philosophiam attingere, disce finem illius qui haec ausus es, spiritumque resume. Celerrima quippe illum facinoris vindicta corripuit, tantique sceleris dignas dedit poenas, dira morte, et ea quam intulit miserabiliore vitam claudens, innumeraque alia passus mala; quae discere poteritis si Josephi historiam evolvatis, quam ne longiore utamur sermone, neu seriem nostram intercipiamus, praesentibus non inserendam esse putavimus.

7580 *Matth. 2,17: Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: v. 18: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.*

Quoniam enim auditorem replevit horrore, hac violenta, crudelissima et iniqua caede narrata, ipsum consolatur docens haec non ideo accidisse quod Deus nec posset impedire, nec praevidisset; sed eum haec et futura novisse, et praenunciasse per prophetam. Ne itaque turberis et concidas, in providentiam ejus ineffabilem respiciens, quam tum ex iis quae operatur, tum ex iis quae permittit videre est; id quod etiam alibi discipulos alloquens subindicavit.

7581 Quia enim tribunalia, abductiones ad mortem, orbis bella, internecinaque proelia ipsis praenunciaverat, eorum animos erigens, et ut consoletur illos, ait, *Matth. 10,29*: Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro qui in coelis est? Hoc autem dicebat ostendens illo ignorante nihil fieri, sed scire illum omnia, nec tamen cuncta facere. Ne igitur, inquit, turbemini, nec commoveamini; nam qui scit ea quae sustinetis et ea potest impedire, sine dubio non impedit quia vestrum curam et providentiam gerit; quod etiam in tentationibus cogitare oportet: hincque non parvam consolationem

accipiemus.

7582 - Et quid commune habet Rachel cum Bethlehem? dixerit forte quispiam. [Cur dicit]: Rachel plorans filios suos? Quid item Rama cum Rachele?

- Rachel mater erat Beniamin; ipsamque mortuam sepelierunt in hippodromo prope hunc locum. Quia igitur sepulchrum prope erat, et haec sors erat Beniamini filii ejus, nam Rama ad tribum Beniamin pertinebat, et a principe tribus et a sepulchri loco mactatos pueros jure Rachelis filios vocat. Deinde ontendens insanabile esse tam crudele vulnus, ait: *noluit consolari quia non sunt, Matth. 2,18.*

7583 His rursum hoc ipsum docemur quod prius dicebam: non oportere turbari, cum ea quae accidunt Dei promissioni contraria videntur. Ecce enim cum advenit ipse ad salutem populi, imo ad salutem orbis, quae exordia fuere? Mater fugit, patria ejus intolerabilibus calamitatibus affligitur, caedes perpetratur omnium acerbissima, ploratus et ululatus multos, atque ejulatus ubique. Verum ne turberis; solet enim per contraria oeconomiam suam implere, maximam inde virtutis suae nobis praebens demonstrationem. Sic discipulos suos induxit atque instituit, ut ita omnia peragerent, contraria contrariis dispensans, quo majus miraculum eluceret. Flagellati itaque illi et pulsi et innumeras patientes aerumnas, sic flagellantibus atque pellentibus superiores evaserunt.

7584 *Matth. 2,19: Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Aegypto, v. 20: dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel.*

Non jam dixi: fuge, sed vade. Viden rursum quietem post tentationem, deinde post quietem rursum periculum? Nam post exilium dimissus et in suam regionem reversus est, viditque puerorum interfectorem extinctum; ubi vero in patriam pervenit, reliquias iterum pristinorum periculorum reperit, filium tyranni viventem et regnantem.

7585 - Et quomodo Archelaus regnabat in Judaea, cum Pontius Pilatus praeses esset?

- Recens adhuc erat mors Herodis, nedum regnum in multas partes divisum fuerat; sed quia nuper Herodes obierat, interim filius Herodis regnum tenebat; frater quippe Archelai, Herodes et ipse appellabatur; ideo addidit Evangelista: Pro Herode patre suo, *2,22.* Sed si Judaeam adire formidabat propter Archelaum, oportebat et Galilaeam metuere propter Herodem: sed ubi locum mutavit res postea in obscuro mansit.

7586 Totus quippe impetus contra Bethlehem erat, et fines ejus. Caede itaque patrata, Archelaus filius rem peractam putabat, atque eum qui quaerebatur inter multos occisum fuisse; alioquin, cum vidisset patrem tali morte consumptum, moderatior fuit quam ut ulterius procederet et de iniquitate contenderet.

Et ammonitus in somnis, secessit in partes Galileae, et veniens habitavit in civi-

tate quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur etc. *ibi.*

7587 Venit itaque Joseph Nazareth, ut una et periculum fugeret, et dilectam patriam incoleret. Ut majori instrueretur fiducia, oraculum ab Angelo hac de re accepit; quamquam Lucas non dicat ipsum per oraculum illo venisse, sed completa purificatione in Nazareth reversos illos esse. Quid igitur dicendum est, quod scilicet Lucas hoc dicat, tempus describens illud quod praecessit descensum in Aetyptum? Neque enim ante purificationem eos illuc deduxit, ne quid contra legem admitteretur; sed expectavit donec purificatio fieret, ac redirent Nazareth, tuncque descenderent in Aegyptum.

7588 Deinde ex Aegypto profectos jubet Nazareth redire; antea vero non moniti oraculo fuerant ut illo redirent, sed ex voluntate propria in dilectam patriam se contulerant. Quia enim nonnisi pro descriptione et censu illo venerant, nec locus ibi manendi erat, reperfecta pro qua venerant, reversi sunt Nazareth. Ideo Angelus illos domum reducit ut ibi manerent, neque illud sine causa, sed quod ita prophetia ferret; nam ait:

Ut adimpleretur quod dictum est per prophetam: Quoniam Nazaraeus vocabitur.

7589 - Ecquis propheta hoc dicit?

- Ne curiosius inquiras vel scruteris; multi enim prophetici libri perierunt, id quod in historia Paralipomenon videre est, *2 Par. 9,20; 12,15; 13,22 etc;* nam segnes cum essent Judaei, et frequenter deciderent in impietatem, alios incuria perdiderunt, alios et ipsi combusserunt vel lacerarunt.

7590 Horum alterum Jeremias narrat, *36,23*, alterum is qui quartum Regum librum edidit, dum ait, *4 Reg. 22,8 sqq*, post multum temporis, vix tandem Deuteronomium effossum fuisse, ante perditum. Si porro nullo instante barbaro sic libros prodiderunt, multo magis postquam barbari irruperant. Ceterum, quia id prophetae praedixerant, Apostoli saepe illum Nazarenum vocant.

7591 - Hoc ergo est, inquies, quod prophetiam de Bethlehem obscuram reddidit?

- Nequaquam, sed illud maxime movebat, et ad exploranda ea quae de illo dicta fuerant excitabat. Sic et Nathanael ad perquisitionem de illo faciendam venit dicens, *Jo. 1,46*: Ex Nazareth potest aliquid boni esse? Nam viculus erat vilis, imo non viculus ille tantum, sed tota Galilaeae regio; ideo dicebant Pharisaei, *Jo. 7,5*: Interroga et vide quoniam ex Galilaea propheta non surrexiit.

7592 Attamen ille ex tali patria vocatus non erubescit, ostendens se nulla re humana egere; discipulosque suos ex Galilaea eligit, undique occasiones et obtentus succidens iis qui torpere vellent, ostendensque nos externa nulla re egere, si virtutem exerceamus. Ideoque ne domum quidem sibi delegit, nam ait, *Luc. 9,58*: Filius hominis non habet ubi caput reclinet; atque Herode insidiante fugit, in praesepio collocatur et in diversorio manet; matremque elegit inopem, ut nos doceat ne

quidpiam hujusmodi turpe esse putemus.

7593 MEDITAZIONE 10.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 3,1-6: In diebus autem illis venit Joannes Baptista praedicans in deserto Judaeae, dicens v. 2: Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum. v. 3: Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus. v. 14: Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem ejus erat locustae et mel silvestre. v. 5: Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judaea, et omnis regio circa Jordanem; v. 6: et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.*

7594 *In diebus autem illis, 3,1.*

- De quibusnam diebus agit? Non enim quo tempore puer ille erat [et] Nazareth venit, sed post annos triginta venit Joannes, ut Lucas testificatur. Cur ergo dicit: In diebus illis?

7595 - Mos est Scripturae hoc uti modo, non solum cum ea narrat quae insequenti tempore mox gesta sunt, sed etiam cum illa dicit quae multis postea annis contigerint. Sic etiam cum ad illum in monte olivarum sedentem discipuli accesserunt, et de adventu ejus deque excidio Jerosolymorum sciscitati sunt, (scitis autem quantum sit inter utraque tempora intervallum), cum loquutus esset de excidio, et hac de re finem fecisset, de consummatione postea loquuturus subjunxit: Tunc ista erunt. Dicendo autem *tunc* non conjunxit tempora, sed illud solum tempus indicavit quo haec eventura erant.

7596 Idipsum nunc facit cum ait: *In diebus illis*; non enim insequentes statim dies significavit, sed illos in quibus contigere ea ad quae narranda progreditur.

- Et cur, inquies, post triginta annos ad baptismum venit Jesus?

- Post hunc baptisma legem soluturus erat; ideo ad illam usque aetatem, quae potest peccata admittere omnia, in legis totius observatione mansit, ne quis diceret ipsum legem solvisse quod non posset eam implere. Non enim omnes pravi affectus, omnia vitia, semper instant nobis; sed in primaeva aetate imprudentia viget et imbecillitas animi; in sequenti vehementius instat libido; in ea quae hanc excipit, opum cupiditas; propterea hanc totam aetatem emensus, et legem hoc toto tempore executus, sic ad baptismum venit, quem postremum addidit, postquam alia praecepta impleverat.

7597 Quod enim hoc postremum ipsi fuerit in operibus legalibus, audi eum dicentem: *Sic enim decet nos implere omnem justitiam, Matth. 3,15*.

Quod autem dicit, hujusmodi est: Omnia legalia implevimus; nullum transgressi sumus mandatum; quia igitur hoc unum superest, oportet illud quoque addere: sicque omnem justitiam implebimus; justitiam enim hic vocat omnium mandatorum observationem. Christum igitur hac de causa ad baptismum venisse, hinc conspicuum est.

7598 Qua de causa vero hoc baptisma ab ipso excogitatum est? Quod enim Zachariae filius non a semetipso, sed Deo movente ad hoc venerit, id Lucas declarat dicens, *Luc. 3,2*:... Factum est verbum Domini super Joannem. Ipse quoque ait, *Jo. 1,33*:... Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.

- Cur autem ad baptizandum missus est?

- Hoc item nobis declarat Baptista, *Jo. 1,31*:... Ego nesciebam eum: sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.

7599 - Et si haec sola causa erat, quomodo ait *Lucas, 3,3*: Venit in regionem Jordanis, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum? Quamquam remissionem non habebat, sed hoc donum erat baptismi qui postea datus est; in hoc enim consepulti sumus, *Rom. 6,4 sqq*, et vetus homo noster tunc una crucifixus est; et ante crucem, nusquam remissio facta comperitur; ubique enim hoc sanguini ejus deputatur.

7600 Paulus vero ait, *1 Cor. 6,121*: Sed abluti estis, sed sanctificati estis, (non per baptismum Joannis, sed) in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. Et alibi ait, *Act. 29,4*: Joannes baptizavit baptismo poenitentiae populum (et non dicit remissionis) dicens: In eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent: hoc est in Jesum. Cum enim nondum oblatum sacrificium esset, nec Spiritus descendisset, nec peccatum solutum esset, nec inimicitia sublata, nec maledictio deleta, quomodo remissio peccatorum facta esset?

7601 - Quid est igitur illud: In remissionem peccatorum?

- Improbi admodum erant Judaei, nec unquam ad peccatorum suorum sensum venerant; sed extremis obnoxii malis, se ubique justos praedicabant: id quod praesertim ipsos perdidit, et a fide abduxit. Hac de re illos Paulus accusans dicebat, *Rom. 10,3*: Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quaerentes statuere, justitiae Dei non sunt subjecti. Et rursus, *Rom. 9,30*: Quid ergo dicemus? Quod gentes quae non sectabantur justitiam apprehenderunt justitiam; justitia autem quae ex fide est; *v. 31*: Israel vero sectando legem justitiae, in legem justitiae non pervenit; *v. 32*: Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.

7602 Quia igitur haec causa malorum erat, advenit Joannes, nihil aliud agens

quam ut illos ad peccatorum suorum cognitionem deduceret; id quod etiam illius habitus ostendebat, qui utique ad poenitentiam et confessionem compositus erat. Hoc ipsa quoque praedicatio demostravit; nihil enim aliud dicebat, quam, *Luc. 3,6*: Facite fructus dignos poenitentiae. Quia igitur quod peccata sua non improbarent, ut Paulus declaravit, ideo a Christo resilierunt; peccata autem in mentem revocare, id efficit ut redemptor quaeratur, et remissio desideretur. Id praeparaturus venit Joannes, et hortaturus illos ut poenitentiam agerent, non ut punirentur, sed ut per poenitentiam humiliores effecti ac sese ipsos damnantes ad remissionem impetrandam accurrerent.

7603 Vide igitur quam haec diligenter expresserit. Cum dixisset enim: Venit praedicans baptismum poenitentiae in deserto Judaeae, *Matth. 3,1,* addidit: in remissionem, *Luc. 3,3;* ac si diceret: Ideo illos hortatus sum ut confiterentur et poenitentiam agerent, non ut punirentur, sed ut facilius postea remissionem acciperent. Nisi enim seipsos damnassent, gratiam non petiissent; non quaerentes vero gratiam, neque remissionem asequuti essent. Itaque hoc baptisma ad illud viam parat; ideo dicebat: Ut credant in eum qui venit post ipsum, *Act. 19,4*, praeter eam quam diximus hanc quoque aliam baptismatis causam adjiciens.

7604 Neque etiam perinde fuisset si domos circumiisset, et Christum manu comprehensum circumduxisset, dixissetque: In hunc credite, atque omnibus praesentibus ac videntibus, beatam illam efferri vocem, atque alia omnia perfici. Ideo venit ad baptisma; nam et baptizantis existimatio, et rei ipsius conditio, civitatem totam attrahebat et ad Jordanem evocabat, magnumque fuit theatrum. Ideoque eos qui advenerant reprimit, suadetque ne magnum quidpiam de se comminiscantur, ostendens eos extremorum reos malorum, nisi poenitentiam egerint, missisque majoribus suis, depulsaque illa quam inde conceperant jactantia, eum qui advenerat receperint.

7605 Etenim obscurata fuerant interim ea quae ad Christum spectabant, et apud multos extincta esse videbantur, ob caedem in Bethlehem perpetratam. Etiamsi enim cum duodecim annorum esset sese exhibuerit, at cito in priorem sese obscuritatem deduxit; ideoque splendidis exordiis et sublimiore principio opus habebat; propterea tunc primum ea quae nunquam audierant Judaei, vel a Prophetis, vel ab aliis quibuslibet, illa inquam conspicua voce praedicat, coelos et regnum coelorum commemorans, nihilque de terra loquens. Regnum autem hic dicit adventum ejus et priorem et posteriorem.

7606 Regnum.

- Et quid hoc ad Judaeos, inquies, qui nesciebant quid diceret?

- Ideo sic loquor, inquit ille, ut dictorum obscuritate excitati, veniant ad perquirendum illum qui praedicatur, ita ut et publicani et milites interrogent quid faciendum, et quomodo instituenda vita sit; quod signum erat ipsos, missis saecularibus

rebus, alia majora respicere, et futura quasi per somnium imagirari. Etenim cuncta quae videbant et audiebant, ad sublimium rerum sensum erigebant illos.

7607 Cogita igitur quantum id esset, hominem videre post annos triginta ex deserto venientem, principis sacerdotum filium, qui nulla unquam rerum terrenarum eguerat, et omni ex parte venerandum, qui Esaiam secum habebat; aderat quippe ipsi praedicanti, et dicens: Hic est quem adventurum esse praedixi clamantem, et in deserto clara voce omnia praedicantem. Tantum enim erat prophetarum circa res istas studium, ut non modo Dominum suum, sed etiam locum praedicerent in quo versaturus erat, nec non praedicationis modum quo ad docendum usurus erat, et quam praeclarum hinc opus emersurum esset.

7608 Vide ergo quomodo ad eumdem sensum ambo prodeant, licet non iisdem verbis utantur, Propheta nempe atque Baptista. Propheta namque ipsum adfuturum esse praedicit his verbis:... *Parate viam Domini, Matth. 3,3;* Ille vero postquam advenit dicebat: *Facite fructus dignos poenitentiae, Matt. 3,8*; quod idem significat atque illud: Parate viam Domini.

7609 Viden' et per ea quae propheta dixit, et per ea quae ipse praedicavit, unum significari: ipsum scilicet et ut praeiret, et ut viam pararet advenisse? Non ut donum largiretur, scilicet remissionem, sed ut praepararet animas eorum qui universorum Deum recepturi erant.

7610 *Lucas* vero, *3,5 sq*. amplius quid adjecit, nec satis habuit principium dumtaxat afferre, sed totam affert prophetiam, nam ait, *Isai. 40,4 sq*: Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur: et erunt prava in directa, et aspera in vias planas; ev videbit omnis caro salutare Dei. Viden' quomodo jam olim Propheta omnia dixit, et populi concursum, et rerum in melius mutationem, et praedicationis facilitatem, et rerum gerendarum omnium causam, etsi tropis haec resperserit? Erat quippe prophetia futurorum.

7611 Cum enim ait: Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt aspera in vias planas, humiles exaltandos, et arrogantes humiliandos esse praenunciat, atque legis difficultatem in fidei facilitatem esse mutandam. Non ultra, inquit, sudores et labores, sed gratia et venia delictorum, quae facillimam ad salutem viam paret. Deinde horum causam apponit dicens: Videbit omnis caro salutare Dei, *Luc. 3,6*.

7612 Non ut olim Judaei et proselyti tantum, sed et omnis terra et mare, universaque hominum natura. Per prava enim et tortuosa, vitam quamlibet corruptam subindicavit; publicanos, fornicatores, latrones, magos, qui cum perversi prius essent recta deinde via processerunt; quod etiam ipse dicebat: Publicani et peccatores praecedent vos in regno Dei, *Matt. 21,31*, quia crediderunt.

7613 Idipsum aliis verbis subindicavit propheta, *Isai. 65,25*: Tunc lupi et agni simul pascentur. Sicut enim ibi per colles et valles inaequalitatem morum in unam

philosophiae aequalitatem commisceri dixit, ita et hic quoque per brutorum diversam naturam varios hominum mores indicans, rursum eos in unum pietatis concentum jungi declaravit; et hic rursum causam adjiciens ait, Isai. 11,10: Erit qui consurget regere gentes, in ipsum gentes sperabunt. Quod ipsum ibi quoque dixit: Videbit omnis caro salutare Dei. Ubique ostendens evangeliorum virtutem ac notitiam ad usque fines terrae diffundendam esse, quae a ferinis moribus animisque asperis in mansuetam et mitem indolem genus hominum transmutabit.

7614 *Matth. 3,4: Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos.*

Viden' alia Prophetas praedixisse, alia evangelistis reliquisse narranda? Quapropter Matthaeus et prophetias affert, et sua adjicit, neque extra rem putavit de justi vestibus loqui. Erat quippe res mira et stupenda in humano corpore tantam videre tolerantiam; quod certe Judaeos magis attrahebat, qui magnum Eliam in ipso respiciebant, et ex iis quae tunc videbantur beati illius viri memoriam revocabant, imo in majorem rapiebantur admirationem. Ille namque in urbibus et in domibus alebatur, hic autem ab incunabulis toto tempore in deserto versatus est.

7615 Oportebat enim praecursorem illius qui vetera omnia soluturus erat, nempe laborem, maledictionem, dolorem atque sudorem, quaedam habere symbola hujuscemodi doni, et damnatione illa superiorem esse. Itaque nec terram aravit, neque sulcos dissecuit, non in sudore vultus panem comedit; sed facile parabilis erat mensa ejus, et mensa facilior amictus, et habitaculum facilius amictu.

7616 Neque enim tecto, vel lecto, vel mensa, vel aliquo simili opus habuit, sed angelicam quamdam vitam in hac carne exhibuit. Ideo vestimentum ipsius ex pilis camelorum concinnatum erat, ut ex habitu nos institueret ut ab humanis absisteremus, ac nihil cum terra commune haberemus; sed ad pristinam nobilitatem reverteremur in qua degebat Adam antequem vestimentis et amictu egeret.

7617 Sic et regni et poenitentiae vestis hujusmodi symbolum praeseferebat. Nec mihi dicas:

- Unde illi cilicina vestis et zona in deserto habitanti? Nam si ea de re quaestionem moveas, alia quoque multa quaerere poteris: quomodo in hieme, quomodo in aestu in solitudine versabatur, maxime in tenero corpore et immatura aetate; quomodo potuit puerilis carnis natura versari in tanta aëris inaequalitate, cum tam singulari mensa et ceteris vastae solitudinis miseriis. Ubi nunc sunt Graecorum philosophi, qui frustra Cynicam impudentiam sectati sunt? Quid opus erat in dolio sese includere, et tali deinde lascivia uti? Qui annulis, phialis, famulis, ancillis et reliqua pompa instructi erant, et in utrumque excessum prolapsi sunt.

7618 At hic talis non erat, sed desertum quasi coelum habitavit, accurate philosophiam omnem exhibens, indeque seu quis Angelus de coelo, in urbes descendit, athleta pietatis, coronatus in orbe, et philosophus illa philosophia quae coelis digna

esset. Haec porro erant cum nondum solutum peccatum esset, cum nondum lex cessaret, morte nondum victa, portis aereis nondum confractis; sed vigente adhuc veteri vivendi genere. talis utique est fortis vigilque animus, nam ubique prosilit, positasque metas transcurrit, quemadmodum et Paulus in novi testamenti observatione faciebat.

7619 - Sed cur, inquies, cum vestimentis etiam zona utebatur?

- Id in more erat apud veteres, priusquam molle hoc et diffluens vestimenti genus induceretur. Sic itaque et Petrus, et Paulus, cincti inveniuntur; nam *Act. 21,11*: Virum cujus haec zona est... Elias quoque sic vestitus erat; sic sanctorum singuli, quod sive in jugi opere versarentur, sive iter agerent, sive aliam quamvis rem necessariam cum labore curarent. Nec ea de causa tantum, sed quod etiam ornatum omnem calcarent, et austerae vitae rationi studerent, quod ipsum magnum virtutis encomium esse Christus dicit his verbis, *Luc. 7,24*: Quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in dominus regum sunt, *Matth. 11,8.*

7620 Si porro ille ita purus, et coelo ipso splendidior Prophetis omnibus dignior, quo major fuit nemo, qui tantam habuit fiduciam, tam aspere vixit, diffluentem voluptatem tantopere despiciens, tam duram agens vitam, quam excusationem habebimus, qui post tanta beneficia, sexcentis peccatorum sarcinis onusti, nec minimam quidem partem poenitentiae illius exhibeamus, sed ebrietati et ventri dediti simus, unguentis fragrantes, nec meliores theatralibus illis meretricibus, undique mollitiei nos dedentes, diabolo captu faciles nos praebeamus?

7621 *Matth. 3,5*: *Tunc exibat ad eum Jerosolyma et omnis Judaea, et omnis regio circa Jordanem; v. 6: et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.*

Viden' quantum Prophetae praesentia valuit, quomodo totum populum excitavit? Quomodo effecit ut peccata in memoriam revocarent? Nam admiratione dignum erat videre illum in humano habitu talia exhibentem, et tanta utentem dicendi libertate, atque adversus omnes quasi contra pueros insurgentem, multaque in vultu gratia fulgentem. Ad stuporem conferebat quod post multum temporis propheta appareret; nam haec gratia apud illos defecerat, et post diuturnum tempus reversa est.

7622 Praedicationis autem modus novus et singularis erat. Nihil quippe consuetorum audiebant: futura nempe bella et proelia, victoriasque terrenas, fames et pestes, Babylonios, Persas, urbis excidium, et alia quae solebant; sed coelos et coeleste regnum, gehennaeque supplicium. Propterea quamquam rebelles illi qui cum Juda et Theuda in deserto fuerant, non multo ante tempore trucidati fuissent, non ideo segnius eo se contulerunt; non enim ad easdem res perpetrandas ipsos convocabat, ad tyrannidem scilicet, ad defectionem, ad res novandas, sed ut ad supernum

regnum deduceret. Ideoque non detinuit secum in deserto, neque circumduxit, sed baptizatos et philosophiae sermonibus institutos dimisit, per omnia docens terrena despicere et ad futura tendere, ac quotidie se concitare.

7623 # MEDITAZIONE 11.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 3,7-12*: *Videns autem multos Pharisaeorum, et Sadducaeorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum: quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? v. 8: Facite ergo fructum dignum poenitentiae. v. 9: Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham; dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidiibus istis suscitare filios Abrahae. v. 10: Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. v. 11: Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni. v. 12: Cujus ventilabrum in manu sua; et permundabit aream suam et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibil*

i.

7624 *Matth. 3,7*: *Videns autem multos Pharisaeorum et Sadducaeorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?*

- Cur ergo ait Christus eos non credidisse Joanni? *Matth. 11,18; 21,25*.

- Quia non erat illud credere, cum eum qui ab ipso praedicabatur non acciperent; nam et prophetis et legislatori attendere videbantur, et tamen dixit ille non attendisse, quia eum qui ab illis praedicabatur non receperunt. Jo. 5,46: Si enim crederitis Moysi, crederitis forsitan et mihi.

7625 Et postea, interrogati a Christo, *Matth. 21,25*: Baptismus Joannis, unde erat? e coelo an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes: *v. 26*: Si dixerimus: e coelo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Ex his ergo omnibus palam est ipsos venisse et baptizatos fuisse, sed in fide praedicationis non mansisse. Etenim Joannes illorum nequitiam ostendit, quando illi ad Baptistam miserunt dicentes, *Jo. 1,21 sq*: Elias es tu?... Propheta es tu? Quamobrem intulit, *v. 24*: Et qui missi fuerant erant ed Pharisaeis.

7626 - Quid itigur? Annon turbae, populi, idipsum putabant?

- Etiam: verum plebs simplici mente haec suspicabatur; Pharisaei vero ipsum in sermone capere volebant. Quia enim in confesso erat Christum esse venturus ex vico Davidis, hic vero ex Levitica Tribu erat, interrogando insidias ipsi parabant, ut si quid secus responderet, in illum insurgerent. Hoc enim etiam ex sequentibus

declarat; nam cum nihil eorum quae ipsi expectabant respondisset, tamen ipsum culpantes dicunt: Quid ergo baptizas, si tu non est Christus? *Jo. 1,25*. Ut vero discas alia mente Pharisaeos, alia plebem venisse, audi quomodo evangelista hoc etiam declaret.

7627 Cum nempe de populo ait ipsos venisse, et ab illo baptizatos esse confitentes peccata sua; de Pharisaeis vero non similiter, sed his verbis:

Videns autem multos Pharisaeorum et Sadducaeorum venientes ad baptismum, dixit eis: Progenies viperarum, quid demonstravit vobis fugere a ventura ira? *Matth. 3,7*. Papae, quantum animi magnitudinem! Quomodo alloquitur homines sanguinem propheticum semper sitientes, quique non erant serpentibus mitiores! Cum quanta et illos, et parentes illorum libertate criminatur!

7628 - Etiam, inquit, loquendi libertas maxima est; sed quaerendum an libertas hujusmodi aliqua ratione nitatur. Neque enim peccantes vidit, sed resipiscentes: quapropter non culpare oportebat, sed laudare, atque suscipere, quia relicta urbe et domo accurrant praedicationem audituri.

7629 Quid ergo dicamus? Ipsum videlicet non praesentibus, neque rebus quae palam gerebantur attendisse, sed arcana mentis eorum novisse, id revelante Deo. Quoniam igitur de majoribus suis altum sapiebant, idque ipsis perniciei causa fuerit, ipsosque in desidiam confecerat, arrogantiae radicem succidit. Propterea Esaias illos principes Sodomorum e populum Gomorrae vocat, *Isai. 1,10*; et alter propheta dicit, *Amos 9,7*: Numquid non ut filii Aethiopum vos estis mihi, filii Israel, ait Dominus? Omnesque ab hac opinione deducunt illos; tumorem illorum evacuantes, qui innumerabilium ipsis malorum causa fuerat.

7630 - At illos moderatiores reddat. Si quis autem accurate dictis attendat, laude increpationem temperavit. Admirans quippe illos, quod sero tandem ea facere potuissent, quae nunquam fieri posse videtur, et curantis ut resipiscant. Cum enim illos objurgare videtur et magnam prius illorum nequitiam fuisse ostendit, et mutationem ipsorum mirabilem atque atque stupendam.

7631 Quomodo factum est, inquit, ut cum illorum filii sint, et tam male educati, poenitentiam agant? Unde haec tanta facta est mutatio? Quis asperitatem animi eorum sic emollivit? Quia immedicabilia vulnera curavit? Et vide quomodo illos a principio statim increpavit, gehennae sermones ceteris praemittens; neque enim dixit ea quae dici consueverant: Quis ostendit vobis fugere bella, barbarorum incursus, captivitates, fames, pestilentias? Sed aliud quoddam supplicium obtendit, quod nunquam ipsis manifestum fuerat, ita dicens: Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?

7632 *Genimina viperarum, 3,7*: jure illos nominavit; siquidem hoc serpentum genus, parturientem se interficit, et viscera matris corrodens dicitur in lucem prodire; id quod et illi faciebant, patrum et matrum interfectores, qui doctores suos

propriis manibus occidebant. Sed in correptione gradum non sistit, sed consilium adjicit: *Matth. 3,8*: *Facite ergo fructum dignum poenitentiae*. Non enim satis est fugere malum, sed et virtutem magnam exhibere oportet; ne mihi enim contraria illa et consueta exhibeatis; nec modico vos tempore reprimentes, ad eamdem nequitiam referamini.

7633 Non enim ad eadem ipsa venimus ad quae priores prophetae: diversa sunt praesentia et sublimiora, quia ipse regni Dominus advenit ad majorem deducens philosophiam, in coelum vocans, et ad illa trahens tabernacula. Ideo de gehenna sermonem aperio; nam et bona et mala aeterna sunt. Ne itaque in iisdem malis perseveretis; nec solitos obtentus proferatis, Abrahami, Isaaci, Jacobi, proavorum vestrorum nobilitatem.

7634 Haec autem dicebat, non quo impediret illos, ne se dicerent ex sanctis illis progenitos, sed cohibens illos, ne huic generi confiderent, neu animae virtutem negligerent; simul et quae in mente versabant proferens, et futura praedicens. Nam et postea prodeunt dicentes, *Jo. 8,33*: Semem Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam.

7635 Quoniam igitur hoc erat quod illos maxime in arrogantiam extulit et perdidit, hoc primum ipse reprimit. Vide autem quomodo post servatum Patriarchae debitum honorem, hos postea emendare nitatur. Cum enim dixisset: *Matth. 3,9: Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham,* non addidit: nihil enim vos poterit Patriarcha juvare, sed mitius et honestius hoc ipsum subindicavit, dicens: Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.

Quidam dicunt id de gentibus dici, quas lapides metaphorice vocat; ego vero et aliam dicti sententiam esse puto.

- Qualem illam?

7636 - Ne putetis, inquit, si vos pereatis, Patriarcham sine filiis fore; non ita utique res se habet; Deus enim potest ex lapidibus filios illi dare, et ad ejus genus cognationemque illos deducere: siquidem hoc ipsum a principio factum est. Nam ex lapidibus homines fieri tale est, quale ex vulva sterili puellum prodire.

7637 Quod et Propheta subindicans dicebat, *Is. 51,1*:... Attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci de qua praecisi estis. *v. 2*: Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quae peperit vos. Hanc ergo prophetiam illis revocat in memoriam, ostenditque sicut a principio illum sic mirabiliter patrem effecit, quasi ex lapidibus, sic et nunc quoque id posse fieri.

7638 Sed vide quomodo et terreat et exscindat. Non enim dixit: *excitant*, ne ipsi animum desponderent; sed suscitare potest. Neque dixit: homines facere potest ex lapidibus, sed quod multo majus erat, et cognatos et filios Abrahae. Viden quomodo illos abduxit a carnali illa imagine, et a praesidio proavorum, ut in

propria poenitentia temperantiaque spem salutis ponerent? Viden quomodo cognationem carnis excludens, fidei cognationem inducit? Perpende itaque quomodo in sequentibus horum timorem augeat, et solicitudinem intendat.

7639 *Cum dixisset: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae, Matth. 3,9*, subjunxit: *3,10*: *jam enim securis ad radicem arborum posita est*, per omnia terribilem sermonem reddens; nam ex vitae genere magnam dicendi libertatem nactus erat; illi vero vehementi egebant increpatione, quia a multo jam tempore obduruerunt. Quid enim dico, inquit, fore ut excidatis a Patriarchae cognatione, et alios videatis ex lapidibus in vestram succedere dignitatem? Nam ulterius adhuc procedet vindicta: *jam enim securis ad radicem arborum posita est, ibi.*

7640 Nihil terribilius hac loquendi figura; jam quippe non ultra falcem volantem, non sepem destructam, non conculcatam vineam cernere est; sed securim admodum excutam, quoque gravius, non ad januas positam. Quia enim prophetis non credentes saepe dicebant: Ubi est dies Domini? et: Veniat consilium sancti Israel, ut sciamus, *Isai. 56,19*; eo quod ea quae praedicebantur post multos annos saepe acciderent, ut hac illos consolatione privaret, vicinam ipsis calamitatem constituit. Illud porro declaravit haec vox: *jam.*

7641 Indicat item illud jam securis radici admota sit: nihil enim intermedium est, inquit; sed jam radici instat. Non dixit, ramis, non fructibus, sed radici, ostendens ipsos, si segniter agant, immedicabilia mala passuros esse, sine ulla spe curationis; neque enim servus est is qui advenit, ut antea, sed ipse universorum Dominus, qui vehementem et gravissimam infligit vindictam.

7642 Attamen postquam illos exterruit, non sinit in desperationem incidere; sed quemadmodum supra non dixit: suscitavit, sed: suscitare potest filios Abrahae, timorem silum et consolationem immittens, sic et hoc loco non dixit: radicem attigit, sed: ad radicem posita est; seu radici admota est, et nullam fore dilationem ostendit.

7643 Ceterum, etsi illam ita prope admoverit, sectionem in vestro ponit arbitrio; nam si convertamini et in melius mutemini, nihil operata securis removebitur; si autem in iisdem studiis maneatis, radicitus arborem avellet. Ideo securis nec a radice amovetur, neque secat admota, tum ne decidatis, tum ut discatis posse vos brevi tempore mutatos salutem consequi. Ideo undique timorem auget ut excitet ipsos, impellatque ad poenitentiam. Nam et ab avorum dignitate excidere, et alios in sui locum inductos cernere, et mala in januis esse, et intolerabilia mala instare, quae utraque per radicem et per securim indicavit, haec, inquam, poterant vel admodum in socordiam lapsos excitare et solicitos reddere.

7644 Hoc itaque declarans Paulus dicebat, *Rom. 9,28*: Verbum enim consummans et abbrevians in aequitate, quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Sed ne timeas; imo potius time quidem, sed ne desperes; nam adhuc spem

mutationis habes; neque enim sententia in opus prodit, neque securis ad secandum venit. Quid enim ne secaret impediebat illam radici admotam? Sed ut timore meliorem redderet, et ad ferendum fructum aptaret admota fuit. Ideo intulit:

Omnis ergo arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur, *Matth. 3,10*.

7645 Cum porro dicit: omnis, amovet omnem nobilitatis praerogativam. Etiamsi enim ipsius Abrahae nepos sis, inquit, etiamsi inter avos multos enumerare possis Patriarchas, duplex supplicium lues, si sine fructu maneas. His verbis publicanos terruit, militum animum comovit, non in desperationem conjiciens, sed ab omni segnitie detrudens. Nam id quod dictum erat, cum timore magnam adjunctam habebat consolationem. Cum dixit enim: quae non facit fructum bonum, ostendit illam quae fructum bonum profert nulli supplicio esse obnoxiam.

7646 - Et quomodo, inquies, fructum ferre poterimus, instante sectione et in tam angusto tempore, cum statutus terminus sit ita proximus?

- Poteris inquit: non enim talis est ille qualis arborum fructus, qui multum postulat tempus, et est anni tempestatibus subditus, ac multa eget operatione; sed sufficit velle, et statim floret arbor. Neque enim radicis natura tantum, sed etiam ars agricolae ad fructum ferendum maxime juvat. Idcirco, ne dicerent: Nos turbas, urges, cogis, admota securi sectionem comminando, et in ipso supplicii tempore fructus proventum exigis, subjunxit ostendens offerendi fructus facilitatem.

7647 *Matth. 3,11: Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est; cujus non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni.*

His declarans voluntate simul et fide opus esse, non laboribus sudoribusque; atque ut facile est baptizari, ita facile esse converti et meliores evadere.

7648 Postquam igitur illorum animos commoverat, timore judicii et expectatione supplicii, securis nomine, majorum amissione, aliorum inductione filiorum, duplici supplicio sectionis et incendi, et postea horum omnium duritiem asperitatemque mitigaverat, ac malorum depulsionis desiderium induxerat, tunc demum de Christo verba facit, non simpliciter, sed excellentiam ejus attollens; deinde quantum intervalli esset inter se et illum declarans, ne videretur id ad gratiam dicere, ex comparatione donorum quae ab utroque manerent id peragit.

7649 Non enim statim dixit: Cujus non sum dignus calceamenta portare; sed postquam baptismi sui simplicitatem posuit, et ostendit illum nihil plus habere quam quod ad poenitentiam ipsos deduceret, neque enim dixit: in aqua remissionis, sed: in aqua in poenitentiam, Christi baptismum ponit ineffabili dono refertum.

7650 Ne, inquit, cum audis ipsum post me venire, illum despicias, quod postremus venerit, disce vim doni ipsius, et clare scies me nec dignius quidpiam vel magnum protulisse, cum dixi: cujus non sum dignus calceamenta portare. Itaque

cum audieris ipsum fortiorem me esse, (fortior me est), ne putes me id per comparationem dixisse; neque enim dignus sum inter servos ejus computari, imo ne inter ultimos servos, neque ministerii vel vilissimam partem obire.

7651 Quamobrem non simpliciter dixit: calceamenta, sed neque corrigiam, *Luc. 3,16,* quod extremum omnium videtur esse. Deinde ne putes haec per humilitatem fuisse dicta, ex rebus ipsis demonstrationem adjicit; nam ait: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni, Matth. 3,11.*

7652 Viden quanta sit Baptistae sapientia? Quando ipse praedicat, terribilia omnia praefert, quae in anxietatem conjiciant; quando autem ad Christum mittit, bona annunciat, quae animos possint recreare. Neque enim securim, neque excisam arborem, vel combustam et in ignem conjectam, neque futuram iram in medium adducit, sed peccatorum remissionem, supplicii veniam, justitiam, sanctificationem, redemptionem, adoptionem, fraternitatem, haereditatis consortium, et Spiritus Sancti copiosam largitionem.

7653 Haec omnia subindicavit dicens: Vos baptizatis in Spiritu Sancto et igni, ignis additione vehementiam et efficaciam gratiae demonstrans. Perpende igitur quo animo verisimile est tunc fuisse auditores; cogitantes se similes prophetis magnisque illis viris mox futuros esse; ideo enim ignis mentionem fecit, ut illis ipsorum memoriam revocaret; nam maxima pars earum quas habuere, per ignem apparuere. Sic Moysi in rubo loquutus est Deus; sic omni populo in monte Sina, sic Ezechiel cum Cherubinis.

7654 Animadverte porro, quomodo auditorem excitet primum statuens id quod post alia omnia futurum erat. Oportebat enim immolari agnum, et peccatum deleri, inimicitiam solvi; sepulturam succedere, et resurrectionem, et postea Spiritum Sanctum advenire; at eorum nihil dicit; sed quod postremum erat primum posuit, propter quod cetera omnia facta sunt, quodque maxime idoneum erat ad ejus praedicandam dignitatem; ut cum didicerit auditor se tantum Spiritum accepturum esse, quaerat apud semetipsum quomodo id futurum esset, peccato late regnante; ut illum postea reperiens sollicitum et ad audiendum paratum, sic de passione sermonem induceret, nemine postea in offendiculum labente, ob diuturnam doni hujusmodi expectationem.

7655 Ideo rursum clamabat: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, *Jo. 1,29.* Non dicit: qui remittit; sed, quod majoris erat curae ac providentiae: qui tollit. Non enim idipsum est simpliciter remittere, et postea resumere; nam illud sine periculo fiebat, hoc autem per mortem. Rursus vero dicebat quod Filiius Dei esset; verum neque illud clare dignitatem illius audientibus exprimebat; nondum enim sciebant ipsum esse genuinum filium: ex dono autem Spiritus Sancti id jam constabat.

7656 Quapropter et ipse dicit, *ibi, v. 34:* Et ego vidi, et testimonium perhibui,

quia hic est Filius Dei; quasi ex hoc et illud quoque jam clarum evaderet. Deinde, quia bona dixit auditoremque remisit atque laxavit, rursus illum restringit, ne in desidiam cadat; tale quipe erat Judaeorum genus: ex prosperis cito emolliebantur, deterioresque fiebant; ideoque rursus terribilia inducit, his verbis, *Matth. 3,12: cujus ventilabrum in manu sua; et permundabit aream suam.*

7657 Superius jam supplicium memoraverat; hic vero judicem inducit, immortaleque supplicium; nam ait: Paleas autem comburet igne inextinguibili, *ibi*.

Vides ipsum rerum omnium Dominum agricolam esse, quamquam Patrem hoc ipsum esse alibi dixerit: Pater meus, inquit, agricola est, *Jo. 15,1*.

7658 Quia enim dixit *securis*, ne putares rem labore opus habere, nec facile discerni posse, alio exemplo facilitatem inducit, ostendens mundum totum illius esse: non enim puniret alienos. Nunc vero omnia permixta sunt; etiamsi enim frumentum luceat, attamen cum palea positum est, ut pote in area, non in horreo; tunc autem omnia discernentur. Ubi nun sunt illi qui gehennam esse non credunt? Etenim duo posuit: et baptizaturum esse in Spiritu Sancto, et combusturum non credentes.

7659 Si igitur illud credendum, et hoc etiam prorsus; propter hnoc enim utrumque praedixit, ut ab unius praedictionis eventu, alteri fides non negaretur; nam et Christus id non raro facit: saepe in iis ipsis rebus, saepe etiam in contrariis, duas apponens prophetias, quarum unam exhibet impleta, alteram implendam promittit, ut ab ea quae jam evenit, alteram quae nondum evenit vel contentiosiores credant.

7660 Etenim iis qui propter ipsum omnia relinquerint, centuplum in praesenti saeculo, se daturum pollicitus est; *Matth. 19,29*, et vitam aeternam in futuro: ex iis quae hic dantur, futura fide diigna reddens. Id quod etiam fecit Joannes, utrumque ponens: et quod baptizat in Spiritu Sancto, et quod comburat igne inextinguibili.

7661 Si itaque non baptizavit in Spiritu Apostolos, neque illos qui quotidie baptizari vellent, de illis etiam dubitandi locum haberes; si vero id quod majus et difficilius esse videbatur, et quod sermonem omnem superat, et factum est et quotidie efficitur, quid causae est cur id non facile et secundum rationem est verum non esse dicas?

7662 Quia enim dixit: baptizabit in Spiritu Sancto et igni, et magna hic promisit bona, ne animo concideres prioribus omnibus neglectis, ventilabrum induxit, et judicium, sive delectum, per hoc fieri solitum. Ne putetis enim, inquiit, baptismum sufficere, si improbi postea fueritis; opus quippe nobis est et virtute et multa philosophia.

7663 Propterea lavacrum in gratiam, ipsos a securi illa depellit et transfert, post gratiam autem a ventilabro et igne inextinguibili terret; et nullam facit distinctionem eorum qui nondum baptizati sunt, sed generaliter ait, *Luc. 3,9*: Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur: infideles omnes puniens; post baptisma

autem distinctionem quamdam efficit, quia multi eorum qui credidere, fide indignam vitam ducturi erant.

7664 Nemo itaque palea fiat, nemo sit fluctuans, neque pravis cupiditatibus sit addictus, ita ut ab illis facile undique jactetur. Si enim frumentum maneas etiamsi tentatio ingruat, nihil mali passurus es; nam in area rotae currus sulcandi facultatem habentes, frumentum non scindunt; si vero in paleae fragilitatem incideris, et hic intoleranda patieris, ab omnibus concius, et illic supplicium lues aeternum. Qui enim tales sunt, anteqam fornacem illam futuram adeant, irrationabilium affectuum hic esca efficiuntur, ut paleae sunt brutorum cibus, et illic rursus materia et cibus ignis erunt.

7665 Si statim dixisset: Ipse judicabit de actionibus, sermonem non ita probabilem reddidisset; cum autem; parabolam admisicuit, et per eam omnia dispensavit, id ad persuadendum magis aptum erat, et cum majori consolatione auditorem trahebat. Idcirco illos saepe hac ratione alloquitur, aream, messem, vineam, torcular, agrum, sagenam, piscium capturam, et omnia quae in usu erant, et in quibus versabantur verbis suis admiscens. Id quod etiam Baptista hic fecit, dictorumque maximam demonstrationem protulit Spiritus Sancti donum. Qui enim tantum posset ut etiam peccata dimitteret et Spiritum daret, haec multo magis facere poterit, ajebat.

7666 Viden' quomodo jam praemitteretur mysterium resurrectionis et judicii.

- Et qua de causa, inquies, non praedixit ea quae mox ab illo edenda erant signa et miracula?

- Quia hoc iis omnibus majus erat, et propter hoc illa omnia edita sunt. Nam cum caput poneret, omnia complectebatur: mortis solutionem, peccatorum destructionem, maledictionis amotionem, a diuturnis bellis liberationem, ingressum in paradisum, ascensum in coelum, vitam cum Angelis ducendam, futurum bonorum consortium: nam illorum pignus est. Cum ergo illud dixisset, dixit etiam corporum resurrectionem, signa hic edita, regni consortium, et bona quae oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, *1 Cor. 2,9*.

7667 Haec quippe omnia per donum illud nobis praebeat; superfluum itaque erat de signis loqui mox futuris, et oculorum judicio probandis; sed de illis erat loquendum de quibus dubitabant illi, nempe quod Filius Dei esset, quod Joannem sine ulla comparatione praecederet, quod tolleret peccatum mundi, quod de operibus rationem exacturus esset, quod nostra non essent praesentibus rebus circumscripta, sed illic singuli dignum supplicium luituri essent. Haec enim oculis subjicere tunc non licebat.

7668 # MEDITAZIONE 12.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 3,13-17*: *Tunc venit Jesus a Galilaea in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. v. 14: Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? v. 15: Respondens autem Jesus dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. v. 16: Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei coeli et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se. v. 17: Et ecce vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

7669 *Matth. 3,13*: *Tunc venit Jesus a Galilaea in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.*

Cum famulis dominus, cum reis judex baptizandus venit; sed ne turberis: nam in humilibus hujusmodi rebus ejus celsitudo maxime resplentet. Qui enim in virginali vulva tanto tempore gestari passus est, et inde cum natura nostra prodire, alapis caedi, et crucifigi, et alia perpeti quae passus est, quid miraris si baptizari dignatus sit, et cum aliis ad servum accedere? Illud enim stupendum erat, quod Deus cum esset, vellet homo fieri; cetera vero deinceps secundum rectam rationem consequuntur.

7670 Ideo enim Joannes statim dixit se non esse dignum calceamenta portare, ceteraque omnia: nempe quod judex sit, quod pro merito singulis reddat, quodque Spiritum affatim daturus sit omnibus, ut cum videris eum ad baptismum venientem nihil vile suspiceris. Idcirco praesentem illum cohibet dicens:

7671 *Johannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?*

Quia enim baptismus poenitentiae erat, et in accusationem peccatorum inducebat, ne quis putaret ipsum eodem animo ad Jordanem venire, hanc cogitationem corrigit, dum agnum vocat, et peccatorum per orbem omnium redemptorem.

7672 Qui enim totius humani generis peccata tollere potest, multo magis ipse impeccabilis erat; ideoque non dixit: Ecce impeccabilis; sed, quod multo majus erat: qui tollit peccata mundi; ut cum hoc et illud omnino certum habeas, videasque illum alia quaedam administrantem ad baptismum venire. Idcirco venienti illi dicebat: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? 3,14.* Neque dixit: Et tu baptizaris a me? nam illud metuit dicere; sed quid? Et tu venis ad me.

7673 Quid igitur Christus? Quod erga Petrum postea, *Jo. 13,6 sqq*, id tunc etiam fecit; nam et ipse cohibebat illum ne pedes suos lavaret; sed cum audisset:

Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea, et: non habebis partem mecum, statim obsecutus est. Neque enim pertinaciter erant contentiosi, sed amorem simul et obedientiam exhibebant, in omnibusque Domino obtemperare studebant.

7674 Hic quoque similiter, ut audivit: *Matth. 3,15*: *Respondens etc...* Si modo etc.

Considera autem quomodo illum ab eo inducat a quo maxime putabat non par esse ita fieri; non enim dixit: Sic justum est; sed: *Sic... decet*. Quia enim indignum omnino esse putabat, si ille a servo baptizaretur, hoc maxime ipsi contra opposuit, ac si dixisset: Nonne id refugis et cohibes quasi indecorum? Propterea ergo sine, quia admodum decorum est. Neque simpliciter dixit: Sine, [sed addidit]: modo; non enim perpetuo ita erit, inquit, sed in eo statu me videbis quo desideras: at nunc hoc expecta. Deinde ostendit quomodo illud deceat.

7675 - Quomodo igitur decet?

- Quia legem totam implemus; id quippe significavit dicendo: Omnem justitiam. Justitia enim est mandatorum observatio; quia igitur, inquit, alia omnia mandata implevimus, hoc autem unum superest, et illud quoque adjungi oportet.

7676 Veni quippe solvere maledictum ex transgressione legis impositum: oportet igitur me ipsum, cum totam legem implevero, et vos a damnatione liberavero, sic illam abrogare. Decet ergo me totam implere legem, quia decet etiam maledictum solvere, contra vos in lege inscriptum. Ideo carnem assumpsi et adveni.

7677 *Matth. 3,15*: *Tunc dimisit eum. v. 16: Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei coeli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se.*

Quia enim multo majorem illo Joannem esse putabant, eo quod in deserto semper vixisset, filius sacerdotis esset, talique indutus vestimento, atque omnes ab baptismum vocaret, exque sterili natus esset; Jesus vero ex obscura puella natus, partus enim ex Virgine nondum omnibus erat notus, quodque domi nutritus, cum omnibus versatus et vulgari veste esset indutus, minorem ipsum esse putabant, quia nihil adhuc ex arcanis illis viderant.

7678 Contigit autem et ipsum a Joanne baptizari, id quod illam maxime firmabat opinionem, etiamsi nihil aliud ex dictis praecessisset. Cogitabant enim eum esse quempiam ex vulgo, alioquin enim, nisi de vulgo esset, non cum turba ad baptismum venturus erat. Joannes vero major et longe mirabilior esse putabatur. Ne igitur illa apud multos sententia praevaleret.

Baptizatus Jesus... ascendit: et ecce aperti sunt coeli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se; et vox Spiritu [audita est] praedicans hujusce Unigeniti dignitatem: *Et ecce vox de coelis dicens... 3,16*.

7679 Quia enim haec vox quae dicebat: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ibi,* multo magis Joanni competere apud plurimos visa fuisset, (neque

enim addiderat: hic qui baptizatur, sed: Hic simpliciter) et [quia] auditorum singuli id potius de baptizante, quam de baptizato dici suspicati fuissent, tum ob ipsam Baptistae dignitatem, tum ob ea omnia quae jam dicta sunt, venit Spiritus columbae specie, qui vocem; trahere ad Jesum, omnibusque declararet vocem illam "hic", non de Joanne baptizante, sed de Jesu baptizato proferri.

7680 - Et quare, inquies, his ita gestis non crediderunt?

- Quia enim sub Moyse multa patrata sunt miracula, etiamsi non talia; et tamen post illa omnia, post voces et tubas, et fulgura, vitulum conflarunt, et Belphegori initiati sunt. Ipsique etiam qui tunc praesentes erant cum Lazarum suscitatum vidissent, tantum abfuit ut crederent talia patranti, ut etiam illum occidere saepe tentarent.

7681 Si igitur prae oculis habentes mortuorum reurrectionem ita erant increduli et pravi, quid miraris si vocem illam supernam non exceperunt? Cum enim improba et perversa est anima, livorisque morbo affecta, nulli cedit miraculo; contra vero cum proba est, omnia cum fide accipit, imo neque his admodum opus habet.

7682 Ne igitur quaeras cur non crediderunt; illud tibi quaerendum esset, si non facta fuissent omnia quae ad credendum inducere debebant; etenim, per prophetam Deus super haec omnia quae ab se praestari debuerunt, hunc defensionis modum affert; quia enim futurum erat ut Judaei perirent et extremo supplicio traderentur, ne quis ex ipsorum nequitia ejus providentiam culparet, ait, *Isai. 5,4*: Quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei? Idipsum hc consideres oportet quid oportebat fieri et non factum est. Et si quando de providentia Dei sermones moveantur, hoc defensionis modo utere adversum eos qui de multorum improbitate ipsam criminari conantur.

7683 Perpende igitur quam mirabilia perpetrentur, et futurorum initia; non enim paradisus, sed coelum aperitur. Verum haec contra Judaeos oratio in aliud tempus differatur; nunc autem, Deo juvante, ad ea quae jam tractamus sermo referatur.

Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei coeli.

- Cur aperti sunt coeli?

- Ut discas cum tu baptizaris idipsum fieri, Deo te ad coelestem patriam vocante, et suadente aut nihil cum terra commune habeas.

7684 Quod si id non vides, ne tamen fidem neges; nam in principiis semper admirandarum spiritualiumque rerum visiones apparent sensum moventes, et signa hujusmodi; idque stupidorum hominum causa, qui simili visione opus habent, neque possunt aliquam incorporeae naturae ideam; admittere, sed ad visibilia tantum obstupescunt; ut etiamsi postea talia non eveniant, ea quae semel et in principio facta sunt similia, ad fidem iis habendam deducant. Nam et super Apostolos sonus factus est Spiritus vehementis, et linguarum ignearum species apparuere, *Act. 2,1 sqq,* non propter Apostolos, sed propter eos qui tunc praesentes erant Ju-

daeos.

7685 Attamen, licet sensilia signa non fiant, quae per illa semel demonstrata sunt admittimus; nam et columba ideo tunc visa est, ut quasi digito quodam, praesentibus et Joanni Filium Dei monstraret. Neque ideo tantum, sed etiam ut tu disceres etiam super te baptizatum Spiritum descendere. Demum non opus nobis est sensili visione, cum fides vice ejus satis sit; signa quippe non credentibus, sed incredulis dantur. *Cf 1 Cor. 14,22*.

7686 - Cur autem in columbae specie?

- Mansuetum est animal et mundum; quia igitur Spiritus, mansuetudinis est spiritus: ideo illa forma apparuit; alioquin autem veterem historiam nobis in memoriam revocat. Nam cum olim communi naufragio totum orbem invadente, totum prorsus hominum genus periclitaretur, hoc animal apparuit, et tempestatis finem ostendit, ac ramum olivae rostro tenens, communem orbis tranquillitatem nunciavit.

7687 Quae omnia figura futurorum erant? Tunc enim multo deteriore conditione res hominum erant, ac multo majore illi erant supplicio digni. Ne desperes igitur: hanc tibi historiam in memoriam revocat. Nam tunc desperatis rebus, exitus tamen quidam et emendatio fuit; sed tunc per supplicium, nunc vero per gratiam et donum ineffabile.

7688 Ideoque columba apparet, non ramum olivae ferens, sed omnium malorum liberatorem nobis ostendens, bonamque spem exhibens. Neque enim ex arca unum educit hominem, sed cum apparet, totum orbem attollit in coelum, et pro olivae ramo adoptionem filiorum communi orbis generi affert. Magnitudinem ergo doni tecum reputans, ne minorem ejus dignitatem existimes, quod in tali specie appareat. Nam quosdam audio dicentes tantum esse hominem inter et columbam discrimen, quantum inter Christum et Spiritum; quia ille in natura nostra, hic in specie columbae apparuit.

7689 - Quid ad haec dicendum est?

- Scilicet filium Dei naturam hominis assumpsisse: Spiritum vero non naturam accepisse columbae; ideo evangelista non *in natura*, sed *in specie* columbae dixit; neque postea unquam hac figura visus est, sed tunc tantum. Si porro ejus ideo dignitatem minorem dicas, hoc ratiocinandi modo Cherubini illo majores reperientur, et quantum aquila major est columba; nam illi hanc suscepère speciem, et Angeli quoque praestantiores, qui hominum specie apparuerunt.

7690 At non ita, non ita utique res se habet. Nam aliud est veritas oeconomiae, aliud temporalis visionis concessio; ne itaque ingratus sis erga benefactorem, neque contrariam repende vicem, ei qui tibi beatitudinis fontem donavit. Ubi enim est adoptionis dignitas, ibi et malorum depulsio, et bonorum omnium manus; ideo

Judaicum quidem baptisma abrogatur, nostrum autem exordium habet; atque idipsum quod in pascate, in baptismate quoque contigit.

7691 At non ita, non ita utique res se habet. Nam cum utrumque pascha celebraverit, alterum abrogavit, altero vero principium dedit. Et hic rursum, cum Judaicum baptisma implevit, tunc et Ecclesiae baptismatis januas aperit; sicut tunc in una mensa, sic nunc in uno flumine et umbram delineans, et veritatem addens. Spiritus quippe gratiam hoc solum baptisma habet: Joannis vero baptisma hoc dono vacuum erat.

7692 Ideoque dum alii omnes baptizarentur, nihil tale contigit; sed in illo tantum qui illud traditurus erat, ut cum supradictis hoc quoque discas: non puritatem baptizantis, sed baptizati virtutem id fecisse. Tunc itaque et coeli aperti sunt et Spiritus supervenit. Nam a veteri vivendi genere nos jam traducit ad novum, januas supernas aperiens, et Spiritum inde mittens ad illam patriam vocantem; nec tantum vocantem, sed et cum dignitate maxima. Non enim Angelos et Arcangelos fecit, sed filios Dei et dilectos; sic nos ad illam sortem attrahit.

7693 Haec cogitanda omnia, et dilectione vocantis, et consortio illo coelesti, et collato honore, dignam ducas vitam oportet, mundo crucifixus, et mundum in te crucifigens, cum omni diligentia coeleste institutam exhibe. Neque quia corpus tuum nondum translatum est in coelum, putes te aliquid cum terra commune habere; caput enim tuum habes in coelo sedens; ideoque Dominus cum prius huc venisset, Angelosque secum adduxisset, tunc te assumpto illuc abiit, ut tu antequam illuc ascendas, ediscas posse te terram ut coelum incolere.

7694 Perseveremus itaque nobilitatem servare quam ab initio suscepimus, regiamque illam coelestem quotidie quaeramus, ac praesentia omnia umbram et somnium esse putemus. Neque enim si quispiam rex terrenus te mendicum et pauperem repente in filium adoptaret, tugurium tuum ejusque vilitatem ultra respiceres, etiamsi haec non grandi intervallo separantur.

7695 Ne itaque hic quidpiam ex prioribus in mente verses, nam ad longe meliora vocatus es; cum enim is qui vocat Angelorum Dominus sit, bona tibi collata rationem omnem et mentem coelum, et a mortali natura in gloriam immortalem et inefabilem, quae tunc tantum clare poterit perspici, cum illa fruemur.

7696 MEDITAZIONE 13.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 4,1-11: Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. v. 2: Et, cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.*

v. 3: Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. v. 4: Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. v. 5: Tunc assumit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi. v. 6: et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim: Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. v. 7: Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. v. 8: Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde; et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum. v. 9: et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. v. 10: Tunc dicit ei Jesum: Vade Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. v. 11: Tunc reliquit eum diabolus, et ecce Angeli accesserunt et ministrabant ei.

7697 *Matth. 4,1: Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Tunc*:

- Quandonam?

- Post descensum illum Spiritus Sancti, post vocem illam superne delatam et dicentem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, *3,17*. Quodque mirum est, a Spiritu; hic enim ipsum adduxit illuc. Quia enim omnia ad docendum nos fecit et passus est illuc adduci et cum diabolo pugnam committere voluit, ut unusquisque baptizatorum, si post baptismum majores sustineat tentationes, ne turbetur quasi insperatam rem expertus; sed maneat fortiter omnia ferens, utpote re secundum rectam seriem accidente. Etenim ideo arma accepisti, non ut otieris, sed ut pugnes.

7698 Ideo ingruntes tentationes non impedit Deus, primo quidem ut discas te multo fortiorem factum, deinde ut moderate sapias, nec donorum magnitudine extollaris, cum te tentationes reprimant. Ad haec vero, ut malignus ille extollaris, cum te tentationes reprimant. Ad haec vero, ut malignus ille daemon an ab se discesseris dubitans, tentationum experimento certior fiat te, ipso prorsus relicto, abscessione; quarto, ut fortior et ipso ferro solidior sic evadas; quinto, ut thesauri tibi crediti certum habeas argumentum; neque enim te invasisset diabolus, nisi te in majore positum honore vidisset.

7699 Hac de causa enim ab initio insurrexit in Adamum, quia multa illum frui videbat dignitate; ideo et contra Jobum aciem instruxit, quia illum coronatum et ab universorum Deo celebratum videbat.

- Et cur dicit, Matth. *26,41*: Orate ut non intretis in tentationem?

- Propterea Jesus non ultro euntem, sed adductum, secundum oeconomiae rationem, (ductus) subindicans non insiliendum esse, sed si adducamur fortiter esse standum.

7700 Et considera quo illum spiritus duxerit: non in urbem, nec in forum, sed in desertum; quia enim diabolum ipsum volebat allicere, non ex fame tantum sed

etiam ex loco occasionem illi praebuit; tunc enim maxime diabolus ingruit cum solos videt ac seorsim agentes. Sic mulierem initio aggressus est, solam adiens absente viro. Cum enim aliquos simul et congregatos videt, non audet invadere; ideo oportet hac maxime de causa congregari, ne diabolo captu faciles simus.

7701 Invenit ergo illum diabolus in deserto, et in solitudine invia; quod enim talis esset solitudo, Marcus significat his verbis, *Marc. 1,13*: erat cum bestiis. Perpende cum quanta vafritie et nequitia accedat, et quod tempus observet. Non enim jejunantem adit, sed esurientem, ut discas quantum bonum sit jejunium, quantumque sit contra diabolum telum, et quod post baptismum non deliciis, non ebrietati, non mensae, sed jejunio opera sit danda. Propterea enim ille jejunavit, non quod jejunio opus haberet, sed ut nos erudiret quia peccata ante lavacrum ventris crapula intulerat.

7702 Quemadmodum si quis aegrotum ad sanitatem ab se reductum, jubeat non illa facere unde morbus illatus est, sic et ille post lavacrum induxit jejunium. Nam et Adamum intemperantia ventris ex paradiso ejecit, et diluvium, tempore Noe, illa induxit, atque in Sodomitas fulmina immisit. Etiamsi enim utrobique fornicationis crimen erat, attamen utriusque supplicii radix inde prodiit; quod et Ezechiel indicans dicebat, *Ez. 16,49*: Ecce haec fuit iuniquitas Sodomae sororis tuae: superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus.

7703 Sic et Judaei maxima perpetrarunt mala, ab ebrietate et ciborum deliciis in iniquitatem; impingentes. Ideo et ipse jejunat quadraginta diebus, salutis nobis remedia ostendens; neque ulterius procedit, ne ob excessum miraculi oeconomiae veritas non crederetur. Nunc enim minime illud timendum, quoniam Moyses et Elias Dei potentia fulti ad illam jejunii diuturnitatem pertingere potuerunt; si autem ulterius progressus fuisset, hinc plurimis incredibilis visa fuisset carnis assumptio.

7704 *Matth. 4,2: Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit,* occasionem accedendi diabolo praebens, ut congressus ostenderet quomodo opoertet superare et vincere. Sic et athletae faciunt: nam ut discipulos suos doceant quomodo vincere oporteat, ultro cum aliis in palaestra se complicant, in adversorum corporibus spectaculum ipsis exhibentes, ut vincendi modum ediscant; quod tunc etiam factum est. Quia enim diabolum volebat ad certamen attrahere, famem notam ipsi fecit, accedentem excepit, exceptumque semel, bis, ter, ipsum cum facilitate sibi competente prostravit.

7705 Sed ne has victorias praetercurrentes utilitati vestrae aliquid detrahamus, a primo congressu orsi, singulos deinde accurate exploremus. Quoniam esuriit, ait: *Matth. 4,3: Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.*

7706 Quia enim audierat vocem de coelo dicentem: *Hic est filius meus dilectus*,

2,17, audierat item Joannem tanta de ipso testificantem, deindeque vidit illum esurientem, incertus demum erat; neque enim ipsum hominem esse purum credere poterat, ob ea quae de illo dicta fuerant; neque eum filium Dei admittere, quod videret illum esurire.

7707 Quapropter dubius animi, dubias emittit voces; ac quemadmodum Adamo in principio obviam veniens quae non erant fingit, ut quae erant edisceret, ita et nunc: cum non clare cognosceret arcanum oeconomiae mysterium, nec quis esset ille tunc praesens, alia nectere retia molitur, queis putabat id quod absconditum obscurumque erat se discere posse. Ecquid ait:

7708 *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant, 4,3.*

Non dixit: quoniam esuris, sed: *si filius Dei es*; putans se posse illum pellicere; ideo famem tacuit, ne videretur illud ipsi proferre ut exprobraret. Cum non nosset enim rerum quae dispensabantur magnitudinem, id illi probro fore putabat; quapropter adulantis more subdole dignitatem ejus solam memorat.

7709 Quid igitur Christus? Fastum ejus deprimens, ostendensque nec probrosum id esse quod acciderat, nec sapientia su indignum quod ille adulando tacuerat, hoc in medium profert, ac dicit: *Matth. 4,4: Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo.* Sic a necessitate ventris incipit. Tu vero mihi maligni daemonis versutiam perpende, et unde certamen incipiat, et quomodo suae non obliviscatur artis. Ab iis enim queis primum hominem dejecerat, ac sexcentis malis circumdederat, ab iisdem dolum nectit: de ventris intemperantia loquor.

7710 Multos etiam nunc stultos audire est, qui dicunt sexcenta per ventrem mala illata esse; at Christus ostendens virtute praeditum, non posse hac tyrannide compelli ad quaedam contra decorem admittenda, et esurit, et jussui non paret; docens in nullo obsequi diabolo nos oportere. Quia enim primus homo hoc pacto Deum offenderat, legem transgressus, ex abundanti te docet etiamsi id quod ille jubet transgressio non sit, nec sic etiam obtemperandum esse.

7711 Ecquid transgressionem dico? Etsi quid utile dicant daemones, inquit, nec sic quoque illis attendas; sic enim; ille daemones loqui vetuit, praedicantes ipsum esse filium Dei, *Marc. 1,34*; Paulus item, *Act.16,16 sq,* idipsum clamantes increpavit, etiamsi id quod dicebant utile esset; sed illos magis magisque deprimens, eorumque contra nos insidias obstruens, etiam cum salutaria dogmata praedicarent, propulsabat, eorumque obstruens ora, ipsisque silentium imperans.

7712 Idcirco neque hic Christus dictis annuit. Sed quid ait? *Non in solo pane vivit homo, Matth. 4,4*.

Quod vero dicit, hujusmodi est: Potest Deus etiam verbo esurientem alere, ex veteri Scriptura testimonium afferens, *Deut. 8,3* ac docens quamvis esuriamus, quamvis aliud quidpiam patiamur, nunquam a Domino absistendum esse.

7713 Quod si quis dixerit: Certe oportebat id exhibere, respondebo ipsi: Cur, et

qua de causa? Non enim ut crederet id ille dicebat, sed ut quantum opinabatur de incredulitate ipsum convinceret. Quandoquidem primos homines sic decepit, et demonstravit ipsos non multum Deo credere. Nam contraria iis quae Deus dixerat ipse pollicitus, inani eos spe inflans atque in incredulitatem conjiciens, sic etiam ex iis quae possidebant bonis dejecit.

7714 Verum Christus sese monstrat neque diabolo, neque Judaeis, eadem quae diabolus sentientibus, *Luc. 4,25* obtemperantem; nos utique docens, etiamsi possimus aliquid operari, nihil tamen temere et sine causa faciendum esse; imo nec si necessitas instet, diabolo esse obtemperandum.

7715 Quid igitur execrandus ille victus fecit? Postquam suadere non potuerat ut jussum exequeretur, etiam tanta instante fame, ad aliud procedit dicens:

Matth. 4,5: *Tunc assumpsit eum diabolus, etc. v. 6: et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum; scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te.*

7716 - Cur singulis tentationibus hoc praemittit: Si filius Dei es?

- Quod jam prius fecerat, id et nunc facit. Sicut enim tunc Deo detrahebat his verbis, *Gen. 3,5*: Quacumque die comederitis, aperientur oculi vestri; his ostendere volens ipsos deceptos ac delusos fuisse, nihilque beneficii accepisse; ita et hic idipsum subindicans ait: Te frustra filium vocavit, ac dono te fefellit; certe si non ita se res habeat, ostendas nobis oportet, te talem habere potestatem. Deinde, quoniam ex Scripturis ipsum alloquutus erat, ipse quoque prophetae testimonium affert.

7717 - Cur ergo Christus non indignatus, non exasperatus est, sed cum mansuetudine multa rursus ex Scripturis ipsum alloquitur dicens: *Matth. 4,7*: *Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.*

- Ut nos doceat non per signa sed per patientiam superandum diabolum esse, nihilque omnino ad ostentationem esse faciendum.

7718 Ejus porro stultitiam vel ab eo quod attulit testimonio perpende; nam testimonia a Domino allata ambo admodum opportune adhibita sunt; quae autem ab illo usurpantur, temere et inepte proferuntur, nec ad rem propositam accommodata sunt. Neque enim illud: Scriptum est: Angelis suis mandavit de te, suadet sese praecipitem dare; alioquin vero non de Domino hoc dicitur; attamen hoc ille non refellit, etsi contumeliose diabolus dicto usus fuisset, valdeque contrario sensu.

7719 Nemo enim a filio Dei hoc petit, sed diaboli et daemonum consilium est se deorsum mittere, Dei vero jacentes erigere. Nam si potentiam ostendere oporteret, non seipsum mittendo vel praecipitando, sed alios servando id fecisset. Seipsum enim in praerupta et praecipitia mittere, ad diaboli phalangem pertinet.

7720 Sic igitur ille seductor ubique agere solet; sed his dictis Christus non se

tamen revelat, sed quasi homo ei interim loquitur; nam quod dixit: *Non in solo pane vivit homo*, neque illud: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, non sese admodum manifestantis erat, sed sese ex ceterorum hominum numero declarantis. Ne mireris porro si Christum alloquens se circum saepe vertat; quemadmodum enim pugiles cum lethalia accipiunt vulnera, sanguinem circumemittentes, et vertigine capti circumferuntur, sic et ille a prima et secunda plaga obtenebratus, quae in mentem veniunt simpliciter profert, et ad tertium congressum procedit.

7721 *Matth. 4,8-10: Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde; et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum, v. 9: et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. v. 10: Tunc dicit ei Jesus: Vade, Satana! Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*.

Quia enim jam in Patrem ipsum peccaverat, omnia quae illius erant sua esse dicens, et se Deum profiteri studebat, ut Creatorem universi, tunc increpavit; neque cum vehementia, sed simpliciter: Vade, Satana; quod jussum magis erat, quam increpatio. Simul quippe dixit: Vade, et fugavit illum; neque enim alias ipsi tentationes obtulit.

7722 - Et quomodo, inquies, Lucas ait ipsum omnem tentationem consummasse?

- Videtur mihi ut capita tentationum diceret, omnes dixisse; quasi aliis hoc numero comprehensis; nam haec mala innumera alia complectuntur: ventri servire, ad vanam gloriam quid agere, furioso pecuniarum amore teneri; quod cum sciret sceleratus ille, omnibus valentiorem insanabilem habendi cupiditatem ultimam posuit, id jam ante et a principio parturiens, sed postremum servans, utpote validius ceteris. Haec quippe ipsius certaminis lex est, ut quae videntur ad supplantandum aptiora, postrema afferat; quod etiam circa Jobum fecit. Idcirco hic orsus, ab his quae videbantur infirmiora esse, ad valentius procedit.

7723 - Quomodo autem hoc malum vincere oportet?

- Ut Christus docuit, ad Deum confugiendo: ita ut nec fame concidamus, credentes ei qui potest etiam verbo pascere, nec in bonis quae accepimus datorem tentemus, sed superna gloria contenti, humanae nullam habeamus rationem, et ubique quod superfluum est despiciamus. Nihil enim ita diabolo subditum reddit, ut insatiabilis habendi cupiditas et avaritia; idque ex iis quae nunc eveniunt cernere est; sunt enim qui dicant: Haec omnia tibi dabimus si cadens adoraveris: homines quidem natura, sed instrumenta diaboli effecti; nam et tunc non per se solum, sed per alia quaedam ipsum aggressus est; quod declarans Lucas dicebat, *Luc. 4,13*: [recessit ab illo usue ad tempus]: declarans ipsum postea cum propriis sibi instrumentis accessisse.

7724 *Matth. 4,11*: *Tunc reliquit eum diabolus, et ecce Angeli accesserunt et ministrabant ei.*

Cum enim conflictus erat, non sivit illos apparere, ne mox capiendum perterrefaceret. Postquam illum confutavit et fugavit, tunc apparent illi, ut discas te quoque postquam illos viceris, ab Angelis excipiendum esse plaudentibus ac per omnia stipantibus. Sic enim et Lazarum, post fornacem paupertatis, famis et angustiae, Angeli excipientes abierunt. Siquidem, ut jam dixi, multa Christus nunc ostendit quibus nos fruemur.

7725 Quia igitur haec omnia propter te facta sunt, hanc imitare et aemulare victoriam; et si quis ex illis daemonistris te adeat qui talia sapiat, exprobrans tibi ac dicens: Mirabilis magnusque es: montem transfer; ne turberis, ne movearis, sed cum mansuetudine responde, ut Dominum audisti dicentem: Non tentabis Dominum Deum tuum. Sin ille gloriam potentiamque offerens, atque immensam vim divitiarum, adorare te jubeat, sta fortiter; non enim contra communem Dominum nostrum omnium tantum hoc fecit diabolus, sed etiam quotidie in singulos ejus servos has admovet machinas, non tantum in montibus, in desertis, sed etiam in urbibus, in foris, in tribunalibus; neque per se solum, sed et per homines cognatos nostros.

- Quid igitur faciendum?

- Non credendum ei, auresque sunt obstruendae, adulatorque odio habendus; et cum majora promittit, tum magis aversari eum oportet.

7726 MEDITAZIONE 14.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 4,12-25: Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilaeam. v. 13: Et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephtalim, v. 14: ut adimpleretur quod dictum est per Jsaiam prophetam: v. 15: Terra Zabulon, et terra Nephtalim, via maris trans Jordenem, Galilaea gentium, v. 16: populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam; et sedentibus in regione umbrae mortis lux orta est eis. v. 17: Exinde coepit Jesus praedicare et dicere: Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum. v. 18: Ambulans autem Jesus juxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores), v. 19: et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. v. 20: At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. v. 21: Et procedens inde vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedaei et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedaeo patre eorum, reficientes retia sua: et vocavit eos. v. 22: Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum. v. 23: Et circuibat Jesus totam Galilaeam, docens in synagogis eorum, et praedicans evangelium regni, et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo. v. 24: Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et*

obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos, et paralyticos: et curavit eos. v. 25: Et secutae sunt eum turbae multae de Galilaea et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judaea, et de trans Jordanem.

7727 *Matth. 4,12: Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilaeam.*

- Cur rursum secessit?

- Ut nos doceret ne ultro tentationes adeamus, sed cedamus potius ac declinemus; neque enim crimen est non sese in periculum conjicere, sed in periculo fortiter stare. Hoc igitur docens, et Judaicae invidiae paulum concedens, secedit in Capharnaum, simul prophetiam implens, et doctores orbis quasi piscatu capere festinans, quia ibi sedes habebant, sua utentes arte.

7728 *Matth. 4,13*: *Et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephtali, v. 14: ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam.*

Tu vero mihi perpendas velim quomodo, gentes aditurus, a Judaeis semper occasiones accipiat. Nam hic prodromo insidias struentes, captumque carceri mancipantes ipsum in Galilaeam gentium compellunt; quod autem nec Judaicam gentem ex parte commemoret, nec omnes subindicet tribus, vide quomodo locum illum distinguat, propheta his verbis:

Matth. 4,15: Terra Zabulon et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem, Galilaea gentium... v. 16: populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam...; tenebras hic non sensiles illas vocans, sed errorem impietatemque; quamobrem intulit: et sedentibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis.

7729 Ut enim disceres eum neque de luce neque de tenebris sensibilibus loqui, lucem memorans, non simpliciter "lucem" vocavit; sed *lucem magnam*, vocavit. *Luc. 1,3*. Deinde ostendens non ipsos quaerentes invenisse, sed Deum ipsis superne apparuisse, ait: Lux orta est eis; hoc est ipsa lux orta est et refulsit, non ipsi priores ad lucem accurrerunt. Etenim ante Christi adventum, in extremis sitae res hominum erant; neque enim "ambulabant" in tenebris, sed "sedebant" in tenebris; quod signum erat nec sperasse quidem se liberandos esse. Quasi enim nescirent quo procedendum esset, sic a tenebris comprehensi sedebant, cum ne stare quidem possent.

7730 *Matth. 4,17*: *Exinde coepit Jesus praedicare et dicere: Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum. Exinde*:

- Quodnam?

- Ex quo Joannes in carcerem trusus est.

- Cur autem non a principio praedicavit illis? et quid opus erat Joanne, cum operum testimonia ipsum praedicarent?

- Ut inde etiam discas ejus dignitatem; quoniam quemadmodum Pater, ipse quoque prophetas habet; quod et Zacharias dicebat, *Luc. 1,76*: Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis; et ut nullam impudentibus Judaeis ansam relinqueret, quod ipse quoque indicavit dicens, *Matth. 11,18*: Venit... Joannes, neque manducans neque bibens, et dicunt: daemonium habet; *v. 19*: venit filius hominis manducans et bibens, et dicunt ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus: et justificata est sapientia a filiis suis.

7731 Alioquin necessarium erat ut ea quae ad ipsum spectabant ab alio prius dicerentur quam ab ipso; si enim post tot tantaque testimonia et argumenta dicebant, *Jo. 8,13*: Tu testimonium perhibes de teipso: testimonium tuum non est verum: si nihil prius dixisset Joannes, et ipse in medium progressus primus de se testimonium perhibuisset, quid non dicturi erant? Propterea neque praedicavit ante illum, neque signa edidit, donec in carcerem truderetur, ne sic multitudo scinderetur in partes; idcirco nullum signum fecit Joannes, ut hac ratione multitudinem ad Jesum alliceret, dum miracula ad ipsum turbam attraherent.

7732 Si enim post tot tantarumque rerum dispensationem, et ante et postquam Joannes in carcerem trusus est, discipuli Joannis invidia quadam erga Jesum moti videbantur, *Jo. 3,26*: si multi porro non ipsum, sed Joannem Jesum esse arbitrabantur, *Matth. 16,14*, si nihil horum factum esset, quid non eventurum esset? Ideo Matthaeus significat ipsum eo tempore praedicasre coepisse, et initio idipsum docuit, quod Joannes praedicaverat. Necdum quidquam de seipso, sed eadem tantum quae ille jam dixerat; nam optandum erat ut illud interim admitteretur, quandoquidem nondum congruentem de ipso habebant opinionem.

7733 Ideoque in principio nihil molestum et grave dixit, ut ille; non securim, non lignum sectum, non ventilabrum, aream, vel ignem inextinguibilem memoravit; sed a bonis orsus, coelos memorat et regnum illic paratum audientibus.

Matth. 4,18: *Ambulans autem Jesus juxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, erant enim piscatores, v. 19: et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. v. 20: At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.*

7734 - Atqui Joannes ait eos alio modo fuisse vocatos, *Jo. 1,35 sqq*.

- Unde palam est hanc secundam fuisse vocationem; idipsumque saepe videre est: ibi namque dicitur eum nondum Joannes conjectus fuisset in carcerem ipsos accessisse, hic vero postquam conjectus fuerat. Illic Andreas vocabat Petrum, hic ambos Jesus. Et Joannes quidem ait, *1,42:* Intuitus autem eum Jesus dixit: Tu es Simon, filius Jona: tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus. Matthaeus vero ait jam sic fuisse vocatum: Vidit... Simonem qui vocatur Petrus. Sed etiam a loco ex quo vocati sunt; quod etiam alibi saepe videre est; hinc liquet etiam quod facile oboediant et omnia relinquant; jam enim probe prius eruditi fuerant.

7735 Illic enim exibetur Andreas in domum veniens, et multa audiens; hic autem uno audito verbo, statim sequuti sunt. Verisimile quippe est illos cum a principio sequuti fuissent, dimissos postea fuisse; cum autem vidissent Joannem in carcerem trusum fuisse, ipsos tunc recessisse, atque ad suam artem rediisse. Sic itaque illos piscantes invenit; ipse vero neque illos cum abire vellent initio prohibuit, neque cum recessissent usque in finem dimisit; sed postquam recedere sivisset, venit rursus ipsos repetituros: qui egregius est piscationis modus.

7736 Perpende autem illorum et fidem et obedientiam: etenim in medio opere (scitis autem quam avida res sit piscatio) illum jubentem audientes; non distulerunt, neque cunctati sunt; non dixerunt: Reversi domum propinquos alloquemur; sed relictis omnibus sequuti sunt, quemadmodum et Elisaeus fecit cum Elia. Talem quippe Christus obedientiam quaerit a nobis, ita ut ne momento quidem temporis differamus, etiamsi quid ex admodum necessariis urgere videatur. Idcirco alium venientem et rogantem sibi liceret sepelire patrem suum, ne illud quidem facere permisit, *Matth. 8,21 sq*, ostendens sequendi Christi officium esse omnibus anteferendum.

7737 Si vero dixeris: maxima erat promissio; ideo maxime miror illos, quod cum nondum signum vidissent, tantae promissioni fidem habuerint, quod cum nondum signum vidissent, tantae promissioni fidem abuerint, et omnia postposuerint, ut Christum sequerentur; nam crediderunt se posse per eadem verba queis capti fuerant, alios piscari. His itaque illud promisit; Jacobo autem et Joanni nihil simile dixit; nam priorum obsequentia his viam paravit; alioquin vero jam plurima de ipso audierant.

7738 Vide porro quam accurate nobis illorum paupertatem indicet; invenit enim illos reficientes retia sua. Tanta erat egestas, ut vetera restaurarent, quod non possent alia emere; nec minima interim haec est virtutis demonstratio paupertatem ita facile ferre, ex justis laboribus victum parare, mutuam invicem caritate connecti, patrem secum habere, ipsique famulari.

Postquam igitur illos piscatus fuisset, tunc coepit illis praesentibus miracula edere, per quae ea quae a Joanne de ipso dicta fuerant confirmabat. Synagogas porro frequentabat, hinc Judaeos docens se non esse Deo adversarium vel seductorem, sed cum Patre consentientem advenisse.

7739 Cum autem in locis versaretur, non modo praedicabat, sed etiam signa edebat.

Matth. 4,23: *Et circuibat Jesus totam Galilaeam, docens in synagogis eorum, et praedicans evangelium regni, et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo.*

Ubique enim, si quando res insolita et inopinata accidat, si novum inducatur vitae institutum, signa solet Deus facere, potentiae suae pignora praebens iis qui

legem suscepturi sunt. Sic itaque cum hominem facturus erat, mundum totum creavit, tuncque ipsi legem illam in paradiso dedit; et cum Noe leges positurus erat, magna rursus exhibuit miracula, per quae totam restauravit creaturam, et horrendum illud pelagus per annum totum obtinere curavit, per quae etiam justum illum in tanta tempestate servavit.

7740 Abrahae quoque multa signa praestitit: verbi causa, victoriam in bello, plagam Pharaoni immissam, a periculis ereptionem. Cumque Judaeis leges statuturus esset, miracula illa fecit et prodigia magna; tuncque legem dedit.

Ita nunc, excelsum quodpiam institutum inducturus, eaque dicturus illis quae nunquam audierant, mirabilium operatione dicta sua confirmat; quoniam enim regnum illud quod praedicabatur non apparebat, ex iis quae sub aspectu cadunt, id quod occultum erat manifestum fecit.

7741 Et vide mihi quantum superflua vitet evangelista, quomodo non singulos eorum qui sanati sunt commemoret, se brevi sermone innumera signa praetercurrat. Nam ait: *Matth. 4,24*: *Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos, et paralyticos: et curavit eos.*

Verum ab illo inquiritur, cur a nullo eorum fidem exegit; neque enim dixit id quod postea dixisse narratur: Creditis se me illud facere posse? *Matth. 9,28,* quia nondum potestatis suae documenta dederat. Alioquin vero, ex eo quod ad eum accederent, aliosque inducerent, non modicam exhibebant fidem; nam ex longinquo aegros afferebant, non allaturi nisi magnam de illo concepissent opinionem.

Et nos quoque illum sequamur: nam multi animae morbis laboramus

.

7742 MEDITAZIONE 15.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 5,1-15*: *Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, v. 2: et aperiens os suum docebat eos dicens, v. 3: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. v. 4: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. v. 5: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. v. 6: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. v. 7: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. v. 8: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. v. 9: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. v. 10: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum colorum. v. 11: Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me. v. 12: Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis; sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos. v. 13: Vos estis sal terrae. Quod si sal eva-*

nuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mitatur foras et conculcetur ab hominibus. v. 14: Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. v. 15: Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. v. 16...

7743 *Matth. 5,1*: *Videns autem Jesus turbas ascendit in montem, et cum sedisset accesserunt ad eum discipuli ejus, v. 2: et aperiens os suum docebat eos dicens, v. 3: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*

Vide quam a fastu et ambitione sit alienus; neque enim secum circumduxit eos; sed cun morbi curandi erant ipse circuibat undique, et urbes et loca visitans; quando autem turba aderat uno in loco campestri sedet, non in urbe aut in medio foro, sed in monte, in deserto, ut nos doceat hihil ad ostentationem faciendum esse, et a mediis tumultibus abscendendum, cum maxime philosophari oportet, deque necessariis rebus disserere.

7744 Viden' eorum in virtute profectum, et quomodo repente meliores sunt effecti? Multi namque miraculorum spectatores erant; hi vero magnum quidpiam et excelsum audire cupiebant; quod etiam illum ad docendum induxit, utque hos ordiretur sermones effecit; neque enim corpora tantum curabat, sed etiam animas emendabat, ac rursum ab hac cura ad imllam redibat; sic utilia varians, et verborum doctrinae operum documenta miscens, utriusque substatiae curam gerens, ostendensque se animalis totius esse creatorem. Ideo utriusque naturae providentiam gerebat, nunc hanc, nunc illam emendans.

7745 Quod tunc etiam faciebat, nam, v. 2: *Et aperiens os suum docebat eos dicens,*

- Et qua de causa hic addit: aperiens os suum?

- Ut discas eum etiam tacentem docuisse, nec modo loquentem; sed nunc os aperuisse, nunc per opera ipsa vocem emisisse. Cum audis vero: docebat eos, ne putes ipsum solos discipulos alloqui, sed per illos alios omnes. Quia enim turba popularis erat, ex eorum numero qui humi repebant discipulorum chorum ante se constituens, ad illos sermonem dirigit, verba sua ita temperans ut ceteris omnibus qui in his admodum rudes erant, philosophiae doctrina non molesta esset.

7746 Quod etiam Lucas subindicans, dicebat ipsum sermonem ad eum convertisse, *Luc. 6,20;* Et Matthaeus idipsum significans, dixit: Accesserunt ad eum discipuli ejus, et docebat eos. Ita enim ceteri attentius audituri erant, quam si ad omnes verba direxisset.

- Unde ergo incipit? et quae novi instituti fundamenta nobis ponit?

- Audiamus diligenter ea quae dicuntur; illis namque dicta sunt, et scripta sunt pro omnibus post futuris. Idcirco concionans quidem discipulos alloquitur, neque tamen in illis dicta circumscribit, sed indeterminate beatitudines omnes profert; non enim dixit: Beati estis vos si pauperes fueritis, sed, *v. 3*: Beati pauperes.

7747 Certe etiamsi illis speciatim dixisset, communia tamen consilia erant; etenim cum diceret, *Matth. 28,20*: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, non illos solum alloquitur, sed et per illos totum orbem; et cum illos beatos praedicat, persecutionem patientes, pulsos, et intolerabilia sustinentes, non illis tantum, sed etiam omnibus talia fortiter ferentibus coronam nectit. Ceterum, ut id clarius evadat, et discas ea quae dicta sunt tibi communia esse, nec non toti humanae naturae, si attendere voluerint, audi quomodo hunc mirabilem sermonem ordiatur, *v. 3*:

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.

7748 - Qui sunt pauperes Spiritu?

- Humiles et animo contriti. Spiritum enim hic dicit animam et voluntatis propositum; quia enim multi sunt humiles non sponte sua, sed rerum necessitate coacti, illos mittens (neque enim id laudi est) eos qui ex voluntatis proposito, sese humiliant ac deprimuns, primos beatos appellat.

- Et cur non dicit: humiles, sed pauperes?

- Quia hoc illo praestantius est; nam hic dicit eos qui Dei praecepta metuunt et contremiscunt, quos per Hesaiam prophetam se valde acceptos habere Deus declarat, *Isai. 66,2*: Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum corde, et trementem sermones meos?

7749 Etenim multi sunt humilitatis modi: et alius quidem est moderate humilis, alius vero supra modum; hanc porro humilitatem laudat beatus propheta, non depressum simpliciter animum describens, sed omnino contritum. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despiciet, *Ps. 50,19*. Hanc et tres pueri pro magno sacrificio Deo offerunt, dicentes, *Dan. 3,39*: Sed in animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur a te. Hanc et Christus beatam nunc praedicat. Quia enim maxima mala quae totum orbem labefactant ex superbia prodierunt, quandoquidem diabolus qui talisante non fuerat, sic diabolus effectus est; quod etiam Paulus dicebat, *1 Tim. 3,6*: Ne inflatus in judicium incidat diaboli.

7750 Primus quoque homo hac a diabolo inflatus spe, praecipitatus et mortalis factus est; cum enim sperasset se Deum fore, setiam id quod habebat perdidit. Quod et Deus ipsi exprobrans et insipientiam ejus traducens, dicebat: *Gen. 3,22*: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. Singuli autem qui post fuerunt, hinc in impietatem collapsi sunt; se Deo aequales imaginantes. Quoniam igitur haec malorum arx erat, itemque radix et fons omnis nequitiae, morbo congruum remedium apparans, quasi fundamentum firmum et tutum hanc primam posuit legem.

7751 Hac enim posita, tuto cetera omnia superponit architectus; hac vero sublata, si quis ex instituto vitae vel ad coelum pertingat, omnia facile ruunt, et in pessimum finem desinunt. Etsi jejunium orsi, orationem, etsi elemosynam, etsi castitatem, etsi aliud quidvis bonum collegeris, absque humilitate diffluunt omnia

et pereunt. Id etiam Pharisaeo accidit, *Luc. 18,14;* nam cum ad ipsum culmen pertigisset, omnibus amissis dilapsus est, quia matrem bonorum non habuit. Quemadmodum enim superbia fons omnis nequitiae est, sic humilitas philosophiae omnis principium. Quamobrem hinc incipit, ex auditorum animis arrogantiam evellens radicitus.

7752 *Matth. 5,4*: *Beati mites*.

- Ecquid hoc ad discipulos, inquies, qui omnino humiles erant? Nullam enim arrogantiae ansam habebant, piscatores cum essent, pauperes, obscuri et idiotae.

- Etsi haec ad discipulos non spectarent, sed ad eos qui praesentes erant haec pertinere poterant, nec non ad eos qui postea ipsos excepturi erant, ne propterea ipsos despicerent. Imo vero ad discipulos haec dicta erant. Etiamsi enim non tunc, at postea opus habituri erant illa utili cautione, post signa nempe et miracula, post tantum in orbe honorem, et tantam in Deo fiduciam. Neque enim divitiae, neque potentia, neque regnum ita quempiam poterant efferre, ut ea omnia quae apostolis suppetebant.

7753 Alioquin autem fieri poterat ut etiam ante miracula efferrentur, tantam multitudinem cernentes, et theatrum illud quod Doctorem suum circumdabat, certe humanum quidpiam pati poterant. Idcirco illos statim reprimit, ne altum sapiant. Neque dicta sua admonitionis, vel praeceptorum more profert, sed propriae beatitudinis forma, sic gratiorem ordiens sermonem, et doctrinae studium omnibus aperiens. Non enim dixit: hic vel ille; sed qui haec faciunt beati omnes erunt; ita ut sive servus sis, sive mendicus, sive pauper, sive peregrinus, sive idiota, nihil te impediat quin sis beatus, si hanc virtutem colueris.

7754 Hinc itaque orsus unde maxime par erat, ad aliud mandatum procedit, quod videtur totius orbis oppugnare sententiam. Cum enim omnes putent eos qui gaudent et laetantur esse beatos, eos vero qui in moerore, paupertate et luctu versantur esse miseros, hos ille prae aliis beates praedicat, dicens: *Matth. 5,5: Beati qui lugent*.

Atqui ab omnibus hi infelices esse dicuntur; sed ideo ille signa praemisit, ut leges afferens tales, fide dignus esset.

7755 Hic autem rursus, non simpliciter lugentes posuit, se eos qui de peccatis lugerent, ut et aliud quoque luctus genus admodum prohibetur, nempe de rerum saecularium dispendio lugere; quod significabat et Paulus dicens, *2 Cor. 7,10*: Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur; saeculi autem tristitia, mortem operatur. Hos igitur ille qui sic lugent beatos praedicat. Neque simpliciter lugentes ponit, sed qui impense lugent; quapropter non dixit: qui moerent, sed qui lugent: nam hoc praeceptum, totius est philosophiae magisterium.

7756 Si enim qui filios, uxorem, vel alium quempiam cognatum defunctum

lugent, non pecuniarum, non corporum amore tenentur illo doloris tempore, non gloriam appetunt, non injuriis moventur, non invidia corripiuntur, neque alio quopiam animi morbo obsidentur, sed prorsus luctui addicti sunt, multo magis qui peccata sua lugent, sicut ea lugenda sunt, hac majorem exhibebunt philosophiam.

- Deinde, quod eorum praemium erit?

- *Quoniam ipsi consolabuntur,* inquit, *5,5*.

- Ubi vero, dic mihi, consolabuntur?

- Et hic et illic. Quia enim praeceptum grave admodum erat et onerosum, hoc se promisit daturum quod illud maxime leve posset efficere. Itaque, si velis consolationem accipere, luge.

7757 Et ne putes aenigma esse id quod dictum est; cum enim Deus consolatur, etiamsi mille tristia accidant, omnibus superior eris. Etenim, multo majores dat semper Deus laborum mercedes; id quod etiam hic fecit, cum dixit beatos esse eos qui lugent, non secundum rei meritum, sed secundum ipsius benignitatem; non ex operis scilicet dignitate, sed ex ejus erga homines amore. Nam qui lugent peccata sua lugent; his vero sufficit si veniam impetrent et excusationem; quoniam autem ille magno erga homines amore tenetur, neque in supplicii remissione, neque in peccatorum venia mercedem sistit, sed etiam beatos efficit, et multam affert consolationem. Lugere autem nos jubet non de peccatis tantum nostris, sed etiam de alienis; hujusmodi vero erant sanctorum animae, ut Moysis, ut Pauli, ut Davidis; nam hi aliorum saepe peccata luxerunt.

7758 *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, Matth. 5,4*.

- Dic mihi, quam terram?

- Terram quidam intelligibilem dicunt; verun non ita se res habet; nusquam enim in Scriptura reperimus terram intelligibilem.

- Sed quid sibi vult illud?

- Sensibile praemium statuit, sicut et Paulus. Cum dixisset enim, *Eph. 6,1*: Honora patrem tuum et matrem tuam, subjunxit: sic enim eris longaevus super terram. Et ipse Dominus latroni, *Luc. 23,43*: Hodie mecum eris in paradiso. Neque enim ob futura solum bona cohortatur, sed etiam ob praesentia, propter illos auditores qui, crassiores, haec prius quam futura quaerunt.

7759 Ideo et in sequentibus dicit: esto consentiens adversario tuo, *Matt. 5,25,* deinde hujusmodi philosophiae praemium statuit, et ait: *ne tradat te adversarius judici, et judex ministro, ibi*. Viden unde terruit? A sensibilibus scilicet, et quae saepe contingunt. Et rursus: Quicumque dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio, *Matth. 5,22*. Paulus quoque frequentissime sub sensuum cadentia praemia proponit, et a praesentibus hortatur, ut cum de virginitate disserit; nihil quippe de coelis commemorat, sed ex praesentibus hortatur his verbis: Propter instantem necessitatem, *1 Cor. 7,26;* et: Ego autem vobis parco, *ibi, v. 28;* et: Volo autem vos sine sol-

licitudine esse, *ibi, v. 32*.

7760 Sic igitur et Christus spiritualibus sensibilia miscuit. Quia enim mitis quisque putare possit se sua omnia perdere, contrarium ille pollicetur, dicens hunc ipsum esse qui sua tutissime possideat, qui nec audax, nec contestator sit; nam qui talis fuerit, paternis etiam bonis saepe excidetur, et ipsius animae jacturam faciet. Alioquin quia in veteri testamento propheta dixerat: Mites autem haereditabunt terram, *Ps. 36,11*, a verbis jam familiaribus sermonem texit, ut non ubique inusitatis utatur verbis.

7761 Haec porro dicit non in praesentibus praemia circumscribens, sed cum his illa quoque suppeditans; nam si quidpiam spirituale dicat, non aufert tamen praesentia; si vero aliquid in praesenti vita promittat, non in his tantum promissionem sistit; nam, *Matth. 6,3*: Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adjicientur vobis. Et rursus, *19,29*: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.

7762 Matt. 5,6: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*.

- Quam justitiam? An virtutem illam in genere, an speciem illam justitiae quae avaritiae opponitur?

- Quia enim de eleemosyna praeceptum daturus est, docet quomodo illam exercere oporteat; videlicet non ex rapina, non ex avaritia beatos praedicat eos qui justitiae dant operam. Et animadvertas velim cum quanta vehementia id expresserit; non enim dixit: Beati qui justitiam sectantur; sed: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; ut non perfunctorie sed cum omni cupiditate ipsam adeamus.

7763 Quia enim illud avaritiae maxime proprium est, neque ita cibum atque potum desideramus ut plurima possidere et acquirere, talem cupiditatem in contariam avaritiae virtutem transferre jussit. Deinde rursus sensibile praemium definit dicens: *Quoniam ipsi saturabuntur 5,6*.

Quia enim putatur avaritia multos divites facere, dicit contrarium omnino esse id enim praestat justitia. Ne itaque cum justa operaris paupertatem timeas, neve famem metuas; nam qui aliena rapiunt, hi maxime ab omnibus excidunt; ut qui justitiam amat omnia tuto possidet. Si autem ii qui aliena noncupiunt tot fruuntur divitiis, multo magis ii qui sua largiuntur.

7764 *Matth. 5,7*: *Beati misericordes*.

Hic non tantum pecuniae largitores dicere mihi videtur, sed etiam eos qui operibus misericordiam exercent; varii enim sunt miserendi modi, et latum est praeceptum.

- Quod igitur illorum est praemium?

- Quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et videtur quidem aequalis esse retributio; sed est ipso bono opere longe major; ipsi namque miserentur ut ho-

mines, sed misericordiam consequuntur ab universorum Deo. Non sunt autem aequales humana miseratio et divina; sed quantum inter malitiam et bonitatem discrimen est, tantum inter hoc et illud.

7765 *Matth. 5,8*: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Ecce rursus spirituale praemium; mundos autem hic vocat eos qui universalem virtutem possident, nulliusque sibi mali conscii sunt, sive eos qui in continentia vivunt; nulla enim nobis ita opus est ad Deum videndum, ut illa virtute. Ideo et Paulus dicebat, *Hebr. 12,14*: Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Visionem porro hic dicit quae homini sit possibilis; quia enim multi sunt qui miserentur, nec rapiunt, nec avaritiae student, sed fornicantur et libidini se dedunt, ostendens illud primum non satis esse, hoc etiam addidit; quod etiam Paulus Macedonibus testificatus est in epistola ad Corinthios, quod non modo eleemosyna divites essent, sed etiam aliis virtutibus, *2 Cor. 9,11*; loquutus enim de liberalitate eorum in erogandis pecuniis, addit illos sese dedisse Domino et nobis.

7766 *Matth. 5,9*: *Beati pacifici*.

Hic non modo dissensiones mutuas et inimicitias prohibet, sed aliud quidpiam insuper exigit, ut et alios dissidentes ad concordiam revocemus; ac rursus spirituale praemium offert.

- Quale illud?

- *Quoniam filii Dei vocabuntur, ibi*. Siquidem Unigeniti opus illud fuit disjuncta copulare, pugnantia conciliare; deinde ne putes pacem ubique esse bonam, subjunxit:

7767 *Matth. 5,10: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam,* (hoc est virtutis causa, pro aliorum defensione, pro pietate: virtutem enim semper solet vocare totam animae philosophiam) *v. 11*: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me. v. 12: Gaudete et exultate.*

Ac si diceret: Si vos praestigiatores, si seductores, si maleficos, si quovis alio nomina vocent, beati estis.

7768 Quid his praeceptis insolentius fuerit, cum haec desideranda dicit quae aliis fugienda putantur, nempe mendicare, lugere, persecutionem pati, male audire? Attamen et dixit et suasit, non duobus, vel decem, vel viginti, vel centum, vel mille hominibus, sed universo orbi. Et audientes illa onerosa, molesta, vulgari contuetudini contraria, stupebant turbae: tanta erat dicentis virtus. Ceterum ne putes male subire solum beatos efficere, duas supposuit distinctiones: quando scilicet vel propter ipsum prolata, vel mendacia fuerint dicta illa; nam si haec non adsint, non modo non beatus, sed etiam miser est is qui male audit.

7769 Deinde vide rursus praemium: *quoniam merces vestra copiosa est in*

coelis, 5,12.

Tu vero etsi non ad singulas beatitudines regnum dari audias, ne animo deficias; etiamsi enim praemia diverso appellet nomine, tamen omnes ad regnum introducit. Nam cum dicit lugentes consolationem, et misericordes misericordiam consequentur, et mundi corde Deum videbunt, et pacifici filii Dei vocabuntur, nihil aliud per haec omnia indicat quam regnum coelorum; qui enim his fruuntur id consequenter omnino. Ne igitur mercedem illam putes ad solos pauperes spiritu pertinere, sed etiam ad esurientes justitiam, ad mites, et ad alios omnes; ideo enim in singulis beatitudinem apposuit ut ne quid sensibile expectes; neque enim beatus ille erit qui iis coronabitur quae in praesenti vita dissolvuntur, et umbra celerius praetercurrunt.

7770 Cum dixisset autem: merces vestra copiosa, aliam subjunxit consolationem his verbis: *sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos. 5,12.*

Quia enim venturum erat regnum, et in spe repositum erat, hinc illis consolationem praebet ex societate nimurum eorum qui ante ipsos male passi fuerant. Ne putetis, inquit, vos haec ideo pati qui contraria dicitis et lege statutis, vel vos quasi pravorum dogmatum magistros ab ipsis pellendos esse; non enim ex dictorum nequitia, sed ex malignitate audientium insidiae et pericula prodibunt. Quare non vobis male patientibus maledicent, sed illis male agentibus.

His tedstimonium praebet totum praeteritum tempus; neque enim prophetas de iniquitate vel de impia doctrina accusabant, cum alios lapidarent, alios pellerent, alios sexcentis aliis afficerent malis. Ne itaque hoc vos perturbet, nam eodem animo etiam nunc omnia perpetrant.

7771 Vidistin quomodo eorum sensus excitavit, illos prope Moysen et Eliam constituens? Sic et Paulus ad Thessalonicenses scribens, ait, *1 Thess. 2,14*: Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei quae sunt in Judaea in Christo Jesu, quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judaeis*; v. 15*: qui et Dominum occiderunt Jesum, et Prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur. Quod hic quoque Christus instituit. Et in aliis quidem beatitudinibus, dicebat: Beati pauperes, beati misericordes; hic vero non indefinite posuit, sed ad illos sermonem convertit, dicens:

Beati estis cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos; ostendens hoc in illis esse praecipuum, et doctoribus prae aliis omnibus id esse proprium.

7772 Simul etiam hic dignitatem suam subindicat, et aequalem sibi cum Patre honorem; quemadmodum enim illi propter Patrem, inquit, ita et vos propter me haec patiemini. Cum autem dicit: Prophetas qui fuerunt ante vos, declarat ipsos jam prophetas fuisse factos; hinc ostendens illud maxime ipsis utile esse, et splen-

dorem afferre. Non dixit: Maledicent vobis et vos persequentur, sed ego illud impediam: non enim quod male non audiant, sed quod male audiendo fortiter ferant, et per opera ipsos arguant, vult eos in tuto versari; hoc quippe longe majus est, quemadmodum percuti et nihil percussum pati, multo majus est quam non percuti.

7773 Hic igitur dicit: Merces vestra copiosa est in coelo. Lucas vero ipsum et intensius, et cum majoris consolationis cumulo hoc dixisse narrat; neque enim tantum eos qui propter Deum male audiunt beatos praedicat, sed etiam eos qui ab omnibus bene audiunt miseros dicit, nam ait, *Luc. 6,26*: Vae cum benedixerint vobis homines. Atqui Apostolis bene dicebant, sed non omnes; ideo non dixit: Cum bene vobis dixerint homines, sed cum omnes; neque enim fieri potest ut ii qui virtutem colunt apud omnes bene audiant. Rursumque ait: Cum ejecerint nomen vestrum tamquam malum: gaudete et exultate; neque enim tantum periculis quae subibant, sed etiam maledictis, magnam statuit mercedem; ideo non dixit: Cum vos expulerint et occiderint, sed cum exprobraverint et dixerint omne malum.

7774 Nam maledicta acerbius mordent quam res ipsae; in periculis enim multa sunt quae laborem faciant leviorem: verbi causa, cum ab omnibus excitamur, et multos habemus plaudentes, coronantes, praedicantes; hic vero in maledictis haec consolatio amovetur. Non enim manga esse virtus putatur etiamsi magis haec quam pericula certantem commoveant; multi namque ad laqueum accurrerunt malam non ferentes famam. Et quid hoc in aliis miseris? Proditorem illum impudentem et exsecrandum, qui de nulla re erubescebat, hoc maxime ad laqueum ire compulsit; Job quoque ipse adamas et petra firmior, cum opes amisit et intoleranda passus est, filiis orbus repente factus, cum videret corpus suum vermibus scatere, instantemque uxorem, omnia facile passus est; cum autem vidit amicos sibi exprobrantes, insultantesque, pravamque de se existimationem habentes, dicentesque ipsum propter peccata sua haec perpeti, et nequitiae suae poenas dare, tunc turbatus est vir ille fortis et magnus.

7775 David quoque, mittens omnia quae passus fuerat, pro maledicto retributionem a Deo petebat, *2 Reg. 16,11*: Dimittite Eum ut maledicat juxta praeceptum Domini, *v. 12*: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Et Paulus, non periclitantes modo, neque bonis spoliatos, sed etiam maledicta ferentes praedicat his verbis, Hebr. 10,32: Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, *v. 33*: et in altero quidem oppropriis et tribulationibus spectaculum facti; in altero autem socii taliter conversantium effecti. Propterea mercedem magnam posuit Christus.

7776 Deinde ne quis dicat: Hic ergo non vindicas, neque eorum ora consuis, sed ibi mercedem das, prophetas memoravit, ostendens neque tunc ipsos Deum ultum esse; si vero tunc, cum prope erant retributiones spe futurorum foveat illos,

multo magis nunc, quando spes illa clarior effecta est, et philosophia major. Vide autem post quot mandata hoc statuat; non enim casu quopiam hoc fecit, sed ut ostendat non posse eum qui non ad haec omnia paratus et instructus sit, in haec certamina prodire. Ideo a priori semper per sequens mandatum viam parat catenam nobis auream texuit.

7777 Cum enim quis humilis fuerit, etiam sua omnino lugebit peccata; qui lugebit mitis erit, modestus et misericors; misericors vero justus erit, compunctus et mundus corde; qui talis erit etiam pacificus futurus est; qui porro haec omnia assecutus fuerit, ad pericula etiam paratus erit, neque male audiens turbabitur, neque si innumera patiatur mala. Postquam ergo eos ad ea quae consentanea erant hortatus est, rursus eos laudibus solatur. Quia enim sublimia p...

7778 MEDITAZIONE 16.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 5,13-16*: *Vos estis sal terrae; quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. v. 14: Vos estis lux mundi: non potest civitas abscondi supra montem posita. v. 15: Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. v. 16: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.*

7779 Postquam eos ad ea quae consentanea erant hortatus est, rursus eos laudibus solatur; quia enim sublimia praecepta erant, multoque majora quam in veteri lege, ne turbarentur ac trepidarent, dicerentque: Quomodo haec implere poterimus? Audi quid dicat: *v. 13*: Vos estis sal terrae; ostendens se necessario haec praecepta dare; non enim pro vestra vita, sed pro toto orbe, inquit, verbum vobis committitur; neque in duas urbes vos mitto, vel decem, vel viginti; neque in unam vos mitto gentem, sicut prophetas olim, sed in terram, in mare et in universum orbem, et hunc pessime affectum.

7780 Cum dixit enim: Vos estis sal terrae, ostendit universam hominum naturam infatuatam et a peccatis corruptam esse; ideo has in illis maxime virtutes requirit quae sunt ad multorum solicitudinem gerendam magis necessariae et utiles. Etenim qui mitis est, modestus, misericors et justus, non in se tantum bona opera concludit, sed etiam id curat ut egregii illi fontes ad aliorum maneant utilitatem. Rursum qui mundus est corde, pacificus et pro veritate pulsus, vitam suam ad communem utilitatem dirigit. Ne putetis, inquit, vos ad levia quaedam cer-

tamina trahi, neque de rebus exiguis apud vos agi: Vos estis sal terrae.

7781 - Quid igitur? Num illi putrida restaurarunt?

- Nequaquam; non possunt enim jam putrefacta salis permixtione juvare; non hoc certe fecerunt, sed renovata prius et sibi tradita, et a foetore illo liberata, tunc cum sale miscebant, atque in illa novitate servabant quam a Domino acceperant. Nam liberari a foetore peccatorum Christi virtutis opus fuit; at non ad illum foetorem reverti, id illorum diligentiae et laboris opus erat. Viden quomodo paulatim ostendit ipsos prophetis esse meliores? Non enim Palaestinae doctores esse ait, sed totius orbis terrae; nec modo doctores, sed etiam doctores tremendos. Quod enim mirum est, non adulantes, neque palpantes, sed aspere acriterque agentes sicut sal, sic desiderabiles omnibus fuerunt.

7782 Nolite ergo mirari, inquit, si aliis relictis vos alloquar, et ad tanta vos pericula pertraham; considerate enim quot quantisque civitatibus, populis, gentibus vos praefectos missurus sim. Ideoque, non vos tantum prudentes esse volo, sed ut alios similes faciatis. Illos autem qui hujusmodi sunt, admodum sagaces esse oportet, in quibus nempe et aliorum salus periclitatur, et tantam in illis inesse virtutem, ut eam ad aliorum utilitatem impertire possint. Nisi enim tales fueritis, ne vobis quidem ipsis sufficere poteritis. Ne itaque aegre feratis quasi molesta ea sint quae dicuntur; nam alii quidem infatuati ministerio vestro rescipiscere possunt; vos autem si in illud malum incidatis, alios vobiscum in perniciem trahitis. Itaque, quanto majora vobis committuntur negotia, tanto majore studio opus habetis.

7783 Quapropter ait: *quod si sal evanuerit in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus, 5,13.*

Nam alii quidem si sexcenties cadant, veniam consequi possunt; doctor autem, si id patiatur, omni defensione privatur, et extremo afficietur supplicio. Ne enim audientes: Cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, in medium prodire timeant, dicit: Nisi ad haec parati fueritis, frustra electi estis; non enim maledicta sunt timenda, ad metuendum ne simulatores videamini; tunc enim infatuati eritis et conculcati.

Si autem perseveretis aspere cum illis agere, si postea male audiatis, gaudete; illud enim salis est opus, ut molles mordeat et pungat; itaque maledicta necessario sequuntur, neque in aliquo vos laedunt, sed vestram testificantur firmitatem. Si vero illa metuentes ab illa vobis congruente vehementia destiteritis, multo graviora passuri estis apud omnes male audituri, et omnibus contemtui eritis. Illud enim est *conculcari*. Deinde ad illud sublimis pergit exemplum:

7784 *Matth. 5,14*: *Non potest civitas abscondi supra montem posita, v. 15: neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio.*

Rursus per haec illos ad accuratae vitae rationem, docens eos ut solicite sibi caveant, ut pote qui sub omnium oculis versentur, et in medio totius orbis theatro de-

certent.

7785 Nolite, inquit, id reputare animo vos jam hic sedere et in exigua anguli parte versari: ita enim conspicui omnibus eritis, ut civitas in montis acumine posita, ut lucerna in domo supra candelabrum lucens. Ubi sunt nunc illi qui Christi potentiae non credunt? Haec audiant, et de prophetiae vi stupentes adorent ejus fortitudinem. Perpende enim quanta polliceatur iis qui ne in sua quidem regione noti erant: videlicet ipsos in terra et in mare celebrandos, et fama ad terminos orbis perventuros esse; imo non fama tantum sed et beneficii efficacia. Non enim illos fama volans notos reddidit ubique, sed ipsa operum celebritas. Nam coeli volucres, velocius quam solis radii terram omnem peragrarunt, piae religionis lucem emittentes.

7786 Hic autem mihi videtur illos ad fiduciam sumendam conortari; cum enim dicit: Non potest civitas abscondi supra montem posita, potentiam declarat suam: sicut enim illa civitas abscondi nequit, sic praedicatio taceri et lavere non potest. Quia enim loquutus erat de persecutionibus, de maledictis, de insidiis, de bellis, ne putarent haec illis posse os obstruere, fiduciam illis indens, ait praedicationem non modo non latere posse, sed et totum orbem illustraturam esse. Ideoque illi etiam erunt conspicui et insignes. Hinc igitur potentiam suam ostendit ex sequentibus vero fiduciam ab illis exigit his verbis:

7787 *Matth. 5,15: Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in dopo sunt. v. 16: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.*

Ego enim, inquit, lucem accendi; ut vero perseveret ardens, id ad vestram diligentiam pertinet, non vestri tantum causa, sed et illorum gratia qui hac potientur luce, et ad veritatem deducentur; neque enim poterunt maledicta vestrum obscurare splendorem, si vos accurate vitam instituatis, atque illo modo ut qui totum orbem convertere debeatis.

7788 Dignam igitur tanta gratia exhibere vitam, ut sicut illa ubique praedicatur, sic et haec cum illa concurrat. Deinde aliud post hominum salutem lucrum ponit, quod posset illos ad majorem solicitudinem omnimodunque studium excitare; nam si recte vivatis, inquit, non modo totum orbem emendabitis, sed etiam id efficietis ut Deus glorificetur; si vero contra feceritis, et homines perdetis, idque efficietis ut Deus blasphemetur.

- Et quomodo, inquies, per nos glorificabitur Christus, si nobis homines maledicturi sint?

- At non omnes; imo qui id faciunt id ex invidia facient; invidi autem illi in conscientia sua vos mirabuntur, atque suspicient, quemadmodum et ii qui palam improbis adulantur, mente eosdem criminantur.

7789 - Quid ergo praecipis? An ut ad ostensionem et honoris aucupium vivamus?

- Absit, non id dico; neque enim dixi: Id studete ut bona opera vestra in medium proferatis; neque dixi: Exhibete illa; sed: luceat lux vestra; multa sit virtus, copiosus ignis, lux ineffabilis. Cum enim tanta virtus sit, fieri non potest ut lateat, etiamsi is qui illam possidet omni modo eam obscuram esse velit. Irreprehensibilem igitur illis exhibete vitam, nullamque veram habeant accusandi occasionem: etiamsi sexcenti accusatores adsint, nemo vos obscurare poterit. Pulchre dixit: lux. Nihil enim hominem sic illustrem efficit, etiamsi prorsus latere velit ut virtutis splendor. Sicut enim ipso solari radio circumdatus, ita etiam clarius refulget, non in terram tantum radios emittens, sed ipsum coelum transcendens.

7790 Hinc illos admodum consolatur; nam si de maledictis, inquit, doletis,

multi etiam erunt qui propter vos Deum admirentur. Utrinque vero colligitur merces: et cum propter vos Deus glorificatur, et cum propter Deum vos maledictis incessimini. Etenim ne male audire studeamus, quod didicerimus hinc praemium reportari, non illud simpliciter posuit, sed cum duabus distinctionibus: nempe cum falsa dicuntur, et cum propter Deum maledicimur; ostenditque non illud tantum, sed etiam bene audire multum afferre lucrum, gloria in Deum transeunte, bonaque illos spe fulcit. Non enim tantam vim habent, inquit, iniquorum maledicta, ut alios ita obtenebrare possint, ut lucem vestram non videant; cum enim infatuati fueritis, tunc tantum vos conculcabunt: non vero cum recta facientes accusamini.

7791 Tunc enim multi erunt qui mirabuntur non vos tantum sed propter vos et Patrem vestrum; nec dixit Deum, sed patrem, jam semina jacens nobilitatis illius ipsis conferendae. Deinde honoris aequalitatem declarans, cum superius dixisset: Ne contristemini cum male audieritis, sufficit enim vobis quod propter me ista audiatis, hoc loco Patrem ponit, aequalitatem ubique declarans. Cum igitur sciamus quantum lucri ex hac diligentia reportemus, et quantum ex socordia periculmum creetur, nostra quippe pernicie multo pejus est quod Deus noster blasphemetur propter nos, sine offensione simus, Judaeis et gentibus, et Ecclesiae Dei, vitamque sole splendidiorem exhibeamus.

7792 Et si maledicere quis velit, ne doleamus si male audiamus, sed si merito male audiamus. Si enim in nequitia vivamus, etsi nemo sit qui maledicat, omnium miserrimi sumus. Si autem virtutem colamus, etiamsi totus orbis nobis maledicat, erimus omnium beatissimo, et eos omnes qui salutem consequi velint ad nos pertrahemus; non enim maledictis improborum animum adhibebunt, sed vitae cum virtute actae.

Etenim tuba clariora sunt opera bona; ipsa luce lucidior vita pura, etiamsi innumeri sint ii qui obloquantur. Si enim omnia supradicta habeamus, si mites, humiles, ac misericordes simus, si item puri et pacifici, ac male audientes non

referamus injuriam, imo etiam gaudeamus, non minus quam per miracula spectatores ad nos pertrahemus, libenterque omnes ad nos accedent, sive fera quis fuerit, sive daemon, aut quidvis aliud.

7793 MEDITAZIONE 17.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth.* 5,17-26: *Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere sed adimplere. v. 18: Amen quippe dico vobis: donec transeat coelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant. v. 19: Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic vocabitur in regno coelorum. v. 20: Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum. v. 21: Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit reus erit judicio. v. 22: Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis. v. 23: Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, v. 24: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum. v. 25: Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo; ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris; v. 26: Amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.*

7794 *Matth. 5,17*: *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas*.

- Quis enim id fuerat suspicatus? aut quis objecerat ut huic objectioni occurreret? Neque enim ex dictis talis suspicio oriebatur; nam quod juberet mites esse, modestos, misericordes, mundos corde, et pro justitia decertare, nihil simile indicabat, imo huic rei oppositum erat. Qua ergo de causa hoc dixit?

- Non in cassum, nec frustra; sed quia veteribus praeceptis majora laturus erat, dicens: Audietis quid dictum est antiquis: non occides. Ego autem dico vobis ne irascamini, *Matth. 5,21 sq,* ut divinam quamdam ac coelestem viam aperiret, ne rei novitas auditorum animos turbaret, et ad dubitandum de dictis adduceret, hac utitur praevia cautione.

7795 Etiamsi enim legem non implerent, magno tamen erga illam tenebantur affectu; ac licet ipsam quotidie violarent, litteras tamen volebant immotas manere, ipsis adjici; imo vero quaedam a principibus suis addita tuebantur, quae certe non ad melius sed ad pejus vergebant. Etenim honorem parentibus debitum his additamentis solverunt, et alia plurima importunis additionibus pessum dederunt. Quo-

niam ergo Christus ex sacerdotali tribu non erat, et quae ipse inducturus erat additamentum erat quodpiam, quod virtutem non minueret, sed augeret, haec ambo praevidens quae ipsos turbatura erant, antequam admirandas illas leges scripto tradi curaret, illud rejicit quod illis in mentem venturum erat.

7796 - Quid vero illud erat, quod subreperet, et objici posset?

- Putabant illum haec dicere ad legalia vetera abroganda. Hanc itaque sanat opinionem; neque hic solum hoc facit, sed et alibi quoque. Quia enim illum adversarium Deo credebant, eo quod sabbatum non servaret, ut hanc illorum suspicionem amoveat illic quoque defensiones expromit, illasque sibi congruentes, ut cum dicit, *Jo. 5,17*: Pater meus operatur, et ego operor; alias vero demissiore modo prolatas, ut cum ovem in medium affert in sabbato perditam, et ostendit ad ejus salutem legem fuisse solutam, circumcisionem quoque idipsum facientem commemorat.

7797 Ideo scilicet humilioribus saepe verbis loquitur, ut opinionem illam qua putabatur ipse Deo adversari, eliminaret; idcirco qui verbo solo innumeros mortuos suscitaverat, cum Lazarum vocavit et orationem adjecit, *Jo. 11,41*, ne hinc Patre suo minor ostenderetur: et ut hanc suspicionem emendaret subjunxit: Propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. *Jo. ibi, v. 42*. Neque omnia quasi sua auctoritate facit, ut infirmitati eorum se attemperet, neque etiam omnia praemissis precibus facit, ne posteris relinqueret suspicionis argumentum, quasi scilicet autem non sine temperamento facit sed cum decenti sibi prudentia.

7798 Nam net majora facit quasi potestatem habens, et in minoribus ad coelum respicit; siquidem cum peccata dimittit, cum secreta revelat et paradisum aperit, cum demonas pellit, cum leprosos mundat, cum mortem frenat, cum mortuos suscitat innumeros, jussu omnia facit. Cum autem, quod multo minus erat, panes ex paucis multos fecit, tunc in coelum respexit, per omnia ostendens se non ex infirmitate hoc facere; nam qui majora poterat cum potestate facere, quomodo in minoribus prece opus habuisset? Sed, quod jam dixi, ut illorum impudentiam coërceat hoc facit.

7799 Idipsum existimato cum vides eum humilia verba proferre; nam et verborum et operum hujusmodi multae sunt causae, exempli gratia, ne a Deo putetur esse alienus, quod omnes erudiat et sanet, quod humilitatem doceat, quod carne circumdaretur, quod non possint Judaei omnia confertim audire, quod doceat ne quis magnum quid de seipso loquatur; ideoque saepe multa humilia de seipso dicens, magna aliis relinquit dicenda. Nam ipse, cum Judaeis loqueretur, dicebat, *Jo. 8,58*: Antequam Abraham fieret ego sum; discipulis autem ejus non ita, sed, *ibi 1,1*: In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

7800 Rursum quod coelum, terram, mare ipse fecerit, nec non visibilia et invisibilia omnia, ipse nunquam clare dixit; discipulos vero cum libertate magna nihil

supprimens, semel, bis et pluries id ait: Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, *Jo. 1,3,* et: In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, *Jo. 1,10*. Ecquid miraris si alii majora de illo dixerunt quam ipse, quando multa per opera exhibens per verba clare non dicebat? Quod enim homines ipse fecerit ostendit clare per coecum; cum autem de formatione in principio facta sermo ipsi erat, non dixit: ego feci, sed, *Matth. 19,4*: Qui fecit hominem ab initio masculum et feminam fecit eos.

7801 Et quod mundum creaverit, et ea quae in ipso sunt, per pisces, per vinum, per panes, per tranquillitatem in mari, per radios quos emisit in Tabore, perque plurima alia monstravit: verbis tamen nunquam dixit. Sed discipuli id saepe dicunt: Joannes, Paulus, Petrus. Nam si isti qui die nocteque ipsum loquentem audiebant, et miracula patrantem videbant, quibus seorsim multa solvebat, et tantam dederat potestatem ut et mortuos suscitarent, atque ita perfectos reddiderat ut omnia pro ipso relinquerent, post tantam virtutem et philosophiam non potuerunt omnia portare antequam Spiritum Sanctum acciperent, quomodo populus judaicus intelligentiae expers, qui ad tantam virtutem non pervenerat, qui nonnisi fortuito casu ejus et gestis et dictis aderat, ipsum alienum a Deo universorum esse non credidisset, nisi tanta demissione et indulgentia per omnia usus esset?

7802 Ideo namque cum sabbatum solveret, non antea legem hujusmodi suam induxerat, sed varias et multas prius affert purgationes; quod si mandatum unum soluturus, tanta utitur verborum cautione, ne auditores percellat, multo magis cum legi integrae integram adderet legem, plurimo egebat apparatu atque cura, ne auditores turbaret. Idcirco non ubique de divinitate sua clare loquitur et docet; si enim quod legi quidpiam adjiceret illos tantum turbavit, multo magis turbasset si se Deum esse declaravisset; ideoque multa sua divinitate longe inferiora loquitur. Hic vero de additione legi facienda verba facturus, multa praecautione utitur. Neque enim semel tantum dixit se legem non solvere, sed id secundo repetiit, majusque aliud rursus adjecit; cum dixisset enim:

Nolite putare quoniam veni solvere legem, (adjecit): *Non veni solvere, sed adimplere, 5,17.*

7803 - Et quomodo non solvit, inquies; quomodo implevit aut legem aut prophetas?

- Prophetas quidem, quod omnia quae de ipso dicata erant ab eis, operibus confirmaverit; quapropter evangelista ad singula dicebat: Ut impleretur quod dictum est per prhophetam, et cum natus est, et cum pueri mirabilem hymnum de ipso canebant, et quando asinae insidebat, nec non etiam in pluribus aliis hoc ipsum implevit: quae omnia non implenda unquam erant nisi advenisset. Legem autem non uno tantum, sed secundo etiam ac tertio modo implevit: uno quidem, quod ex legalibus nihil transgrederetur; quod enim totam legem impleverit, audi quid dicat

Joanni, *Matth. 3,15*: Sic enim decet nos implere omnem justitiam; et Judaeis dicebat, *Jo. 8,46*: Quis ex vobis arguet me de peccato? Ac discipulis rursum, *Jo. 14,30*: Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam. Propheta quoque supra dixit, *Isai. 53,9,* ipsum peccatum non habere; hinc itaque uno primoque modo legem implevit.

7804 Secundo autem implevit modo, quod id propter nos fecerit; nam quod mirum est, non modo ipse implevit, se illud quoque largitus est ut nos impleremus; quod Paulus sic declarat, *Rom. 10,4*: Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti; et peccatum illum damnasse dicit in carne, *Rom. 8,3 sq*, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum. Et rursum, *Rom. 3,31*: Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus. Quia enim lex studebat hominem facere justum, sed infirmabatur, veniens ipse, et modum justitiae inducens, nempe per fidem, legis voluntatem statuit; et quod illa non potuerat per litteras, id ipse per fidem perfecit; propterea inquit: Non veni solvere legem.

7805 Si quis vero diligenter exploret, alium quoque tertium modum inveniet quo id factum est.

- Quem illum?

- Per praecepta quae daturus erat. Neque enim erat abrogatio priorum, sed extensio et complementum erant ea quae dicebantur; nam non occidendi praeceptum non abrogatur a praecepto non irascendi, sed complementum est ad majorem cautionem; et idem dicatur de ceteris omnibus. Ideoque, cum horum semina sine aliqua suspicione prius sparsisset, quando clarius ex comparatione veterum et novorum legalium, ut adversans legi in suspicionem vocandus erat, praevia illa cautione usus est.

7806 Etenim jam illa aenigmatice fundata erant, per ea quae dicta fuerant.

Illud enim: Beati pauperes spiritu, idipsum est quod: ne irascamini; et illud: Beati mundo corde, simile huic praecepto est: non respiciendam esse mulierem ad concupiscendam eam; et illud non thesaurizandos esse thesauros in terra, huic accinit: Beati misericordes; et illud lugere, persecutionibus et oppropriis impeti, tale est quale intrare per angustam portam; et illud esaurire et sitire justitiam, nihil aliud est quam id quod postea dicit: Quaecumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis; et cum pacificum appellasset beatum, idipsum prope dixit, quod cum jussit relinquere donum, et festinare ad offensum fratrem sibi reconciliandum, et benevolum esse adversario.

7807 Sed ibi quidem praemia recte operantium posuit, hic vero non recte operantium supplicia; quapropter ibi quidem dicebat mites terram possessuros esse, hic vero ait eum qui fratrem suum fatuum vocaverit, reum fore gehennae ignis; illic item dixit mundos corde Deum esse visuros; hic vero eum qui impudicis

oculis respexerit, esse vere moechum; ac cum illic pacificos filios Dei vocasset, hic alia ratione deterret dicens: Ne forte tradat te adversarius judici. Sic et lugentes et persecutionem patientes cum beatos superius praedicasset, in sequentibus idipsum tractans, perniciem interminatur iis qui non eadem ipsa via incedunt; nam qui per spatiosam viam ambulant, inquit, illic pereunt.

7808 Sed et illud: Non potestis Deo servire et Mammonae, huic dicto simile videtur: Beati misericordes, et qui esuriunt justitiam. Verum, ut praemonui, quia haec clarius dicturus est, nec clarius modo dicturus, sed etiam plura dictis adjecturus, (non enim jam misericordem tantum quaerit, sed etiam tunica te exui jubet; nec mitem solummodo, sed ut aliam maxillam convertas percutere volenti) illam quae videbatur esse repugnantiam et contrarietatem prius tollit; ideoque, ut supra dixi, non semel tantum hoc protulit, sed bis. Cum dixisset enim *Matth. 5,17*: *Nolite putare quoniam veni solvere legem, (*adjecit): *non veni solvere, sed adimplere.*

7809 *Matth. 5,18*: *Amen quippe dico vobis: donec transeat coelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.*

Quod autem dicit hujusmodi est: impossibile est non impletam manere, sed vel minimum quodque ejus impleri oportet; quod ipse fecit, qui accurate omnia implevit. Hic autem nobis subindicat totius mundi figuram immutandam esse; nec sine causa id posuit, sed ut erigeret auditorem, ostenderetque se jure aliam inducere disciplinam, si omnia quae in mundo sunt mutanda sint; et si hominum genus ad aliam patriam sit vocandum, sublimiorem praeparari vitam.

7810 *Matth. 5,19*: *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum.* Postquam enim se a mala suspicione vindicavit, et eorum qui contradicere vellent ora obstruit, tunc demum et terret, et minas graviter intentat super futura lege. Quod enim id non de antiquis legibus dixerit, sed de illis quas ipse laturus erat, audi sequentia:

Matth. 5,20: *Dico enim vobis: quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.*

Quod si circa veterem legem minaretur, cur dixisset: Nisi abundaverit? Ii enim qui eadem ipsa quae illi faciebant, non poterant secundum justitiae rationem abundare.

7811 - Sed quid erat illud quod abundabat?

- Non irasci, mulierem non impudice respicere.

- Cur ergo minimas illas vocavit leges, etiamsi tantae, tamque sublimes sint?

- Quia ipse legem inducturus erat; sicut enim se humiliat et modeste saepe de seipso loquitur, sic etiam circa legem suam agit, ut nos quoque hic doceat in omnibus modeste agere. Alioquin autem, quia innovationis suspicio quaedam esse videbatur, demissiore interim loquendi genere utitur.

Cum vero audis minimum in regno coelorum, ne aliud suspiceris quam gehennam atque supplicium; regnum enim solet appellare non usufructum modo, sed etiam resurrectionis tempus et adventum illum terribilem.

7812 Nam quomodo rationi consentaneum esset eum qui fratrem stultum vocat, et qui mandatum unum violat in gehennam incidere, illum vero qui omnia praecepta solverit et alios ad idipsum induxerit, in regno locari? Non igitur hoc dicit; sed illum eo tempore minimum futurum, idest abjectum, ultimum: ultimus autem tunc in gehennam incidet. Etenim utpote Deus multorum negligentiam praevidebat, et quosdam futuros esse, qui illa per hyperbolem solum dicta esse putarent, et qui circa leges ratiocinarentur, et dicerent: Si ergo quis fatuum vocaverit, punitur; si mulierem simpliciter respexerit, moechus efficitur? Ideo illam tollens socordiam, minas intentat maximas utrisque: et transgredientibus, et aliis ad hoc inducentibus. Minas itaque cernentes, neque ipsi transgrediamur, neque haec servare volentes avertamus.

7813 *Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum*, *5,19.*

Non enim nobis tantum, sed et aliis utiles esse debemus; neque enim par merces est ei qui se ad recte faciendum comparat, et ei qui secundum alium ad id adducit; quemadmodum enim docere et non facere condemnat docentem (nam ait, *Rom. 2,21*: Qui doces aliud teipsum non doces?) sic facere, nec alios ad faciendum inducere, mercedem minuit. Oportet igitur in utroque supremum esse; et cum te priorem ad benefaciendum induxeris, uad aliorum curam transeundum est.

Idcirco enim ipse opera ante doctrinam posuit, ostendens sic opptime quemvis se ad docendum comparare, neque alio modo unquam; auditurus esset enim: Medice cura teipsum. *Luc. 4,23*. Qui enim cum seipsum docere non potuerit, alios emendare conatur, a multis irridebitur; imo ne docere quidem ille poterit, ipsis operibus contraria testificantibus. Si vero in utroque perfectus fuerit, magnus vocabitur in regno coelorum.

7814 *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum, Matth. 5,20.*

Hic justitiam omnem vocat virtutem, ut etiam de Jobo narrans dicebat, *Job. 1,1:* Et erat vir... Secundum hanc justificationem justum illum Paulus vocabat cui legem non positam esse dicebat, *1 Tim. 1,9*: Justo enim lex non est posita. Saepeque alibi hoc nomen pro generali virtute positum reperire est. Tu vero mihi perpende gratiae augmentum: quomodo discipulos adhuc rudes vult veteris legis doctoribus esse meliores; Scribas autem et Pharisaeos hic non improbos commemorat, sed probos; nisi enim probi essent, nequaquam eos duceret habere justitiam: Neque justitiam non existentem cum existente compararet.

7815 Perpende autem hoc loco quomodo esse veterem legem commendet, dum

eam comparat cum nova; quod saepe declarat illam huic esse cognatam et affinem; nam plus et minus ejusdem generis sunt. Non igitur veteri obtrectat, sed illam augeri vult et extendi; quae si a malo prodiret non amplius quid in illa quaereret, neque illam perfectiorem reddidisset sed explosisset. Mala non est: sed majorum praeceptorum est tempus. Etiamsi vero sit imperfectior quam nova, nova item scientia, si cum futurae vitae scientia comparetur, exigua et imperfecta est, atque illa veniente evacuatur.

7816 Cum itaque majora sint praemia, ampliorque Spiritus virtutis, jure majora requiruntur certamina. Non jam terra lacte et melle manans promittitur, non senectus vivida, non multitudo filiorum, non frumentum et vinum, non greges et armenta: sed coelum et coelestia bona, adoptio et fraternitas cum Unigenito, haereditatis consortium, gloriae et regni societas, innumeraque illa praemia. Quod autem majore auxilio fruamur, audi Paulum dicentem, Rom. 8,1: Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant; v. 2: lex enim spiritus vitae in Christo Jesu liberavit nos a lege peccati et mortis.

7817

MEDITAZIONE 18.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 5,21-26*: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit reus erit judicio. v. 22: Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis. v. 23: Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, v. 24: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum. v. 25: Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris; v. 26: Amen dico tibi: non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.*

7818 Comminatus itaque transgressoribus, et magna pollicitus praemia recte agentibus, ut ostendit plus a nobis jure exigi quam mensuras priores, demum leges statuere incipit; non simpliciter, sed facta cum antiquis legalibus comparatione; haec duo volens ostendere: se videlicet non priora impugnantem, sed cum illis admodum consonantem has statuere leges, ac jure oportuneque haec nova veteribus adjungere. Quod ut clarius evadat, ipsa legislatoris verba audiamus.

- Quid igitur ait ille?

7819 - *Matth. 5,21: Audistis quia dictum est antiquis: Non occides*.

Atqui is qui illa dedit ipse est; sed interim impersonaliter haec ponit; si enim dixisset: audistis me dixisse antiquis, non acceptus fuisset hic sermo, nec audientibus probatum; si vero dixisset: Audistis quia dictum est antiquis a Patre meo, deinde intulisset: Ego autem dico, major arrogantia visa fuisset. Quapropter hoc simpliciter posuit, ad hoc unum spectans, ut ostenderet se jam opportuno tempore hoc dicere. Cum enim ait: Quia dictum est antiquis, multum intercessisse temporis declaravit ex quo hoc praeceptum acceperant.

7120 Hoc vero fecit ut auditorem pudefaceret, ad sublimiora illa adire praecepta cunctantem, uti solet magister puero dicere negligenti: An nescis quantum temporis in syllabarum meditatione consumpseris? Hoc et ipse, antiquorum nomine subindicans evocat illos ad praecepta meliora, ac si diceret: A satis longo tempore haec meditamini: oportet demum ad sublimiora pergere. Bene autem agitur quod praeceptorum ordo non confundatur, sed a priore incipiatur, a quo lex incoepit: etenim illud ipsum concordiam ostendit.

7821 *Matth. 5,22: Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.*

Vidistin perfectam potestatem? Quid enim Prophetarum sic unquam loquutus est? Quis justorum? quis Patriarcharum? Nullus sane. Sed: Haec dicit Dominus. Verum non ita Filius: illi quippe Domini verba pronunciant, hic Patris; cum autem ea quae Patris, ea quae illius sunt dico. *Jo. 17,10*: Mea (enim inquit) tua sunt, et tua mea sunt. Illi conservis legem ferebant: hic servis suis...

7822 - Non irasci et non occidere contraria ne sunt? Annon potius hoc illius est perfectio et complementum?

- Palam est hoc illius esse complementum, ideoque majus; nam qui in iram non concitatur, multo magis a caede abstinebit; et qui iram fraenat, multo magis manus retinebit. Radix enim coedis ira; qui ergo radicem excindit, multo magis ramos auferet: imo vero neque nasci sinet. Non igitur ad legis abrogationem, sed ad majorem facilioremque ejus custodiam has afferebat leges. Quid enim volebat lex cum praeciperet? Annon ut nemo proximum suum occideret? Igitur impugnatorem legis homicidia oportuerat imperare: nam occidere et non occidere contraria sunt; si vero ne irasci quidem permittat, illud perfectius statuit quod lex volebat. Non enim perinde abstinebit a caede qui non occidere meditatur, atque ille qui iram sustulit; hic quippe longius abest a tali facinore.

7823 *Qui irascitur fratri suo reus erit judicio, Matth. 5,22*.

Non enim prorsus rem sustulit; primo quidem quia non potest homo animi affectibus prorsus liberari; sed illos retinere quidem possumus absque illis omnino esse non possumus; deinde, quia ille animi motus utilis est, si illo sciamus opportune uti. Perpende enim quanta bona attulerit Pauli ira contra Corinthios: nam et illos a magna peste liberavit; Galatarum item gentem lapsam, per hanc

recuperavit, aliosque multos.

- Quod ergo tempus irae opportunum est?

- Quando non nos ipsos ulciscimur, sed alios petulantes reprimimus, desides convertimus.

- Quod tempus non opportunum?

7824 - Quando nos ipsos ulciscentes id facimus; quod Paulus cohibens, dicebat, *Rom. 12,19*: Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum irae. Quando de pecuniis litigamus, nam et hoc his verbis sustulit, *1 Cor. 6,7*:... Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sicut enim haec ira supervacanea est, sic illa necessaria et utilis. Verum multi e contrario faciunt: efferati cum injuria afficiuntur, resoluti et molles cum laesum alium vident: quae ambo contraria sunt evangelicis legibus. Non ergo irasci iniquum est, sed importune irasci; ideo Propheta dicebat, *Ps. 4,5*: Irascimini et nolite peccare.

7825 *Qui autem dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio, Matth. 5,22*.

Concilio: [quod est] hic, judicium Hebraeorum; quod ideo nunc posuit, ne ubique videretur nova et peregrina dicere.

Raca: non magnae contumeliae vox est, sed potius contemptus et negligentiae quemadmodum enim nos famulis, aliisque infimi gradus imperantes dicimus: Vade tu, dic tu illi: sic qui Syrorum lingua utuntur, voce *raca* uti solent, *tu* significantes. Sed benignus Deus vel minima evellit, jubens nos reverenter mutuo agere, et cum honore decenti, ut per haec etiam majora tollantur.

7826 *Qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis, 5,22*.

Hoc praeceptum multis grave et onerosum visum est, si pro uno simplici verbo tantum debeamus supplicium luere; quidam vero hoc ipsum hyperbolice dictum existimant. Sed vereor ne verbis hic nos decipientes reipsa extremum subeamus supplicium. Cur, quaeso, onerosum videtur esse praeceptum? An nescis pleraque supplicia et peccata a verbis initium ducere? Per verba enim blasphemiae et abnegatio Dei; per verba convitia et contumeliae, perjuria, falsa testimonia, ipsa homicidia; ne igitur id attendas quod unum sit Verbum, sed an multum habeat periculi: hoc examina.

7827 An ignoras inimicitiarum tempore, cum ira succenditur animus et inflammatur, rem minimam magnam videri et modicum convicium molestum esse? Saepeque haec parva et homicidiorum causa fuere, et civitates integras subverterunt. Sicut enim inter amicos etiam quae molesta sunt levia dicuntur, sic inimicitia suborta, vel minima intolerabilia videntur; etiamsi simpliciter dicta sint, malo animo prolata existimantur. Ac quemadmodum in igne si parva scintilla sit, etiamsi innumera ligna adjaceant non facile inflammantur, si vero jam in altum flamma consurgat, non ligna modo sed etiam lapides, aliamque incidentem materiam facile corripit, et per quae restingui solet, per haec violentus ardet; quidam enim dicunt

non lignum modo, stuppam, aliaque ignis alimenta, sed etiam immissam aquam magis vim ignis excitare.

7828 Sic in ira accidit: quidquid dixeris, alimentum maligni incendii statim efficitur. Quae omnia Christus ante comprimens, eum qui temere irascitur judicio condemnavit; ideo dixit: Qui irascitur reus erit judicio; dicentem vero: raca, reum esse ait concilio. Sed haec nondum magna sunt: in hoc enim saeculo puniuntur; ideoque ei qui fatuum appellaverit, gehennae ignem adjecit, nuncque primum gehennae vocem protulit. Prius enim multa de regno locutus, tunc eam memoravit, ostendens illud quidem benignitatis et voluntatis suae esse: hanc vero nostrae socordiae.

7829 Ac vide quomodo paulatim procedat in suppliciis, quasi fere sese apud te purgaret, ostendens se quidem nullas similes minas intentare velle, nos autem illum ad tales denuntiationes compellere. Animadverte enim: dixi ne frustra irascaris, nam reus eris judicio: primum illud contempsisti. Vide quid peperit ira: ad contumeliam inferendam te statim pertraxit; *raca* enim vocasti fratrem tuum: rursus aliam constitui poenam, nempe concilii. Si hac etiam despecta ad aliud procedas gravius, non ultra te moderatis hisce poenis ulciscar, sed immortali gehennae supplicio, ne demum ad caedem etiam prosilias; nihil est enim, nihil est utique contumelia intolerabilius, nec quod magis possit humanum mordere animum.

7830 Quod si dictum illud contumeliosius et acrius fuerit, tum duplex fit incendium. Ne igitur leve existimes esse aliquem vocare fatuum; quando enim illo quo a brutis differimus, et quo maxime homines sumus, mente scilicet atque prudentia, fratrem spolias, omni illum nobilitate privasti. Ne itaque verbis solum attendamus, sed res ipsas et affectum considerantes, cogitemus quantam hoc verbum plagam inferat et in quantum malum perveniat. Ideo Paulus, non moechos tantum et molles, verum etiam maledicos a regno exclusit; et jure quidem, nam contumeliosus caritatis bonum pessumdat, ac sexcentis proximum involvit malis, perpetuas fovens inimicitias, Christi membra discerpit, pacem illam Deo optabilem quotidie pellit, latam diabolo per contumelias parans viam, illumque efficiens fortiorem.

7831 Ideo Christus nervos illius potentiae exscindens, hanc legem induxit; magna quippe est illi caritatis cura; haec quippe est omnium mater bonorum, certa discipulorum nota, quae omnia nostra continet. Jure ergo radices et fontes inimicitiae quae illam pessumdat, cum vehementia multa Christus amputat et tollit. Ne igitur haec per hyperbolen dicta putes, sed cogitans quanta bona parere possint, harum mansuetudinem legum mirmare. Nihil enim ita curat Deus ut nos mutuis vinculis colligari.

7832 Ideo et per seipsum et per discipulos suos, tam in novo quam in veteri testamento multo hoc praeconium sermone commendat, et vehemens vindex est eo-

rum qui haec despiciunt. Etenim nihil ita malitiam omnem inducit et fundat, ut caritatis remotio: ideo dicebat, *Matth. 24,12*: Cum abundaverit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Sic Cain fratricida factus est, sic Esau, sic fratres Josephi, sic innumera exorta sunt mala, avulsa caritate. Ideo ille, ea quae ipsam pessumdare possunt cum magna accuratione removet.

7833 # MEDITAZIONE 19.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 5,23-26: Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, v. 24: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum. v. 25: Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. v. 26: Amen dico tibi: non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.*

7834 Neque supradictis gradum sistit, sed alia plura adhibet, queis ostendit quantam ejus (caritatis) habeat rationem; nam cum per concilium, per judicium et per gehennam ignis comminatus esset, alia adjecit praecedentibus consona. Nempe:

Matth. 5,23: *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, v. 24: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc offeres munus tuum....*

O bonitatem, o benignitatem quae omnem sermonem superat! Honorem suum despicit, pro caritate erga proximum; ostendens se prius comminatum esse non ex inimicitia quadam, vel ex cupiditate inferendi supplicii, sed ex amore ferventi.

7835 Quid enim hisce verbis mansuetius fingi possit? Interrumpatur, inquit, cultus meus, ut caritas tua maneat: nam vere sacrificium est reconciliatio cum fratre. Ideo non dixit: postquam obtuleris, vel antequam offeras, sed ipso munere praesente, et jam sacrificio incipiente, mittit eum ut se cum fratre reconciliet, nec sublato jacente munere, nec antequam munus attulerit, sed illo in medio jacente jubet illuc accurrere.

- Cur ergo sic jubet id agere, et qua de causa?

- Haec ambo, ut mihi quidem videtur, subindicans et agens: unum quidem, ut jam dixi, ut ostendat se caritatem magni facere, et illam esse putare maximum omnium sacrificium, seque sine caritate sacrificium non admittere; secundum autem ut reconciliationis inevitabilem necessitatem afferat. Nam qui jussus est non prius

offerre quam reconciliaretur, etiamsi non ex amore proximi, saltem ne sacrificium imperfectum maneat, properabit ad offensum fratrem, ut inimicitiam solvat.

7836 Ideoque omnia emphaticis expressit verbis, terrens illum excitansque. Cum dixisset enim: relinque mumus tuum, non ibi subsistit, sed subjunxit: ante altare; et postquam ex loco in horrorem quemdam conjecit: et vade. Nec tantum dixit: vade; sed adjunxit: prius; et tunc veniens offeres munus tuum; per haec omnia declarans hanc mensam non admittere eos qui inimicitias mutuo exercent. Audiant initiati qui cum inimicitiis accedunt; audiant et qui nondum sunt initiati: nam ad hos quoque sermo quodammodo pertinet; offerunt enim et ipsi donum et sacrificium: orationem dico et eleemosynam. Quod enim haec sacrificium sint, audi prophetam dicentem, *Ps. 49,14*: Sacrificium laudis honorificabit me; et rursus, *ibidem:* Immola Deo sacrificium laudis; et, *Ps. 140,2*: Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

7837 Itaque, si orationem cum tali affectu proferas, melius est relinquere orationem et ad te cum fratre reconciliandum properare, tuncque orationem offerre. Propter hoc enim omnia facta sunt; propter hoc Deus homo factus est, et omnia illa est operatus, ut nos congregaret. Hic igitur laedentem ad laesum misit; in oratione vero laesum ducit ad laedentem; illic enim ait, *Matth. 6,14*: Dimitte hominibus debita; hic vero: Si... habet aliquid adversum te... vade prius reconciliari fratri tuo. Imo vero, hic mihi videtur laesum mittere; quapropter non dicit: Reconcilia teipsum fratri tuo, sed: reconciliare. Et videtur quidem hoc de laedente dici, sed totum ex persona laesi dicitur.

7838 Si enim illi reconciliatus fueris, inquit, per tuam erga eum caritatem me etiam habebis propitium, et cum multa fiducia poteris sacrificium offerre; si vero adhuc indignaris, considera me libenter contemni mea jubere, ut vos amici evadatis: et haec tibi sit in ira consolatio. Non dixit: Cum graviter offensus es tum reconciliare; sed etiamsi leve quidpiam contra te habuerit: habet aliquid adversum te. Neque adjecit: juste sive injuste; sed simpliciter: *habet aliquid adversum te*. Etiamsi enim juste, neque sic decet inimicitiam diutius fovere; quandoquidem et Christus juste nobis irascebatur: attamen seipsum pro nobis dedit occidendum, non imputans nobis illa peccata.

7839 Ideo Paulus alio modo nos ad reconciliationem agens, dicebat, *Eph. 4,26*: Sol non occidat super iracundiam vestram. Quemadmodum enim hic a sacrificio Christus, ita illic Paulus a die ad idipsum hortatur; timet quippe noctem, ne forte solum excipiens sauciatum, majus ulcus efficiat. In die namque multi sunt qui avellunt et distrahunt: in nocte vero cum solus sit, et haec animo verset, intumescunt fluctus, et major fit tempestas. Ideo haec praeveniens Paulus reconciliatum vult nocti tradere, ut nullam ex quiete possit diabolus ansam arripere, ad irae fornacem accendendam et vehementiorem efficiendam.

7840 Sic etiam Christus non permittit vel tantillum differre, ne completo sacrificio negligentior ille foret, exque die in diem differret. Novit enim hunc animi morbum multa egere celeritate, atque sapiens medicus non modo quae praeservent a morbis adhibere occupat, sed etiam quae mederi possint, ostendit, sic et ille agit; nam cum prohibet ne quis fatuus appelletur, id praevium remedium est ad inimicitiam vitandam; cum vero praecipit reconciliationem, id morbos qui post inimicitiam suboriri solent, praecidit.

7841 Vide autem quam vehementer utrumque ponatur: illic enim gehennam comminatus est, hic vero donum non recipit ante reconciliationem, vehementem iracundiam esse monstrans, ac per haec omnia radices et fructum avellens. Et primo quidem ait: Ne irascaris; postea vero: Ne convitieris; nam haec ambo sese mutuo fovent et augent: ab inimicitia convitium, a convitio inimicitia. Ideoque nunc radici, nunc fructui remedium admovet ut impediat ne malum oriatur; si vero germinaverit et fructum ferat pessimum, illum undique comburit. Ideo postquam dixit judicium, concilium et gehennam, ac de suo sacrificio disseruit, alia rursum addit his verbis:

7842 *Matth. 5,25*: *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo*.

Ne enim diceres: Quid igitur si injuriam patiar? Quid si bonis spolier et ad judicium trahar? Hanc quoque ansam et excusationem removit; jubet enim te ne sic quidem inimicitias aliquando suscipere. Deinde, quia illud magnum erat praeceptum, a praesentibus dat consilium, quae certe magis quam futura crassiores retinere solent. Quid enim dicis, inquit, ipsum potentiorem esse et tibi nocere? Magis ergo tibi nocebit nisi ipsum placaveris, et si coactus fueris in carcerem ire; tunc enim illo sedato, pecuniis amissis, corpus liberum habebis: contra vero si sub judicis sententia positus sis, vinculis constringeris, extremasque dabis poenas.

7843 Si autem jurgium illud fugeris, duo assequeris bona: et quod nihil ingratum patiaris, et quod bonum opus tuum tibi, non illius violentiae debeatur. Quod si dictis obtemperare non velis, non illi tantum nocebis, quantum tibi ipsi.

Perpende autem hic quomodo ipsum hortetur: postquam enim dixit: Esto consentiens advedrsario tuo, subjunxit: cito; nec contentus hoc additamento, aliud celeritatis quaesivit augmentum, dicens: *dum es in via cum illo*; his impellens ipsum, et magna cum vehementia urgens. Nihil enim ita vitam nostram evertit, ut si cunctemur et differamus in bonorum opratione. Saepe namque illud in causa fuit ut ab omnibus excideremus, quemadmodum et Paulus ait, *Eph. 4,26*: Priusquam sol occidat iram solve, et superius ipse Christus: Priusquam oblationem perficias, reconciliare, *Matth. 5,24*.

7844 Sic et hoc loco dicit: Cito, *dum es cum illo in via*; priusquam ad judicii fores accedas, priusquam ad tribunal sistaris, et sub judicis demum potestate positus sis. Ante ingressum enim penes te sunt omnia: verum in illa ingressus

limina, quantumvis te verses, non poteris tua ad nutum tuum disponere, sub alterius potestate redactus.

- Quid autem est esse consentientem: *consentiens?*

- Vel id significat: potius damnum patiaris, vel illud: judicium ferto ac si illius personam ageres, ne ex amore tui jura violes; sed de alieno, ac si tuum esset, negotio deliberans, ita sententiam feras. Quod si grande illud est, ne mireris: ideo enim illas omnes protulit beatitudines, ut complanato ac praeparato auditoris animo, aptiorem illum efficeret ad has omnes leges recipiendas.

7845 ... Mihi videtur de judicibus hujus saeculi agi, ac de via quae ad judicium ducit, et de carcere. Postquam enim a sublimioribus hortatus est et a futuris, a vitae praesentis terret negotiis; id quod etiam Paulus facit, a futuris et a praesentibus auditorem commovens, ut cum a nequitia abducens, principem armatum male operanti ostendit his verbis, *Rom. 13,4*: quod si malefeceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est. Iterumque jubens Deo subjectos esse, non modo Dei timorem, sed etiam ejus minae affert et providentiam, *ibidem* v. 5: Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Nam insipientiores, ut jam dixi, haec quae apparent, et quae e vestigio sequuntur, magis solent emendare.

7846 Quamobrem Christus non modo gehennam memoravit, sed etiam judicii tribunal, abductionem ad mortem, carcerem ejusque miserias omnes, per haec ipsas caedium radices exscindens. Qui enim neque convitiis impetitur, nec in jus trahitur, neque iram intendit, quomodo occidet unquam? Itaque hinc palam est in proximi commodo nostrum quoque commodum reperiri; nam qui cum adversario consentit multo magis sibi ipsi erit utilis, liber a tribunalibus, a carceribus eorumque miseriis.

Dictis igitur obtemperemus, nec contendamus, nec rixemur, cum maxime praecepta, etiam ante praemia, illam voluptatem et utilitatem in se contineant.

7847 MEDITAZIONE 20.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 5,27-32*: *Audistis quia dictum est antiquis: Non moechaberis. v. 28: Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo. v. 29: Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. v. 30: Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam et projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totus corpus*

tuum eat in gehennam. v. 31:.. Dictum est autem: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii; v. 32: Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari: et qui dimissam duxerit, adulterat.

7848 *Matth. 5,27*: *Audistis quia dictum est antiquis: Non moechaberis. v. 28: Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.*

Postquam primum mandatum explicandi finem fecit, illudque ad summum philosophiae extendit, ordine procedens ad secundum provehitur, in hoc quoque legi obsecutus.

7849 Ordine.

- Atqui hoc non secundum praeceptum est, inquies, sed tertium; non enim primum praeceptum est: Non occides; sed Dominus Deus tuus Dominus unus est. Quamobrem quaerendum est cur non inde coeperit. Qua de causa igitur?

- Quia si inde coepisset oportebat et illud augere, et semetipsum in explicatione complecti; nondum autem tempus erat de seipso hujusmodi quidpiam docere; alioquin autem moralem interim sermonem habebat, et hinc et ex miraculis volens auditoribus persuadere se Filium Dei esse.

7850 Perché non parla del primo comandamento.

Si enim antequam aliud quidpiam loqueretur aut faceret, statim dixisset: Audistis quia dictum est antiquis: Ego Dominus Deus tuus, et praeter me non est alius; ego autem dico vobis ut et me adoretis, sicut et illum, id effecisset ut omnes illum quasi furentem haberent. Si enim post tantam doctrinam et post tanta signa, cum nondum haec ille clare dixisset, daemoniacum illum vocabant; si ante illa omnia simile quid dicere tentavisset, quid non dixissent, quid non cogitassent?

7851 At vero doctrinam hujusmodi ad tempus opportunum reservasse id facilem parabat viam ut hoc dogma a multis susciperetur; quamobrem nunc illud praetermisit; postquam vero per signa perque doctrinam optimam ad id praeparasset. verbis demum idipsum revelavit. Nunc certe et signis et ipso doctrinae modo paulatim et sensim illud declarat; nam cum potestate leges illas statuere vel reformare, id utique eum qui attenderet et mente valeret, ad veri dogmatis rationem deducebat; obstupescebant enim, ait, quia non sicut Scribae eorum docebat, *Matth. 7,29*. A generalibus quippe vitiis orsus, ab ira nempe et concupiscentia, (haec enim mxime tyrannidem in nobis exercent, et naturae sunt magis consuna) cum auctoritate multa, quantum decebat legislatorem, haec emendavit, et cum omni accuratione ordinavit.

7852 Neque enim dixit tantum moechum poenas esse daturum, sed idipsum hic facit quod circa homicidam fecerat, impudico etiam aspectui poenas denuncians, ut discas quid sit illud quod ultra scriptas leges requiritur.

Ideo dicit: *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo. 5,28.* Idest: qui solet venusta corpora curiosius intueri, faciesque formosas venari, et hoc spectaculo animum pascere, oculosque defigere in formosos vultus.

7853 Toglie la concupiscenza dal cuore.

Non enim corpus tantum venit a malis actibus liberare, sed et animam ante corpus; quia enim in corde Spiritus gratiam accipimus, cor primum expurgat.

- Et quomodo possumus, inquies, a concupiscentia liberari?

- Maxime quidem, si velimus, possumus eam extinguere, et ne erumpat coginere. Alioquin autem hic non modo concupiscentiam tollit, sed etiam illam concupiscentiam quae ex aspectu prodit. Nam qui formosas intueri facies studet, ille praecipue vitii fornacem accendit, animamque captivam efficit, et cito ad opus quoque accedet.

7854 Propterea non dixit: Qui concupierit moechari, sed: qui viderit... ad concupiscendum. Et cum de ira loqueretur distinctionem quamdam posuit, *temere* vel *sine causa* dicendo; hic vero non ita, sed semel totam concupiscentiam sustulit, etiamsi haec ambo innata nobis sint, et utiliter utraque nobis insint, ira nempe et concupiscentia, illa ut improbos puniamus, et incompositos emendemus, haec ut liberos suscipiamus et genus nostrum successione propagetur. Cum ergo non hic etiam distinctionem posuit, maximam certe, si attendas, hic distinctionem percipies; non enim simpliciter dixit: qui concupiverit; potest enim quivis etiam in montibus sedem habens concupiscere; sed: qui viderit... ad concupiscendum; idest qui sibi ipsi concupiscentiam accersit, qui nemine cogente feram illam in sedatum animum immittit; illud enim non jam ex natura proficiscitur, sed ex desidia.

7855 Hoc quippe in veteri lege jam olim vetitum fuit, quae sic habet, *Eccli. 9,8*: Ne circumspicias speciem alienam. Deinde ne quis diceret: Quid ergo si didicero, (circumspexero) et non capiar? Cohibet aspectum, ne hac fidenter usus licentia in peccatum aliquando incidas.

- Quid igitur si videam, et concupiscam, nihilque mali agam?

- Etiam sic cum moechis numeraris. Sententiam tulit legislator, neque debes ultra curiose inquirere; cum enim semel aut bis, aut ter sic respexeris, te sorte poteris continere; si vero frequenter id facias, et fornacem accendas, profecto capieris; non enim extra humanam situs es naturam.

7856 Quemadmodum ergo nos cum puerum videmus gladium tenentem, etiamsi nondum vulneratum sentiamus, verberamus tamen, prohibemusque ne sic unquam attingat, sic quoque Deus impudicum aspectum ante opus tollit, ne forte in opus ipsum incidamus. Nam qui semel flammam accendit, etiam absente illa quam respexit muliere, rerum turpium imagines sibi ipsi frequenter fingit, et ex ipsis imaginibus in opus saepe deducitur. Ideoque Christus etiam illum qui in animo

fingitur coitum de medio tollit.

7857 Quid igitur dixerint ii qui secum habitantes habent virgines? Etenim secundum hanc legem, sexcentis rei fuerint fornicationibus, quotidie illas cum concupiscentia intuentes. Ideoque beatus Job hanc sibi legem a principio posuit, se ubique cohibens a tali spectaculo, *Job. 31,1*: nam certe post aspectum ne fruaris illa quam amas, majus est certamen. Neque tantam ab aspectu percipimus voluptatem quantam a cupiditatis augmento experimus perniciem, dum hosti fortitudinem accersimus, et diabolo majus nocendi spatium et locum damus, ut neque possimus illi resistere postquam in intima cordis illum induximus, et apertum ipsi animum expandimus.

7858 Idcirco ait: Noli moechari oculis, et animo non moechaberis; est enim et alius aspiciendi modus, ut casti scilicet aspiciunt; ideoque non simpliciter aspectum sustulit, sed aspectum cum concupiscentia. Nisi enim id sibi voluisseet, dixisset utique: Qui viderit mulierem, simpliciter. Non sic autem dixit, sed: *Qui viderit... ad concupiscendum*: qui respexerit ut aspectum delectet. Non enim ideo tibi Deus oculos dederit ut illis ad fornicationem inducendam utaris, sed ut ejus creaturas videns Creatorem mireris. Quemadmodum ergo fieri potest ut temere irascaris, ita fieri potest ut temere aspicias, cum nempe ad concupiscentiam aspexeris.

7859 Si enim respicere et delectari velis, respice uxorem tuam, illamque perpetuo ama: nulla id lex prohibet. Si vero alienam formam curiose intueri volueris, et illam laedis, alio oculos avertens, et hanc quam respicis, si illicite illam contingas. Etiamsi enim illam manu non contigeris, at oculis contigisti: ideoque illud pro adulterio reputatur, et ante supplicium illud destinatum aliud non leve supplicium inducit; nam tumultu et perturbatione omnia interiora replet, magna adest tempestas, gravissimus dolor, nec meliore conditione erit ille qui haec patitur quam ii qui vinculis et catenis constricti sunt.

7860 Et illa quae telum emisit saepe avolat: vulnusque tamen manet; imo vero non illa telum emisit, sed tu ipse tibi lethalem plagam inflixisti, qui impudice intuitus es. Et haec dico ut pudicas ab accusationem eximam; si qua vero sese ita exornat ut omnium oculos ad se convertat, etiamsi nullum obvium confoderit, extremas dabit poenas; pharmacum enim apparavit et virus composuit, etsi nemini poculum porrexerit; imo porrexit, etsi nemo qui biberet accesserit.

7861 - Quid ergo? Num etiam mulieres alloquitur?

- Quia leges ubique communes statuit, etiamsi viros tantum alloqui videatur, capiti loquens commune toti corpori admonitionem profert: mulierem namque et virum unum novit esse animal, et nusquam genus illud dividit. Quod si velis increpationem in illas prolatam speciatim audire, Isaiam audi, pluribus in illas invehentem, traducentemque ipsarum habitum, aspectum, incessum, tunicae humi defluentes, lascivientes pedes, colla fracta mollitie. *Isai 3,16*: Et dixit Dominus:

Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant, v. *17*: Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinen earum nudabit. *v. 18*: In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, v. *19*: et torques, et monilia, et armillas, et mitras, *v. 20*: et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoriola, et inaures, *v. 21*: et anulos, et gemmas in fronte pendentes, *v. 22*: et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus, v. 23: et specula, et sindones, et vittas et theristra; *v. 24*: et erit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti...

7862 Audi cum illo beatum Paulum, multas ipsis leges statuentem, et de vestibus, et de aureis ornatibus, et de calamistratis capillis, et de lascivia et de aliis similibus hunc sexum vehementer corripientem; Christus etiam in sequentibus aenigmatice hoc ipsum declarat; cum enim dicit: erue, exscinde, id quod te scandalizat, iram adversus illas concitatam exhibet. Ideo subjunxit:

Matth. 5,29: Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Ne enim diceret: Quid ergo si cognata mea sit? quid si aliqua mihi necessitudine juncta? ideo haec praecipit, non de membris loquens: absit! nusquam enim dixit crimina ad carnem pertinere; sed accusatio pravam semper voluntatem spectat.

Neque enim oculus tuus est qui videt, sed mens et cogitatio; saepe namque nobis alio conversis eos qui praesentes sunt non videt oculus; itaque totum non est illius acuti adscribendum; si enim de membris loqueretur, non de uno diceret oculo, neque dextrum solum posuisset, sed ambos. Nam qui a dextro scandalizatur idipsum haud dubie patietur a sinistro.

7863 - Cur ergo dextrum oculum posuit, et manum adjecit?

- Ut discas non de membris sermonem esse, sed de iis qui nobis amicitia junguntur; si quempiam ita amas, inquit, ut eum dextri oculi loco ponas, aut ita tibi utilem putas ut pro manu illum habeas, si laedit animam tuam, et hunc abscinde.

Et vim dicti perpende: non enim dixit: abscede, sed maximam separationem indicans, *erue*, inquiit, *et projice abs te*. Deinde quia severe praeceperat, utrimque lucrum esse docet, et ex bonis et ex malis, in eadem metaphora insistens. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam; cum enim neque seipsum servet, quae humanitas esset ambo perdere, cum liceat iis separatis unum servare? Cur enim Paulus optat anathema esse? *Rom. 9,3*: Non ita ut nihil inde lucri accederet, sed ut alios servaret. Hic autem utriusque damnum est; quapropter non dixit tantum: erue, sed etiam: projice abs te; ita ut nunquam repetas, si talis manserit; sic enim et illum majori crimine liberabis, et teipsum a pernicie eripies.

7864 Ut autem clarius legis utilitatem perspicias, si placet in corpore exempli causa id quod dictum est exploremus. Si enim optio daretur, ac necesse esset aut

oculum habentem conjici infossam et perire, aut illo erupto reliquum corpus servari, annon postremum malles? Id nemini non manifestum est; illud enim non esset oculum odisse, sed reliquum corpus amare. Hoc porro et de viris cogita et mulieribus. Nam si is qui te laedit amando incurabilis manet, et si abscissus sit, te ab omni pernicie liberabit, sic et ipse a majoribus eripietur criminibus, neque ultra cum peccatorum suorum ratione rationem etiam perniciei tuae daturus.

7865 Vide quanta mansuetudine plena lex est, quanta providentia; et quae a multis nimia severitas esse videtur, quantam exhibet benignitatem. Haec audiant qui ad theatrum properant, et sese quotidie moechos praestant; nam si consuetudine junctum sed damnosum lex jubet abscindere, quam purgationem habeant qui nondum sibi notos, ibi commorando quotidie pertrahunt et sexcentas sibi comparant excidii ansas? Non modo enim impudice respicere non concedit, sed quia hujusce rei damnum monstravit, legem ulterius extendit, abscindere jubens longeque projicere; et haec ille lege statuit, qui de caritate sexcenties loquutus est ut utrinque ejus providentiam ediscas, et quomodo undique utilitatem tuam requirat.

7866 *Matth. 5,31*: *Dictum est autem: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii; v. 32: Ego autem dico vobis: Quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, adulterat.*

Non prius ad ulteriora progreditur, nisi priora probe expurgaverit; ecce enim aliam nobis rursus ostendit adulterii speciem.

- Quenam est illa?

- Lex erat vetus eum qui quacumque ex causa uxorem suam odisset, illam repudiare, et aliam ducere non porohiberi; neque illud tamen simpliciter facere lex jubebat, sed post datum uxori libellum repudii, ita ut non posset iterum ad illum revertere, ut saltem matrimonii figura maneret.

7867 Nisi enim hoc praecepisset, et si licuisset illam repudiare et aliam accipere, deindeque priorem reducere, magna futura confusio erat, omnibus alienas uxores alternis vicibus frequenter accipientibus, adulteriumque manifestum id prorsus fuisset. Quapropter non parvam consolationem excogitavit: libellum nempe repudii. Hoc porro factum est ad aliam multo majorem vitandam nequitiam; si enim exosam praecipisset retineri, is qui oderat occidisset: talis quippe erat Judaeorum natio; nam qui ne filiis quidem parcebant, prophetas interficiebant, sanguinemque ut aquam fundebant, multo minus uxoribus pepercissent. Ideo quod minus erat permisit, ut quod majus erat exscinderet.

7868 Quod enim haec lex non e praecipuis esset, audi quid Servator dicat, *Matth. 19,8*: Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis ne intus mactaretis, sed ejiceretis. Quia vero ille iram omnem sustulit, non caedem modo vetans, sed etiam excludens, facile hanc inducit legem; ideoque priorum semper verborum

meminit, ut ostendat se non contraria illis, sed consona dicere, illa extendens, non evertens: emendans, non solvens. Perpende autem illum semper ad virum sermonem referre.

7869 *Qui dimiserit uxorem suam... facit eam moechari; et qui dimissam duxerit adulterat, Matth. 5,32*.

Ille enim, etsi alteram non duxerit, hoc ipso se criminis reum constituit, quod eam adulteram faciat; hic vero quod alienam ducat, moechus et ipse fit. Ne mihi enim dicas: Ille ejecit; nam ejecta adhuc manet ejicientis uxor. Deinde ne totum conjiciens in ejicientem arrogantionem faceret uxorem, ipsam accipere volenti januam claudit, dicens: Et qui dimissam duxerit, adulterat, uxorem vel invitam pudicam reddens, et ad alium virum aditum ipsi claudens, nec permittens simultatis ansam praebere.

7870 Illa namque, cum didicerit prorsus necessarium esse aut virum qui sibi ab initio sorte contigerat habere, aut si e domo illa egrediatur nullum sibi aliud superesse refugium, vel invita cogetur conjugem amare suum. Si vero nihil ipsi hac de re loquatur, ne mireris; infirmior enim mulier est; quapropter illa dimissa viros minis terrendo, mulierem quoque emendat. Ut si quis filium habens lascivum, illo dimisso, illis interminetur qui talem ipsum effecerunt, vetetque ne illum ultra adeant vel conveniant. Quod si hoc onerosum videatur, in mentem revoca illa quae supra dicta sunt, cum beatos praedicaret audientes; remque et possibilem et facilem invenies. Mitis enim, pacificus, pauper spiritu et misericors, quomodo uxorem repudiabit? Et qui alios reconciliat, quomodo dissidebit cum conjuge sua? Non hoc vero tantum: sed alio quoque modo legem fecit levem.

7871 Nam relinquit ei unum repudii modum, dicens: Excepta fornicationis causa. Siquidem in eadem perstat decori ratione. Si enim jussisset cum pluribus mixtam retinere, rursus in adulterium res convertebatur. Viden' quomodo haec cum prioribus consonent; qui enim uxorem alienam impudicis oculis non respicit, non fornicabitur; si non non fornicetur, viro repudiandae uxori suae ansam non praebebit; ideo libere constringit, et timorem firmat, magnum viro periculum, si ejiciat, intentans, nam fornicationis illius sese reum constituit. Etenim ne cum audis: erue oculum, putes id etiam de uxore dici oportere, hanc cautionem inducit, uno tantum modo, nec alio quovis, permittens illam repudiare.

7872

MEDITAZIONE 21.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 5,33-37*: *Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis:*

reddes autem domino juramenta tua. v. 34: Ego autem dico vobis: non jurare omnino, neque per coelum, quia thronus Dei est, v. 35: neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis, v. 36: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. v. 37: Sit autem sermo vester: est, est; non, non; quod autem his abundantius est, a malo est.

7873 *Matth. 5,33*: *Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. v. 34: Ego autem dico vobis: non jurare omnino.*

- Cur non statim venit ad furtum, sed ad falsum testimonium, illudque mandatum praeterivit?

- Quoniam qui furatur aliquando jurat; qui vero neque jurare neque mentiri novit multo magis a furto abstinebit. Itaque per hoc etiam illud peccatum evertit, nam mendacium ex furto oritur.

- Quid autem est: Reddes... Domino juramenta tua?

- Idest jurans verum dices.

7874 *Matth. 5,34: Ego autem dico vobis non jurare omnino.* Deinde ut magis magisque avertat eos ne per Dominum jurent, [addit] neque per coelum, quia thronus Dei est, *v. 35*: neque per terram, quia scabellum pedum ejus est, neque per Jerosolymam, quia civitas magni regis est.

Ex prophetis adhuc loquitur, et ostendit se non antiquis adversari, nam in more illis erat per haec jurare, et in fine hujus evangelii hunc fuisse morem ostendit. Tu vero mihi considera unde extollat elementa: non ex propria natura, sed ex Dei erga elementa affectu, demisse et secundum captum nostrum expresso. Quia enim multa erat idololatriae tyrannis, ne viderentur elementa ex se honoranda esse, hanc quam diximus causam posuit, rursusque ad Dei gloriam transivit.

7875 Neque enim dixit: quia pulchrum magnumque coelum est, neque quia utilis terra, sed quia Dei illud thronus est, haec scabellum: undique ipsos ad Dominum compellens.

Matth. 5,36: *Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere vel nigrum*. Rursus non hominem admirans, subjunxit: *neque per caput tuum juraveris,* alioquin enim ipse homo adoratus fuisset; sed gloriam Deo referens, et ostendens te ne quidem tui dominum esse, ergo neque juramentorum per caput tuum emissorum. Si enim nemo filium suum alteri dederit, multo minus Deus opus suum tibi concedet. Etiamsi enim caput tuum sit, sed alterius est possessio; tantumque abest ne dominus ejus sis, ut ne minimum quidem possis in illo operari; neque enim dixit: non potes producere capillum, sed neque ejus qualitatem mutare.

7876 - Quid igitur si quis, inquies, juramentum exigat et necessitatem inducat?

- Dei timor necesse sit potentior. Nam si velis hujusmodi causas objicere, nul-

lum ex praeceptis servabis; nam et de uxore dicturus es:

- Quid igitur si litigiosa et sumptuosa sit? Et de oculo dextro:

- Quid igitur si eruam eum et urar? Et de impudico aspectu:

- Quid igitur an possum non videre? Et de ira in fratrem:

- Quid igitur si praeceps sim, et linguam tenere non possim?

Et sic prorsum omnia supradicta calcabis. Atqui in legibus humanis haec obtendere non ausis; neque dicere:

- Quid igitur si hoc vel illud? Sed seu sponte, seu invitus, ea quae scripta sunt accipis; alioquin autem nunquam vim necessitatemque patieris. Nam qui beatitudines prius enunciatas audivit, ac seipsum ita composuit ut Christus jussit, nullam a quovis homine hujusmodi necessitatem patietur, cum sit apud omnes admirandus et honorabilis.

7877 *Matth. 5,37*: *Sit autem sermo vester: est, est; non, non; quod autem his abundantius est, a malo est.*

- Quid igitur supervacaneum illud est, ultra *est* et *non*?

- Juramentum; non autem perjurium. Hoc enim in confesso est, et nemo est quin didicerit a malo esse; nec supervacaneum esse, sed contrarium. Supervacaneum autem est quod ultra et cum redundantia adjicitur; taleque est juramentum.

- Quid nam vero dicit a malo esse? Et si a malo erat, cur jubebatur in lege?

- Idipsum etiam de uxore dices: Cur jam fornicatio reputatur, id quod olim permittebatur? Quid ad haec dicendum? Haec tunc dicta fuisse, secundum infirmitatem eorum qui leges accipiebant.

7878 Nam et nidore victimarum coli indignum admodum Deo est, sicut balbutire indignum philosopho. Adulterium ergo nunc reputatur illud, et a malo est jurare, quando aucta et perfecta virtus est. Si vero hae ab initio diaboli leges fuissent, non utique tantum profecissent; etenim nisi illa praeivissent, non ita facile haec nunc accepta fuissent. Noli igitur eorum requirere virtutem quando eorum usus praeterivit; tunc enim tempus id petebat; imo vero, si vis, etiam nunc; nam eorum virtus ostenditur ex eo ipso quo magis accusatur; quod enim haec talia nunc videantur, eorum maxima latus est.

7879 Nisi enim nos pulchre nutrivisset, et ad majora recipienda idoneos reddidisset, non talia viderentur esse. Quemadmodum mamilla, cum suum implevit officium et ad perfectiorem mensam puer mittitur, demum inutilis videtur; parentes vero qui illam prius puero necessariam esse putabant, mille postea illam irrisionibus prosequuntur; multi autem non verbis solum illam traducunt, sed etiam amaris illam oblinunt unguentis, ut si non possint verba importunum hujusmodi pueri affectum removere, res ipsae desiderium avertant. Sic Christus a malo haec esse dixit, non ut ostenderet veterem legem a diabolo prodiisse, sed ut vehementius a veteri vilitate revocaret. Et discipulis quidem haec dicit; sed Judaeis stupidis et in

iisdem perseverantibus, ceu quadam amaritudine, captivitatis metu, urbem circumlinitam inacessam reddidit.

7880 Quia vero ne id quidem potuit ipsos retinere, sed eam rursus videre optabant, quasi pueri ad mamillam accurrentes, demum illam occultavit, illa ipsa diruta, et plerisque eorum procul adductis, quemadmodum plurimi vitulos a vaccis abductos inclusosque tempore assuefaciunt, ut a lactis consuetudine abscedant. Nam si diaboli vetus lex esset, non ab idololatria abduxisset, imo contra in illam conjecisset; id enim volebat diabolus. Nunc autem contrarium prorsus videmus a veteri lege efficit; et ipsum quoque juramentum ideo in veteri statum fuit, ne per idola jurarent. *Jer. 4,2*: Et jurabis: Vivit Dominus in veritate, et judicio, et in justitia.

7881 Non igitur parva quaedam lex effecit, sed magna utique; nam ad solidum cibum accedere, id Servatoris fuit.

- Quid igitur? Annon a malo jurare est?

- A malo est utique, sed nunc post tantam philosophiam; tunc autem minime.

- Et quomodo, inquies, idipsum possit esse nunc bonum, nunc minime bonum?

- Ego autem e contrario dico: Quomodo non sit et bonum et non bonum? Rebus omnibus sic clamantibus: artibus, fructibus, aliisque omnibus? Primum ed videas in natura nostra contingere, Gestari enim in prima aetate bonum est, postea vero perniciosum; praemansis uti cibis, in primo vitae tempore bonum: postea vero perniciosum et noxium.

7882 Viden' quomodo eadem res secundum tempora bonae sint et postea non tales appareant? Nam puerile pallium gestare puero quidem honestum, viro autem turpe. Visne etiam ex contrariis idipsum discere, quomodo quae viro competunt puero apta non sunt? Da puero pallium virile: hinc plurimus sequetur risus, majusque in incedendo periculum; ita saepe huc illuc vertetur; da etiam illi civilia negotia tractanda, vel mercaturam, vel serendi metendique artem, et ridiculum hoc videbitur. Et cur haec dico? Nam caedes, quam inventum esse diaboli in confesso apud omnes est, opportuno tempore facta, interfectorem Phineem sacerdotii honore decoravit. *Num. 25,11 sqq.*

7883 Quod enim caedes sit opus diaboli, audi quomodo dicat ipse, *Jo. 6,41*: Vos facitis opera patris vestri. *v. 44*: Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio. Sed homicida fuit etiam Phinees, et reputatum est ei ad justitiam, inquit, *Ps. 105,31.* Abraham vero non homicida solum sed etiam filii interfector factus, quod pejus erat, sic magis placuit Deo. Petrus vero duplicem caedem fecit, attamen spirituale erat id quod factum est. Ne itaque simpliciter res examinemus, sed etiam tempus et causam, et voluntatem, et personarum differentiam, et illa omnia quae una concurrunt, accurate exploremus; neque enim potest veritas alio attingi modo; studeamusque si velimus regnum assequi su-

pra vetera praecepta aliquid operari, quia non possumus aliter coelestia obtinere; nam si ad mensuram tantum veterum pervenianus, extra limina stabimus: *nisi enim abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Phariseorum non intrabitis in regnum coelorum, Matth. 5,20*.

7884 Bulla Auctorem Fidei: Propositio damnata 75, *Denz. 1575*: doctrina quae perhibet beatis temporibus nascentis Ecclesiae juramenta visa esse a documentis divini Praeceptoris atque ab aurea Evangelica simplicitate adeo aliena ut ipsum et jurare sine extrema et ineluctabili cecessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus; insuper continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse, indeque progreditur ad improbanda juramenta quae curia ecclesiastica, jurisprudentiae feudalis, normam ut ait, secuta, in investituris et in sacris ipsis episcoporum ordinationibus adoptavit; statuitque adeo implorandam a saeculari potestate legem pro abolendis juramentis quae in Curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali: Falsa, Ecclesiae injuriosa, juris ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae et probatae subversiva.

7885 MEDITAZIONE 22.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 5,38-42*: *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, et dentem pro dente. v. 39: Ego autem dico vobis: non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram; v. 40: et si qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium; v. 41: Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia quo; v. 42: Qui petit a te da ei; et volenti mutuari a te ne avertaris.*

7886 *Matth. 5,38: Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo et dentem pro dente, etc.*

Vides eum non de oculo priora dixisse, cum juberet oculum eruere qui nobis offendiculo esset, sed de eo qui per amicitiam nos laederet, et in perniciei barathrum conjiceret? Nam qui tanta hic hyperbole utiltur, neque alterius qui nobis oculum eruisset, oculum eruere permittit, quomodo suum eruere lege sanxisset? Quod si quis veterem redarguat legem quae jubeat se ita ulcisci, is admodum mihi videtur sapientiam quae legislatorem decet ignorare, nec non temporum rationem et indulgentiae utilitatem.

7887 Si cogitaveris enim quinam essent ii qui talia audirent, quomodo affecti,

et quando has leges acceperint, legislatoris sapientiam multum laudabis, videbisque unum et eumdem esse qui haec et illa statuerit, et valde utiliter utraque ac congruenti tempore scripserit. Nam si ab initio haec sic alta et sublimia praecepta intulisset, neque haec neque illa recepissent. Jam vero, cum opportuno tempore utraque statuerit, per utraque totum orbem correxit. Alioquin autem haec jussit, non ut mutuo nobis oculos eruamus, sed ut potius manus nostras contineamus; nam rependendae vicis comminatio, impetum inferendae injuriae coercuit; atque ita sensim multa disseminat philosophiam, quando laesum parem rependere vicem jubet, quamquam majore dignus erat supplicio is a quo iniquitas hujusmodi coepisset exordium: illud enim aequitatis ratio postulabat.

7888 Sed quia benignitatem volebat justitia temperare, eum qui iniquius se gesserat minori quam merebatur damnat supplicio, docens ut in patiendo magnam servemus moderationem. Cum ergo priorem legem protulisset, illamque totam legisset, ostendit postea non fratrem esse qui talia perpetravit, sed malignum; ideoque subjunxit: *Matth. 5,39: Ego autem dico vobis: non resistere malo.*

Non dixit: non resistere fratri, sed: *malo*; ostendens illo instigante talia perpetrari, atque sic magnam irae partem adversus eum qui injuriam intulit conceptam, sedans et succidens, cum causam in alterum transfert.

7889 - Quid igitur? Annon debemus, inquies, resistere malo?

- Debetis, sed non hoc modo: verum ut ipse praecepit, ut scilicet parati simus ad recipiendas injurias; sic enim illum superabis; neque enim igne ignis extinguitur, sed aqua. Ut autem discas etiam in veteri lege eum qui pateretur vicisse, coronatumque fuisse, id diligenter explora, et videbis eum longe anteferri. Nam qui prior manus iniquas intulit, duos ipse oculos eruisse deprehenditur: et proximi et suum; ideoque jure ab omnibus odio habetur, et mille criminationibus impetitur; qui vero laesus est, praeterquam quod pari poena vindicatur, nihil mali intulit, multos habet sui commiseratione dolentes, utpote purus, etiamsi ultio facta fuerit. Calamitas par est in utrisque, gloria vero non par, apud Deum et homines; quapropter neque calamitas deinceps par est.

7890 Principio itaque dixit: Qui irascitur fratri suo sine causa, et qui illum fatuum appellat, reus erit gehennae ignis; hic vero majorem etiam requirit philosphiam, non modo quiescere jubens eum qui talia passus sit, sed etiam cum caedente officio certare, ipsique alteram maxillam praebere: *sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram, ibidem*.

Hoc autem dicit, non pro illo injuriae genere tantum legem ferens, sed ad talem in aliis omnibus tolerantiam nos instituens. Quemadmodum enim cum dicit: Qui dixerit fratri suo: fatue, reus erit gehennae ignis, non de hoc uno verbo hoc dicit, sed de qualibet contumelia, ita hic quoque legem statuit non tantum ut colaphis caesi id fortiter feramus, sed ut quidvis aliud patientes ne turbemur.

7891 Propterea et tibi extrema selegit injuriam, et hic eam; quae probrosa et contumeliosa maxime videbatur: maxillae percussionem. Id vero jussit et percutientis et percussi rationem habens. Nam qui injuria afficitur nihil se grave passum arbitrabitur, sic philosophia munitus; neque enim contumeliae sensum ullum habebit, ut qui certet potius quam percutiatur; qui vero injuriam infert, pudore suffusus non secundum colaphum impinget, etiamsi fera quavis ferocior sit; imo etiam de priore sese damnabit. Nihil enim ita laedentes cohibet, ut cum laesi iniuriam modeste ferunt; neque modo retinet impetum ne ultra procedatur, sed etiam id efficit ut de facto se poeniteat, et alii moderationem admirantes secedant; imo neque solum amicos ex inimicis, sed familiares reddit et servos.

7892 Sicut e converso, ultio sumpta contraria omnia parit, utrumque dedecorat et pejorem efficit; majorem irae flammam excitat, et saepe caede terminatur malum ad ulteriora progressum. Idcirco percussam non modo jubet non irasci, sed etiam percutientis implere cupiditatem praecipit, ut ne videaris priorem plagam invitus accepisse. Sic enim impudentem opportuniore plaga percutere poteris, quam si manu percussisses, et impudentem mansuetiorem efficies.

7893 *Matth. 5,40: Et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.*

Neque enim in plagis tantummodo, sed etiam in pecuniis vult talem tolerantiam exhiberi; ideo rursum simili utitur hyperbole. Sicut enim illic jubet patiendo vincere, ita et hic in concedendo plura quam raptor expectabat. Verum hoc non simpliciter posuit, sed cum additamento; non enim dixit: Da petenti pallium, sed: ei qui vult tecum judicio contendere: hoc [est] si te ad judicium traxerit, ac negotia tibi exhibeat. Quemadmodum vero cum dixisset: Ne voces fatuum, et ne irascaris sine causa, deinceps plura exegit, cum jussit etiam dexteram maxillam praebere, ita et hic, cum dixisset: Esto consentiens adversario tuo cito, rursum gravius praeceptum addit. Non enim modo jubet illa dare quae ille vult auferre, sed majorem etiam liberalitatem exhibere.

7894 - Quid igitur, iinquies, nudusne circuiturus sum?

- Nunquam essemus nudi, si his praeceptis diligenter obtemperaremus: sed multo pluribus quam alii omnes vestibus induti essemus. Primo enim nemo tali animo praeditus invaderet; secundo, si quispiam occurreret ita ferox et unhumanus ut eo usque procederet, multo plures reperirentur qui tantae philosophiae virum non vestibus modo, sed et carne sua, si fieri posset, operirent.

7895 Si autem etiam propter talem philosophiam nudum incedere oporteret, neque id etiam turpe esset; nam et Adam nudus erat in paradiso, nec erubescebat, *Gen. 2,25*. Isaias etiam nudus et discalceatus, Judaeorum omnium splendidissimus erat, *Isai. 20,3*; Joseph vero cum exutus est, tunc maxime claruit, *Gen. 39,12 sqq*. Neque enim malum est ita nudari, sed ita indui, ut nunc nos induimur vestimentis

pretiosis; hoc et turpe et ridiculum est: ideo illos quidem Deus laudavit, hos vero per prophetas et Apostolos saepe incusat.

7896 Ne itaque praecepta impossibilia esse putemus, quae utique et utilia nobis sunt, et valde facilia, si vigilemus; tantumque afferunt lucrum ut non nos solum, sed etiam eos qui nos laedunt maxime juvent. Et hoc est in eis eximium, quod dum suadent nobis ut mala patiamur, eadem opera eos qui nos laedunt docent philosophari. Dum enim ille putat magnum esse aliena auferre, tu vero ostendis ipsi tibi in promptu esse illa etiam dare quae ipse non petit, et pronam alacritatem ejus inopiae, philosophiamque rapacitati opponis, considera quantam ille percipiet doctrinam, non ex verbis sed ex operibus eruditus ad parvipendendam nequitiam et virtutem assequendam. Non enim vult Deus ut nobis tantum utiles simus, sed omnibus proximis.

7897 Si igitur dederis, et non judicio contenderis, quod tibi utile erat tantum quaesivisti; si vero aliud dono addideris, illum meliorem effectum dimittis. Hujusmodi est sal ut vult Dominus discipulos esse, quod et seipsum servat, et alia corpora quibuscum mixtum est, firmat: talis est oculus qui sibi ipsi lucet et aliis. Quia igitur eorum te vice constituit, illumina eum qui in tenebris sedet, *Luc. 1,79*, et doce illum nec primum quidem rapuisse violenter, nec te laesisse omnino. Sic enim et tu venerabilior clariorque eris, si ostendas dedisse te, non raptum amisisse. Fac igitur per mansuetudinem tuam, ut ejus peccatum liberalitas tua sit. Si vero hoc esse magnum putas, expecta, et clare videbis te nondum ad perfectionem venisse.

7898 Non enim hic gradum sistit is qui patientiae leges dedit, sed ulterius procedit, ita dicens: *Matth. 5,41*: *et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.*

Vidistin' philosophiae excellentiam? Post datam tunicam et pallium, si adhuc nudo corpore uti velit adversarius, ad laborem et miseriam ferendam, ne sic quidem illum coërcere oportet, inquit. Omnia enim nos communiter vult possidere: corpora, pecunias, et egenis pariter injuriamque inferentibus illa praebere: hoc enim fortitudinis, illud benignitatis est. Ideo dicebat:

Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo, sublimius te rursum erigens, atque eamdem ipsam liberalitatem ostendere jubens.

7899 Si enim illa quae in principio dicebat, his longe minora, tot beatitudines habeant, cogita quanta sors haec majora operantes expectet, atque etiam quales illi vel ante praemia evadant, in humano et passibili corpore impassibilitatem omnem exhibentes. Cum enim neque calumniis, neque plagis, neque pecuniarum direptione mordeantur, neque ulli rei simili unquam cedant, imo potius aerumnis fortiores evadant, considera qualis anima eorum efficiatur. Propterea, quod in plagis, quod in pecuniis jubet, hoc et in hac re quoque facere praecepit. Quid loquor, in-

quit, de contumeliis, de pecuniis? Si etiam ipso corpore tuo uti velit ad laborem et defatigationem, illudque injuste, rursus vincito, illius prorsus ratione vim inferre: attamen ad hoc etiam paratus esto, ut amplius patiaris quam ille velit exigere.

7900 *Matth. 5,42*: *Qui petit a te, da ei; et volenti mutuari a te, ne avertaris*.

Haec minora illis sunt: sed ne mireris; sic enim solet semper facere, magnis parva miscens. Si vero haec minora sint illis, audiant qui aliena rapiunt, qui meretricibus largiuntur, et duplex sibi parant incendium, et per iniquum auditum et per sumptus perniciosos. Mutuum autem hic, non usurarium illud foenus appellat, sed usum simplicem. Alibi vero idipsum intendi, dicens illis dandum esse a quibus nihil recepturos nos speramus.

7901 MEDITAZIONE 23.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 5,43-48*: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. v. 44: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: et orate pro persequentibus et calumniantibus vos; v. 45: ut sitis filii patris vestri qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. v. 46: Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt. v. 47: Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt? v. 48: Estote ergo perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est.*

7902 *Matth. 5,43*: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. v. 44: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos; v. 45: ut sitis filii patris vestri qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.*

Vide quomodo ultimam bonorum coronidem posuit. Propterea enim docet non modo colaphis caedentes ferre, sed etiam dexteram maxillam praebere; neque tantum tunicae pallium adjicere, sed cum angariante ad unum milliarium, per duo milliaria incedere; ut quod his longe majus erat cum omni facilitate susciperes.

7903 - Et quid, inquies, his majus est? Illum qui haec faciat, non inimicum habere, imo et aliquid aliud majus, non enim ait: Ne odio habeas, sed: dilige.

Diligite. Non dixit: Ne laedas, sed: Benefacere.

Si quis vero haec accurate exploraverit, aliud videbit additamentum his longe majus; non enim solum jussit diligere, sed: Orate pro persequentibus etc., *5,44*. Viden' quos ascenderit gradus, et quomodo nos in ipsum virtutis culmen constitue-

rit. Consideres velim, eos a principio enumerans:

7904 *Primus gradus* est: non injuriam inferre; *secundus*, ubi incepta est injuria, non illam pari vice ulcisci; *tertius*, non inferre in laedentem idipsum quod passus est, sed quiescere; *quartus,* seipsum offerre ad male patiendum; *quintus,* plura illi praebere quam ipse velit qui malum intulit; *sextus,* non odio habere illum qui talia egerit; *septimus,* ipsum etiam diligere; *octavus,* ipsi benefacere; *nonus*, Deum etiam pro ipso praecari. Vidistin' philosophiae culmen?

7905 Ideo etiam splendidum ille praemium habet; quia enim magnum praemium erat, ac strenuo opus habebat animo, magnaque diligentia, mercedem illi constituit talem qualem nulli priorum. Non enim terram hic commemorat, ut cum de mitibus ageret; non consolationem et misericordiam, ut cum de lugentibus et de misericordibus; non de regno coelorum; sed, quod omnium mirabilissimum erat: quod fierent Dei similes, quantum possunt homines ipsi esse similes: *Matth. 5,45: Ut sitis filii patris vestri qui in coelis est*.

Tu vero observes velim ipsum neque hic, neque in superioribus patrem suum vocare, sed illic quidem Deum et regem magnum, cum de juramentis agit; hic vero patrem ipsorum; id vero agit hos loquendi modos in opportunum tempus reservans. Deinde, in progressu similitudinem illam declarat: Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et super injustos.

7906 Etenim illos non modo non odit, inquit, sed etiam beneficio afficit eos qui se injuria afficiunt; quamque nulla sit hac in re aequalitas, non solum propter beneficii magnitudinem, sed etiam propter dignitatis eminentiam. Tu enim a conservo despiceris, ille autem a servo quem sexcentis beneficiis affecit; et tu quidem verba donas, dum pro illo praecaris, ille vero res admodum magnas et admirabiles, solem accendens, et annos imbres suppeditans. Attamen, sic concedo te aequalem esse, quantum potest homo.

Ne itaque odio habeas hominem qui te malo afficit, cum tibi tot bona conciliet, et ad tantum te honorem ducat; ne maledicas ei qui te damno afficit; alioquin et laborem sustinebis, et ejus fructu privaberis; damnum feres, et mercedem perdes: quod extremae est dementiae quod scilicet cum graviora sustinuerimus, minima non feramus.

7907 - Et quomodo, inquies, potest hoc fieri?

- Cum Deum videas hominem factum tantum descendisse, et tanta pro te passum, interrogas adhuc et ámbigis quomodo possumus injurias conservis remittere? Non audis illum in cruce dicentem, *Luc. 23,34*: Dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Non audis Paulum dicentem, *Rom. 8,34*: Qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis? Non vides quomodo post crucem et ascensum, Judaeis qui se interfecerant, miserit Apostolos, qui sexcenta ipsis afferrent bona, idque cum mille ab ipsis passuri essent mala?

7908 At tu laesus admodum es? Et quid tantum passus es, quantum Dominus tuus, vinctus, colaphis caesus, flagellatus, a servis consputus, mortem passus, mortem inquam omnium turpissimam: idque post mille ipsis illata beneficia? Si porro multum laesus sis, ideo maxime beneficia confer, ut tibi splendidiorem nectas coronam, et fratrem a gravissimo morbo liberes; nam et medici, quando ab aegro furente calcibus et injuriis impetuntur, tunc maxime ipsos miserantur, et ad sanitatem ipsis restituendam sese apparant, gnari contumeliam illam a violentia morbi proficisci.

7909 Et tu itaque hanc circa insidiatores teneto sententiam, sicque erga laedentes te geras. Illi namque sunt qui vere morbo laborant, et vim patiuntur omnem. Libera igitur eum a gravi isto damno, et da operam ut iram remittat; a saevo daemone, nempe furore, eripe. Nam cum daemoniacos videmus, lacrymamur, neque studemus ipsi a daemone agitari; hoc igitur erga iratos nunc faciamus, nam iis similes sunt iracundi, imo illis miseriores, qui sensibus integris insaniunt; quamobrem illorum amentia veniam non meretur.

7910 Ne itaque jacentem invadas, imo potius ipsum miserare; nam si quempiam videamus a bile exagitatum et vertigine captum, ac pravum illum humorem evomere festinantem, manum porrigimus, et sic agitatum sustinemus, etiamsi pallium inquinemus non aversamur, sed id solum curamus, ut illum a gravi hujusmodi angustia eruamus. Hoc itaque erga istos etiam agamus, sustentemus vomentes et agitatos, neque prius dimittamus, quam hanc amaritudinem omnem deposuerint; et tunc tibi gratias habebunt maximas, cum quieverint; tunc is clare cognoscet a quanta illum perturbatione erueris.

7911 Et quid dico ab illo tibi gratiam esse referendam? Nam te Deus statim coronabit, et innumeris remunerabit bonis, quia fratrem tuum a gravi morbo liberasti; sed etiam ille te ut dominum honorabit, tuam omnino reveritus moderationem. Annon vides parientes mulieres quomodo vicinas sibi mordeant, et illae tamen non dolent; imo dolent, sed illud fortiter ferunt, et commiseratione ducuntur erga dolentes et a partu dissecatas. Has tu quoque imitare, neque sis ipsis mulieribus mollior; cum enim pepererint mulieres istae (mulieribus quippe sunt illi rixis movendis promptiores) tunc te virum esse cognoscent.

7912 Quod si gravia haec praecepta sunt, cogita ideo venisse Christum, ut haec in animis nostris insereret, ut nos et amicis et inimicis utiles efficeret. Ideo amborum curam gerere jubet: fratrum, cum dicit: Si offers munus tuum, *5,23 sq;* inimicorum, cum lege statuit ut ipsos diligas, et pro ipsis ores. Neque Dei tantum exemplo ad hoc hortatur, verum etiam ex contrario; nam: *Matth. 5,46: si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt?* Hoc et Paulus ait, *Hebr. 12,4*: Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversum peccatum repugnantes.

7913 Si igitur hoc feceris, cum Deo stas; si haec reliqueris, cum publicanis. Viden' quomodo non tanta sit praeceptorum magnitudo, quanta personarum differentia? Ne itaque cogitemus difficile praeceptum esse; sed mercedem in mentem revocemus, consideremusque cui similes efficiamur, si recte nos gesserimus, et quibus exaequemur, si peccemus. Fratrem itaque jubet reconciliari, nec prius abscedere, donec inimicitiam auferamus. Cum autem de omnibus disserit, non ultra nos tali subjicit necessitati, sed nostra tantum requirit, hocque pacto legem facilem efficit; quia enim dixit: Persecuti sunt prophetae qui ante vos erant, *Matth. 5,12,* ne propterea ipsis infensi essent, jubet non modo illos haec agentes tolerare, sed etiam diligere.

7914 Viden' quomodo iram et concupiscentiam, sive corporum, sive pecuniarum, sive gloriae, sive rerum ad praesentem vitam spectantium, auferat? Hoc enim fecit ab initio, multoque magis nunc; nam qui pauper, qui mitis est, qui luget, iram prorsus evacuat; qui justus et misericors, pecuniarum cupiditatem excludit; qui corde mundus, a concupiscentia mala liber est; qui persecutionem patitur et injurias sustinet, etiamsi male audiat, praesentium omnium rerum contemptum obtinet, atque a fastu et vana gloria liberatur.

7915 Auditore igitur ab hisce vinculis soluto, et ad certamina inuncto, rursus alio modo et cum majori diligentia haec vitia evellit. Orsus enim ab ira, hujusque vitii nervis onino succisis, postquam dixit: Qui irascitur fratri suo, et qui fatuum vocat, et qui raca dicit, puniatur, et qui offert donum ne prius accedat ad mensam quam solverit inimicitiam, et qui adversarium habet priusquam judicium videat, amicum sibi eum ex inimico faciat, ad concupiscentiam rursum transit.

7916 - Et quid ait?

- Qui respicit impudicis oculis, ut moechus puniatur; qui offendiculum patitur ab impudica muliere aut a viro, aut ab alio quopiam eorum qui sibi necessitudine juncti sunt, hos omnes penitus abscindat; qui lege connubii uxorem habet nunquam illam repudiet, nec ad aliam aspiciat; per haec enim malae concupiscentiae radices evulsit. Deinde pecuniarum amorem coercet, jubens neque jurare, neque mentiri, neque tunicam retinere qua quis induitur, imo etiam volenti pallium offerre, et corporis sui operam, omni studio pecuniarum amorem auferens.

7917 Post haec autem omnia variam, horumce praeceptorum coronam inducit, dicens: Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ad supremum philosophiae culmen attolens. Quemadmodum enim colaphos pati, majus est quam esse mitem, et pallium cum tunica dimittere praestantius quam misericordem esse, et injurias ferre, quam justum esse, et alapas ferre et ad sequendum cogi, quam pacificum esse, sic persequenti se benedicere perfectius est quam persecutionem pati.

7918 Vides quomodo paulatim nos ad ipsos coelorum fornices attollat?

Quonam igitur digni supplicio sumus, qui ad Deum imitandum studium ponere jussit, ne publicanis quidem pares forte simus? Si enim amicos diligere publicanorum, peccatorum atque ethnicorum sit, quando ne id quidem facimus (non enim facimus quando laude florentibus fratribus invidemus) quas non dabimus poenas, qui Scribas superere jussi, etiam ethnicis inferiores sumus? Quomodo, quaeso, regnum videbimus? Illud enim subindicavit his verbis: *nonne et publicani hoc faciunt? 5,46.*

7919 In quo maxime ejus doctrina est admiranda, quod cum ubique praemia certaminum superabundanter ponat: scilicet Deum videre, regnum coelorum haereditate accipere, filios Dei fieri, si similes esse, misericordiam consequi, consolationem accipere, in, coelis magnam repositam habere mercedem; si quando tristium mentio habenda sit, id parcius facit: gehennae quippe nomen semel tantum in tot sermonibus posuit; et in aliis quibusdam, remissius, hortando magis quam comminando, auditorem corrigit, dicens: Nonne et publicani hoc faciunt? Et: *Si sal infatuatum fuerit*; et: Minimus vocabitur in regno coelorum.

7920 Est etiam cum peccata ponit pro poenis, supplicii pondus auditori subintellingedum proferens, ut cum dicit: Moechatus est eam in corde suo; et qui dimittit facit eam moechari, et: Quod his abundantius est, a malo est; nam mente praeditis, pro supplicii nomine sufficit ad emendationem peccati magnitudo. Quamobrem hic quoque ethnicos et publicanos in medium adducit, ex personae conditione discipulum pudore afficiens; quod et Paulus faciebat dicens, *1 Thess. 4,13*: *Nolite contristari, sicut et ceteri qui spem non habent; et: sicut gentes quae ignorant Deum*, *ibi, v. 5*.

7921 Et ostendens se nihil ita eximium petere, sed paulo amplius solito, ait: *Matth. 5,47*: *Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt?*

Attamen non hic finem dicendi facit, sed in praemia et in bonam spem desinit his verbis: *Matth. 5,48*: *Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est*.

Saepeque coelorum nomen ubique disseminat, a loco etiam sensus illorum erigens; hactenus enim infirmiores crassioresque erant.

7922 Omnia igitur quae dicta sunt mente volventes, magnam etiam erga inimicos caritatem exhibeamus, et ridiculam illam consuetudinem ejiciamus, quam multi ex iis qui minus ratione valent sustinent, expectantes ut qui obviam veniunt se prius salutent; id quod multam beatitudinem continet negligentes, quod autem ridiculum est exigentes.

- Qua ergo de causa non illum prior salutas?
- Quia hoc expectat, inquies.
- Atqui ideo maxime festinare oportebat, ut tu coronam acciperes.

- Non, invies, quia hoc ipsum ille quesivit.

- Et quid hac amentia deterius? Quia enim id ille quaesivit, inquit, ut mercedis mihi fieret occasio, nolo hanc arripere occasionem! At si ille te prior salutet, nihil tibi plus erit si salutem reddas; si vero tu prior properes ad salutandum, fustum ejus intercepisti, et largum ex ejus arrogantia fructum messuisti.

7923 Quomodo igitur non extremae dementiae fuerit, cum ex nudis verbis tantum capere fructum valeamus, lucrum perdere; et cum illum improbemus, in eadem incidere? Si enim illum ideo culpas quod prior aliorum salutationem expectet, cur imitaris ed quod improbas, et quod malum esse dicis, hoc ut bonum aemularis? Viden' nihil stultius esse homine in nequitia vivente? Quamobrem, obsecro, hanc improbam et ridiculam consuetudinem fugiamus; hic quippe morbus mille amicitias evertet, multasque peperit inimicitias; ideo nos praeveniamus alios. Nam qui jubemur ferre ut alapis percutiamur, iter coacti suscipiamus, nudemur ab inimicis, qua venia digni erimus si in simplici salutatione tantam adhibeamus contentionem?

7924 - Despicimur, inquies, et conspuimur, cum hoc ipsi concedimus.

- Et ne despiciat homo Deum offendis? Ne te contemnat conservus furens, Dominum contemnis, qui tanta tibi beneficia contulit? Si enim absurdum est te aequalem contemnere, multo magis absurdum contemnere te Deum qui te fecit. Ad haec consideres velim cum te ille despicit, tunc majorem tibi mercedem conciliare. Propter Deum enim haec pateris, quia leges ejus audisti; hoc autem quo non honore dignum sit? Quibus non diadematibus? Contingat mihi et contumeliis affici et contemni propter Deum, potius quam honorari ab omnibus regibus: nihil enim, nihil utique huic honori par est.

7925

MEDITAZIONE 24.

Preludio 1. *Matth. 6,1-5*: *Attendite ne juistitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in coelis est. v. 2: Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis et in vicis, ut honoricentur a hominibus. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. v. 3: Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, v. 4: ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. v. 5:...*

7926 *Matth. 6,1: Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*.

Omnium maxime tyrannicum jam eliminat animi morbum: rabiem inquam illam et furorem circa vanam gloriam, quae homines etiam probe agentes invadit. A principio quidem nihil de hac re loquutus est, nam superfluum fuisset priusquam

bona opera edere suaderet, docere quomodo illa facienda et adeunda essent. Postquam autem in philosophiam induxit, tunc demum eam quae subrependo ipsam inficere solet, pestem auferre nititur. Neque enim utcumque gignitur hic morbus, sed postquam multa praecepta egregie implevimus.

7927 Oportebat igitur prius virtutem inserere, et tunc illum animi affectum auferre qui ejus fructum labefactat. Ac vide unde exordium sumat: a jejunio, oratione et eleemosyna; in his enim maxime recte factis versari solet. Nam Pharisaeus inde inflatus dicebat, *Luc. 18,12*: Jejunio bis in sabbato, decimas do omnium quae possideo. In ipsa oratione vanam captabat gloriam, et ad ostentationem precabatur. Quia enim nullus alius aderat, publicanum indicabat, dicens: Non sum sicut ceteri hominum, neque sicut hic publicanus.

7928 Et vide quomodo Servator coeperit, ac si de fera immani et astuta ageret, quae non admodum vigilem capere posset; nam ait: *Attendite ne justitiam vestram... 6,1.*

Sic et Paulus Philippensibus dicit, *Philipp. 3,1*: Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. *v. 2*: Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Cum enim ingreditur fera, et omnia sine strepitu inflat, atque omnia quae intra sunt, aufert.

7929 Quia igitur plurimum fecit de eleemosynam sermonem, Deumque in medium adduxit, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et undique ad id cohortatus est, et donorum largitate conspicuos esse suasit, demum omnia tollit, quae huic pulchrae oleae nocere possent. Quapropter ait: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, 6,1*. Nam illa prius memorata Dei est eleemosyna; cum vero dixisset: ne faciatis coram hominibus, subjunxit: Ut videamini ab eis;. Et videtur quidem idipsum jam ante dixisse; si quis vero diligenter attendat, non idipsum est: sed aliud hoc, aliud illud est; multamque adhibet cautionem, ineffabilemque providentiam atque indulgentiam.

7930 Potest enim is qui coram hominibus id facit; non ut videatur id facere, et rursus qui coram id non facit, ut videatur facere; quamobrem non simpliciter rem, sed voluntatem vel punit, vel coronat. Nisi enim ea adhiberetur accuratio, hoc multos ad eleemosynam erogandam segniores reddidisset, quia id non ubique clam fieri potest; ideo ab hac te absolvens necessitate, non fini operis, sed voluntati facientis, et poenam; et mercedem decernit. Ne dicas enim: - Quid interest mea si alius videat?

- Non hoc quaero, inquit, sed mentem tuam et modum faciendae rei. Animam quippe vult efformare, et ab omni morbo liberare.

7931 Postquam igitur edixit ne ad ostentationem fiat, et damnum docuit emergens si temere et inconsiderate fiat, rursus auditorum animos erigit, Patrem commemorans atque coelum, ne damnum tangeret, sed etiam Patris memoria

coërceret. *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in coelis est, 6,1*.

Neque hic gradum sistit, sed ultra procedit, magnamque eis hujus vitii aversionem indit. Quemadmodum enim supra publicanos ethnicosque posuit, ut conditione personarum illos qui haec imitarentur pudore afficeret, ita hic quoque hypocritas memorat.

7932 *Matth. 6,2*: *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis et in viis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam.*

Hoc dicit, non quod illi tubas haberent, sed ut magnam insaniam ostandat; hac metaphora illos deridet et traducit, atque probe hypocritas vocat; larva quippe eleemosyna erat, mens vero immanitatem crudelitatemque meditabatur. Non enim id agebant quod proximos miserarentur, sed ut ipsi gloria fruerentur: quod extremae erat crudelitatis, alio fame pereunte honorem captare, non ejus inopiae consulere. Vera ergo eleemosyna non est largiri tantum, sed ut oportet dare, et propter inopiam dare.

7933 Postquam igitur satis illos traduxit et notavit, ut auditorem pudore afficeret, hjam corrigit mentem hoc morbo laborantem; cumque ostendisset quomodo non fieri deberet, rursus quomodo fieri debeat ostendit.

- Quomodo igitur fieri debet?

Matth. 6,3: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*. Rursus hic non manus subindicat, sed hyperbolice id posuit. Nam; si fieri posset, inquit, ut tu ipse ignorares, illud etiam curandum esset; etiam, si posset fieri, ipsas manus ministrantes latere deberet. Non, ut quidam dicunt, id pravis occultandum hominibus: cunctis enim jussit abscondi.

7934 Deinde cogita quanta sit merces; postquam enim supplicium edixerat, ostendit hinc decerpendum honorem utrinque eos impellens, et ad sublimen agens doctrinam: docet quippe ut sciant ubique Deum esse praesentem, resque nostras non esse praesentis vitae limitibus circumscriptas, sed terribilius hinc nos exceturum esse tribunal, et rationes reddendas fore actuum omnium; hincque vel honores vel supplicia: ac nec parvum nec magnum opus latere posse, licet homines latere videatur. Haec quippe omnia subindicavit dicens: *Matth. 6,4: Ut sit eleemosyna tua in abscondito: et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.*

7935 Magnum et honorabile theatrum ipsi constituens, ubi id quod concupiscit ei abunde admodum dabitur.

- Quid vis, inquiet: annon aliquos habere gestorum spectatores? Ecce habes; non Angelos et Arcangelos tantum, sed et universorum Deum. Si etiam homines habere spectatores concupiscis, ne hoc quidem desiderium fructu vacuum erit tempore opportuno: Imo id tibi cum majori cumulo praestabitur. Nunc enim si te os-

tentaveris, apud decem, vel viginti, vel centum homines tantum ostentare te poteris; sin studeas nunc latere, tunc te Deus praedicabit toto praesente orbe.

7936 Itaque si tantopere velis homines gesta tua videre, absconde nunc illa, ut cum majori honore tuo illa omnes tunc videant, Deo ipsa manifesta reddente, extollente, et apud omnes praedicante. Nunc autem te qui viderint damnabunt ut vanae gloriae cupidum; cum porro te coronatum videbunt, non modo non damnabunt, sed etiam mirabuntur omnes. Cum itaque et merces parata sit, et admirationi futurus sis, si paulum temporis expectes, cogita quantae stultitiae esset utrumque simul amittere, dum et a Deo merces petitur, et Deo vidente homines evocantur gestorum spectatores.

7937 Si enim nos ostentare volumus, Patri ante omnia sese ostendere oportet, maxime vero cum et coronandi et puniendi dominus sit Pater. Certe etiamsi nullum hinc sequeretur damnum, non oporteret gloriae cupidum, hoc relicto theatro, hominum expetere theatrum; quis enim ita miser esset, ut rege festinante ad recte factorum ejus spectaculum accedere, illo relicto pauperum atque mendicorum sibi spectaculum faceret? Ideo non modo praecipit ut nos non ostentemus, sed etiam ut latère studeamus; non enim aequale est non se ostentandi studium habere, et latebras quaerere.

7938 MEDITAZIONE 25.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 6,5-8*: *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum strantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. v. 6: Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. v. 7: Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. v. 8: Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.*

7939 *Matth. 6,5*: *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. v. 6: Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.*

Rursum hos hypocritas vocat, et jure quidem, quia cum se Deum orare simulant, homines circumspiciunt, non supplicum veste induti, sed ridiculorum

hominum. Qui enim ad supplicandum se praeparat, omnibus relictis illum intuetur unum, qui potest postulata facere; quod si illo relicto circumeas errans, et undique circumspiciens, vacuus abscedes: hoc enim voluisti.

7940 Ideo non dixit tales homines mercedem non accepturos esse, sed recepisse: Receperunt mercedem suam; idest recipient quidem, sed a quibus desiderant. Non enim hoc Deus volebat, sed cupiebat ipse suam praebere mercedem; illi vero mercedem ab hominibus quaerentes, non ab illo merentur accipere, propter quem nihil fecerunt. Tu vero mihi consideres velim Dei benignitatem, quando de quibus a nobis rogatur bonis, mercedem se daturum pollicetur. Vituperans igitur illos qui non ut decet hoc officio utuntur, tum a loco, tum ab affectu, cum ostendisset illos admodum ridiculos esse, optimum orationis modum inducit, et rursus mercedem tribuit dicens: intra in cubiculum tuum.

7941 - Quid igitur? inquit; in ecclesia non orandum?

- Sane quidem non orandum, sed cum affectu tali; nam Deus ubique cum sit, gestorum scopum requirit. Alioquin si in cubiculum ingressus sis, januamque claudas, idque ad ostentationem facias, nihil tibi januis opus est. Vide igitur et hic quam accuratam distinctionem posuerit, dicens: Ut videaris ab hominibus. Itaque, etiamsi januas clauseris, id te vult antequam claudas, recte facere: nempe ut etiam mentis tuae januas claudas. Nam vana gloria semper vacuum esse optimum est, maxime vero in oratione; si enim absque hoc vitio mente erramus, et circumferimur, si cum hoc morbo ingrediamur, quandonam ea quae dicimus audiemus? Sin nos qui supplicamus et obsecramus non audimus, quomodo Deum ut audiat rogamus?

7942 Attamen quidam sunt qui post tot tantaque praecepta ita turpiter in oratione se gerunt, ut etiamsi corpore occulti sint, voce omnibus se faciant manifestos, scurriliter clamantes et habitu voceque sese ridiculos exhibentes. Annon vides etiam in foro si quis ita se gerat, et cum clamore supplicet, quomodo illum etiam quem rogat amoveat; si autem quiete et cum decenti habitu, cum maxime inflectat eum qui gratiam conferre potest? Ne itaque habitu corporis neque vocis clamore, sed voluntatis studio orationes emittamus; neque cum strepitu et sonitu, vel ad ostentationem, ne proximos nobis expellamus, sed cum modestia omni, animi contritione, et lacrymis interioribus.

7943 Sed doles animo, nec potes non clamare? Imo maxime dolentis est sic orare et obsecrare ut dixi; nam et Moyses dolebat, sicque orabat et audiebatur: ideoque dixit illi Deus, *Ex. 14,15*: Quid clamas ad me? Anna quoque rursum, cum vox non audiretur, omnia quae voluit impetravit, quia cor ejus clamabat, *1 Reg. 1,113*. Abel vero, non silens modo, sed etiam moriens precabatur, et sanguis ejus tuba clariorem emittebat vocem, *Gen. 4,10*. Ingemisce, igitur, et tu similiter ut ille sanctus: id non impedio; scinde ut propheta jussit, cor tuum et non vestimenta tua,

Joel. 2,13. De profundis invoca Deum; nam ait ille, *Ps. 124*, De profundis clamavi ad te, Domine; ex intimo cordis tui vocem attrahe: fac orationem tuam esse mysterium.

7944 Non vides in aulis regiis tumultum omnem eliminari, et multum undique esse silentium? Et tu itaque, quasi in regiam ingrediens, non terrenam, sed multo terribiliorem, nempe coelestem, magnam exhibe modestiam; nam et cum Angelis choreas agis, et Archangelorum es socius, et cum Seraphim canis. Omnes porro isti coetus magnum exhibent ordinem, cum horrore multo mysticum illud melos, et sacros hymnos canentes regi universorum Deo. His itaque te admisceas in praecando, mysticumque ipsorum ornatum imitare. Neque enim hominibus praecaris, sed Deo ubique praesenti, antequam vocem emittas audienti, qui novit arcana mentis.

7945 Si sic oraveris multam recipies mercedem.

Matth. 6,6: *Et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi*.

Non ait: donabit; sed: *reddet*. Debitorem se quippe tibi constituit, teque magno per hoc etiam honore donavit; quia enim ipse invisibilis est, ideo vult orationem tuam hujusmodi esse. Deinde verba ipsa orationis refert.

Matth. 6,7: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt*; nam cum de eleemosyna loqueretur, vanae gloriae tantum pestem semovit; nihilque amplius adjecit; neque dixit undenam eleemosynam facere oporteret, verbi causa ex justis laboribus; non es rapina, vel ex avaritia illud namque in confesso apud omnes erat; superius autem illud jam expurgaverat cum esurientes justitiam beatos praedicavit.

7946 Circa orationem vero aliquid amplius adjecit: multiloquium esse vitandum; ac quemadmodum ibi hypocritas, ita et hic ethnicos irridet; ubique ex personarum vilitate auditorem pudore afficiens. Quia enim, ut plurimum hoc maxime mordet et angit, cum quid desperatis hominibus comparatur, hinc illos abducit multiloquium hic futilem loquacitatem vocans, ut cum non consentanea Deo petimus, nempe potentiam et gloriam, victoriam de inimicis, divitiarum facultates, demumque ea quae nihil nobis profutura sunt.

7947 *Matth. 6,8*: *Nolite ergo assimilari eis; scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.*

Post haec autem videtur mihi longas orationes vetare: longas non tempore, sed multitudine et longitudine verborum. Perseverandum enim est eadem ipsa petendo, *Rom. 12,12*: Orationi instantes. Et ipse Christus exemplo viduae, quae immisericordem et crudelem principem orationis instantia flexit; exemploque amici illius qui intempesta nocte venit, et dormientem a lecto suscitavit, non ex amicitia, sed ex perseverantia; nihil aliud praescribit, quam omnes ipsi supplicare assidue oportere, non per orationem mille versibus constantem, sed simpliciter rem efferre jubet. Illud enim subindicavit his verbis: *Matth. 6,7*: *Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. v. 8: Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester quid opus*

sit vobis antequam petatis eum.

- Et si novit, inques, quibus opus habemus, cur oportet orare?

- Non ut eum doceas, sed ut inflectas, ut supplicationis frequentia illi familiaris evadas; ut humilieris; ut peccatorum tuorum recorderis.

7948

MEDITAZIONE 26.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 6,9: Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum; v. 10: adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. v. 11: Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.*

Matth. 6,9: Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum. Pater: Vide quomodo statim suditorem erexitn, et omne beneficii genus in proemiis memoravit.

7949 Nam qui Patrem Deum appellavit, et peccatorum remissionem, et filiorum adoptionem, et haereditatem, et fraternitatem cum Unigenito, et Spiritus dona, hac una denominatione confessus est. Neque enim Deum Patrem quis appellare potest, nisi haec omnia bona consequutus. Duplici igitur modo eorum animos erigit: et ex dignitate ejus quem Patrem vocant, et magnitudine eorum quae accepere beneficiorum.

Cum autem dicit: *qui es in coelis*, non ibi Deum hoc dicendo concludit; sed praecantem de terra abducit et in excelsis locis supernisque habitaculis affigit.

7950 Docet autem communem pro fratribus orationem emittere. Non enim dicit: Pater meus qui es in coelis, sed: *Pater noster*; pro communi corpore supplicationes emittens, nec unquam propria commoda spectans, sed ubique proximi. Hoc autem verbo inimicitias de medio tollit, et arrogantiam reprimit, invidiamque eliminat; matrem vero omnium bonorum caritatem inducit humanarumque rerum inaequalitatem expellit, et multam regis cum paupere honoris aequalitatem ostendit; siquidem in maximis et omnino necessariis omnes communione juncti sumus. Quid enim nocumenti ex terrena cognatione, cum secundum supernam omnes conjuncti sumus, et nemo plus altero quippiam habeat: non dives paupere, non herus servo; non princeps subdito, non rex milite, non philosophus barbaro, non sapiens idiota? Omnibus quippe unam largitus est nobilitatem, cum omnium similiter Pater vocari dignatus sit.

7951 Postquam igitur hanc nobilitatem memoravit, necnon supernum donum, honoris inter fratres paritatem atque caritatem, postquam a terris abduxit et coelo affixit, videamus quid deinceps jubeat; nam hoc quoque dictum omnis virtutis doctrinam inserere valet. Nam qui Patrem vocavit Deum, et patrem communem, jure

talem exhibeat vitam qua hac nobilitate indignus non videatur, et par dono studium praestet. Verum hoc non sat illi fuit, serd aliud addit ita loquens: *Sanctificetur nomen tuum, 6,9.*

Digna praecatio ejus qui Deum vocat Patrem, ut nihil petat ante Patris gloriam, sed omnia postponat ejus laudibus.

7952 Illud enim: sanctificetur, hoc sibi vult: glorificetur. Sibi namque propriam habet gloriam plenam, sic semper manentem. Orantem vero jubet praecari ut per vitam nostram glorificetur; quod etiam supra dicebat: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est. Nam Seraphini glorificantes Deum sic dicebant, *Is. 6,3*: Sanctus, sanctus, sanctus. Itaque illud: sanctificetur, id est: glorificetur. Largire nobis, inquit, ut ita pure vivamus, ut per nos te omnes glorificent; id quod rursus philosophiae est perfectae vitam ita irreprehensibilem in omnibus exhibere, ut videntes singuli, Domino pro his laudem referant.

7953 *Matth. 6,10*: *Adveniat regnum tuum*.

Hoc quoque grati probique filii dictum est, qui non haereat rebus sub aspectum cadentibus, neque praesentia magni quidpiam esse putet; sed ad patrem semper tendat et futura expectet; quod ex conscientia bona oritur, et ex anima a terrenis rebus expedita. Hoc enim Paulus singulis diebus desiderabat, ideoque dicebat, *Rom. 8,22*: Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit, usque adhuc, *v. 23*: non solum autem illa, sed et nos ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Qui enim hoc amore captus est, neque hujus vitae bonis inflari potest, neque rebus adversis dejici, sed ac si in coelis versaretur ab utraque hac inaequalitate immunis est.

7954 *Matth. 6,10*: *Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra*.

Vidistin' optimam seriem? Jussit enim futura concupiscere et ad illam peregrinationem festinare; donec autem id eveniat, hic degentes curare, ut par coelesti vivendi genus exhibeamus. Nam coelum quidem, inquit, et coelestia concupiscamus oportet; sed et antequam in coelum concedamus de terra coelum nos facere jubet, et in terra versantes ac si in coelo degeremus, sic omnia facere et dicere, atque hac de causa Dominum precari oportere. Nihil enim impedit quominus etsi in terra habitemus, ad supernarum virtutum sedulitatem ac diligentiam attingamus; sed possumus hic habitantes quasi jam in coelo essemus omnia facere.

7955 Quod igitur dicit, hujusmodi est: Quemadmodum ibi omnia sine impedimento fiunt, (neque Angeli modo audiunt, modo jussa contemnunt; sed in omnibus cedunt et obsequuntur: nam ait Ps. 102,20: Potentes virtute, facientes verbum illius) sic etiam nobis hominibus largire ut non ex dimidio voluntatem tuam faciamus, sed omnia ut vis impleamus. Viden' quomodo modeste agere

doceat, ostendens virtutem non ex nostro studio tantum, sed etiam ex superna gratia pendere? Itemque totius orbis solicitudinem, nos qui oramus singulos gerere praecipit. Neque enim dixit: Fiat voluntas tua in me, aut in nobis; sed ubique terrarum, ut error avellatur, et veritas inseratur, omnisque nequitia eliminetur, virtus revertatur, et in illa colenda nihil deinceps differat coelum a terra. Nam si illud fiat, inquit, nihil superna ab inferioribus discrepabunt, etiamsi natura differant, cum scilicet angelos alios nobis terra exhibebit.

7956 *Matth. 6,11*: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*.

- Quid est panem *epioúsion* (in caratteri greci) idest quotidianum?

- Quia enim dixerat: *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra*, hominesque alloquebatur carne indutos, et necessitati naturae subjectos, qui non possunt eamdem quam Angeli impossibilitatem habere, praecepta quidem nos exequi jubet, perinde atque ea implent et illi; sed infirmitati naturae deinceps sese accomodat, nam diligentiam, inquit, in vitae instituto parem appeto, sed non impassibilitatem; neque enim id permittit naturae tyrannis, opus enim habet necessario cibo.

7957 Tu vero mihi consideres velim etiam in corporalibus et plurimum spiritualitatis inesse; neque enim pro pecuniis, neque pro deliciis, neque pro vestium sumptibus, vel pro alio quopiam simili, sed pro pane tantum jussit orationem emitti, et pro pane quotidiano; ita ut de crastino solliciti non simus. Ideoque addidit panem *epioúsion* (caratteri greci) idest quotidianum. Neque hoc contentus fuit verbo, sed et aliud addidit: Da nobis hodie; ita ut non ulteriori diei crastinae cura nos torqueamus. Cujus enim diei nescis an spatium visurus sis, cur solicitudinem habes? Hoc pluribus in sequentibus praecipit, dicens: Nolite solliciti esse in crastinum, *6,34*.

Vult enim nos semper accinctos et quasi ad volatum expeditos esse, tantum concedentes naturae, quantum necessitas a nobis exigit.

7958

MEDITAZIONE 27.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 6,12-15*: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, v. 13: Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo. Amen. v. 14: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra; v. 15: Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Matth. 6,12: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*.

7959 Vidistin' misericordiae cumulum? Post tot sublata mala, post ineffabilem donorum magnitudinem, rursum peccantes venia dignatur. Quod autem haec oratio fidelibus competat, leges Ecclesiae docent, nec non orationis exordium. Nondum quippe initiatus, non potest Deum vocare patrem. Si itaque fidelibus haec competit oratio, orantque supplices ut peccata sibi dimittantur, hinc palam est neque post lavacrum tolli poenitentiae lucrum. Nisi enim hoc demonstrare vellet, non sane docuisset orare.

7960 Qui vero peccata memorat, jubetque eorum remissionem petere, ac docet quomodo hanc remissionem consequamur, facilemque ad illam parat viam, hic ut palam est, quod noverit et doceat posse nos etiam post lavacrum peccata abluere, hanc supplicationis legem induxit; ita ut dum peccata memorat, nos ad moderate agendum inducat; dum vero jubet aliis remittere, omnem injuriarum memoriam a nobis eliminet; dum autem pro his omnibus se nobis veniam concessurum esse pollicetur, bona nos spe fulciat, ac circa ineffabilem Dei misericordiam nos philosophari doceat.

7961 Hoc autem maxime observandum est: eum, cum in supradictis singulis omnem virtutem commemoret, in hac etiam injuriarum oblivionem complecti: nam sanctificari per nos nomen ejus, ad perfectum et accuratissimum vitae institutum pertinet, et voluntatem ejus fieri, idipsum rursus significat et patrem posse comprehenditur, quod oporteat iram de injuriis conceptam remittere. Attamen his contentus non fuit; sed ostendere volens quantam hac de re gerat solicitudinem, idipsum specialiter repetit, ac post orationem nullum aliud quam istud memorat praeceptum, sic dicens: *Matth. 6,14*: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra*.

7962 Itaque a nobis principium est; et judicium de nobis ferendum in nostra situm est potestate; nam ne vel ex stupidis quispiam possit vel in parva vel in magna re conqueri dum judicatur, te reum calculi ferendi dominum facit, et quemadmodum, inquit, tu de te ipso judicaveris, ego de te judicabo. Si conservo dimiseris, a me parem referes gratiam, quamquam res non paris sit conditionis; tu enim, quod remissione egeas remittis: Deus vero, cum nullo opus habeat; tu conservo: Deus servo; tu sexcentorum reus peccatorum: Deus vero im peccabilis cum sit.

7963 Attamen sic ille misericodiam suam ostendi. Nam cum posset sine hac posita conditione omnia tibi peccata condonare, vult tamen te inde etiam beneficium accipere, mille tibi undique mansuetudinis et humilitatis occasiones ministrans, et quod in te belluinum est eliminans, iram extinguens et undique te membro tuo conglutinans.

7964 Quid ergo dicere possis? An te mali quidpiam a proximo injuste passum esse? Haec quippe sunt peccata; nam si juste, peccatum nullum est; at tu talium vere peccatorum veniam impetraturus accedis, imo et multo majorum, et ante veniam non minimam consequutus es gratiam, edoctus te humanam habere animam, et ad omnem mansuetudinem institutus. Post haec vero magna etiam tibi merces illic recondita erit, quod nulla a te peccatorum rationes postulentur. Quo igitur digni supplicio erimus, si tali accepta potestate salutem nostram prodamus? Quomodo autem in aliis nos exaudiri rogamus, cum nolimus dum penes non est, nobis ipsis parcere?

7965 *Matth. 6,13*: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.*

Hic jam nos vilitatem nostram clare docet, et tumorem reprimit, hortans ne certamina fugiamus, sed ne in ea insiliamus. Ita enim et nobis victoria splendidior erit, et diaboli clades magis ridebitur; cum trahimus enim fortiter standum est; non vocatos autem quiescere oportet, ac tempus certaminum expectare, ut et vanae gloriae expertes et strenuos nos exhibeamus.

7966 Malum autem hic diabolum vocat, hjubens nos cum illo bellum inexpiabile gerere, et ostendens ipsum non natura talem esse; malitia enim non ex natura sed ex voluntate gignitur; ille autem praecipue sic vocatur ob ingentem malitiae magnitudinem, et quia nihil laesus a nobis inexpiabile contra nos bellum gerit; ideo non dixit libera nos a malis, sed a malo; ut nos moneat ne contra proximum amaro animo simus, etiamsi male patiamur ab illis, sed ab illis ipsis ad diabolum transferendam inimicitiam esse, ut pote malorum omnium causam. Inimici itaque commemoratione, ad certamen nos praeparans, et segnitiem omnem a nobis exscindens, rursum fiduciam ingerit, et sensus erigit, regem commemorans sub quo in acie stamus, et ostendens ipsum esse omnium potentissumum.

7967 Deinde, ut jam dixi, ut ostendat se injuriarum recordationem maxime aversari, et odio habere, itemque huic oppositam virtutem maxime omnium acceptam habere post orationem: rursus hoc bonum opus memoravit, et a proposito supplicio et a constituto praemio, auditorem inducens ad obsequendum huic praecepto; nam ait: *Matth. 6,14: Si enim dixeritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra; v. 15: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*.

7968 Ideo rursus coelos et patrem commemorat, ut ex hoc quoque auditorem pudore afficiat, si tanti patris filius cum sit, ferus evadat, et ad coelum vocatus, terram saecularemque sensum habeat. Non enim gratia solum, sed etiam operibus filios Dei esse oportet. Nihil autem sic Deo similem efficit, ut malignis atque laedentibus esse placabilem, quemadmodum et ante docuit, cum diceret ipsum solem suum oriri facere super malos et bonos. Propterea per singula verba

communes jubet facere orationes: Pater noster; fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra; panem nostrum da nobis; dimitte nobis debita nostra; et ne nos inducas in tentationem; libera nos: plurali nos semper numero uti jubens, ut ne vestigium quidem irae adversus proximum retineamus.

7969 Quanto igitur digni supplicio fuerint ii qui post haec omnia, non modo ipsi non remittunt, sed etiam Deum ad vindictam inimicorum invocant, et quasi ex diametro hanc legem transgrediuntur? Et hoc cum ille nihil non faciat et operetur, ut ne mutuis nos dissidiis disjungamus. Quia enim radix bonorum omnium est caritas, ea quae ipsam pessumdant tollit, et undique nos copulare studet. Nullus enim est, nullus certe, sive pater, sive mater, sive amicus, sive quivis alius, qui nos ita dilexerit, ut qui fecit nos Deus; illudque palam omnibus est, et ex beneficiis quae quotidie confert, et ex praeceptis quae constituit.

7970 MEDITAZIONE 28.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 6,16-21*: *Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. v. 17: Tum autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, v. 18: ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito. Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. v. 19: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furantur. v. 20: Thesaurisate autem vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. v. 21: Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.*

7971 *Matth. 6,16*: *Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes; exterminant enim facies suas ut appareant hominibus jejunantes*.

Hic acerbe gemere et ejulare nos convenit, non solum enim hypocritas imitamur, sed etiam superamus illos. Novi, enim, novi certe multos, non modo qui jejunant et sese ostentant, se etiam qui non jejunant et jejunantium personam praesèferunt, peccatoque ipso graviorem excusationem afferunt.

- Hoc facio, inquiunt, ne multis offendiculo sim.

- Quid dicis? Divina lex est quae hoc praecipit, et tu offendiculum memoras? Et si custodias illam offendiculo esse putas, si non custodias secus? Ecquid sit hac purgatione deterius? Annon desines hypocritis esse pejor, duplicemque hypocrisim usurpare ac tantum vitii cacumen excogitare?

7972 Num sine pudore dicti hujus emphasim percipies? Non solum enim, in-

quit, simulant, sed ut illos vehementius pungat: Exterminant enim facies suas; id est corrumpunt, perdunt. Si autem hoc est faciei exterminatio: ad vanam gloriam pallidum sese exhibere, [quid dicendum de mulieribus] quae facies suas pigmentis et fucis corrumpunt, ad perniciem impudicorum juvenum? Illi enim sibi ipsis tantum nocent: hae vero et sibi et iis qui ipsas conspiciunt. Quapropter et hanc et illam pestem omnino fugere par est; non solum enim jussit non sese ostentare, sed etiam id studere ut lateant: quod et ipse antea fecerat.

7973 De eleemosyna porro, non simpliciter ita posui; sed cum dixisset: Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, adjecit: *ut videamini ab eis, Matth. 6,1.* De jejunio autem et oratione nihil simile decrevit.

- Cur illud?

- Quia eleemosyna latere nequit; jejunium autem et oratio occultari potest. Sicut itaque cum dixit: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*, *6,3*, non de manibus loquutus est, sed significat oportere omnes celari; et cum jussit in cubiculum intrare, *6,6,* non illud praesertim praecipit ut ibi precemur, sed idipsum etiam subindicavit; sic et hoc loco, cum jejunantem sese ungere jussit, non omnino praecipit ut nos inungamus; nam omnes hanc transgredi legem deprehenderemur, maximeque ii in primis qui jejunium servare student, Monachorum populi, qui montes occupant.

7974 Non itaque hoc praecipit; verum quia apud veteres mos fuit ut sese ungerent cum in gaudio et laetitia versarentur, quod in Davide, *Ps. 44,8*, et Daniele, *10,3*, clare discitur; ungere se oportere dixit, non ut hoc omnino faciamus, sed ut cum omni studio atque diligentia hoc bnonum servemus. Atque ut discas rem ita se habere, ille ipse qui hoc verbis praeceperat, et de facto execuutus est, cum per quadraginta dies jejunavit, jejunando latuit, neque se unxit, neque sese abluit; et tamen, etiamsi hoc non fecerit, sine vana gloria maxime omnium totum perfecit; quod etiam nobis praecipit, hypocritis in medium adductis, et auditoribus duplici praecepto in contrarium avocatis, aliquid etiam per illud nomen hypocritarum videlicet, subindicavit.

7975 Sicut hypocritae: Neque enim solum quod res esset ridicula, neque quod damnum inferret maximum, sed etiam quod hujusmodi fallacia temporanea exhibeatur, a prava illa concupiscentia abducit. Hypocrita enim tamdiu clarior apparet quamdium theatrum sederit, imo vero neque tunc apud omnes; norunt enim plurimi spectatorum qui cum sint illi qualia simulent; ceterum soluto theatro, manifestissime omnibus revelantur. Hoc igitur gloriae cupidos pati necessarium prorsus est. Imo etiam plurimis palam est non esse illos id quod esse videntur, sed larva solum obtegi; multo magis autem postea capientur, quando omnia nuda et aperta erunt, *cf. Hebr. 4,13*.

7976 Aliunde autem rursum illos ab hypocritis abducit, cum ostendit non

onerosum esse praeceptum; neque enim jejunium extendit, neque longius fieri jubet, sed ne ejus corona pereat insistit. Itaque quod solum onerosum videtur, et nobis et hypocritis commune est; nam et illi jejunant; quod autem est levissimum, ipsisque proprium, ne scilicet laborantes corona priventur, illud est, inquit, quod jubeo. Laboribus nihil addens, mercedesque vobis colligens cum tutissima cautela, nec sinens incoronatos abire, sicut illi abeunt qui nolunt eos qui in olympicis ludis decertant imitari, qui tanto populo, tot principibus sedentibus, uni volunt placere qui coronam ipisis tribuat, licet longe sit inferior.

7977 Tu vero, cum duas habeas victoriae ipsi monstrandae causas, tum quod ille praemia distribuat, tum quod spectantes omnes sine ulla comparatione superet, aliis te ostentas, qui non modo nihil tibi prodesse possunt, sed quii te maxime laedunt. Attamen, inquit, ne hoc quoque impedio; nam si in hominibus te ostendere velis, expecta; nam hoc ego tibi abundantius praestabo, et cum magno lucro. Nunc enim te hoc ab ea quae apud me est gloria divellit, sicut id despicere te mecum copulat.

7978 Tunc vero omnibus frueris cum libertate omni, nec parvum ante fructum hic excepturus es, quod nempe omnem humanam gloriam conculces, et a gravi illa hominum servitute liberaris, verae virtutis esercitio praestans; nunc contra, si illo affectus sis modo, et si in deserto sis, omni vacuus virtute eris, non habens spectatores; quod certe est virtuti magnam inferre contumeliam, si non propter ipsam, sed propter funarios, aerarios, aliudque forense vulgus illam adeas, ut et improbi et qui ab illa longe distant te admirentur; inimicosque ejus vocas ad ostentationem et spectaculum, ac si quis pudice agere velit, non propter ipsum pudicitiae bonum, sed ut placeat impudicis.

7979 Et tu ergo virtutem non elegisses nisi ob virtutis inimicos, cum oporteret eam; vel inde mirari quod inimicos suos etiam laudatores habeat; admirari ergo illam oportet, ut par est, non propter ipsam; quandoquidem nos etiam quando non propter nos ipsos sed propter alios amamur, contumeliam id esse putamus. Hoc ipsum itaque de virtute etiam reputa, neque propter alios illam sequare, neque propter homines Deo obsequaris, sed propter Deum hominibus; si vero contrarium facias, licet virtutem adire videaris, perinde illum in iram concitasti, ac si quis illam non adiret. Quemadmodum enim ille eo quod non faceret inobsequens fuit, sic et tu eo uod non rite facias.

7980 *Matth. 6,19*: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur.*

Quia enim vanae gloriae morbum expulit, opportune jam de divitiarum contemptu sermonem inducit; nihil enim ita ad divitiarum amorem concitat, ut vanae gloriae cupiditas; ideo namque servorum greges, eunucorum agmina, equos aureo ornatu insignes, argenteas mensas, aliaquie magis ridenda excogitant

homines; non ut necesitatem expleant, neque ut volumtate fruantur; sed ut plurimis sese ostentent. Superius igitur tantum dixit misericordem esse oportere; hic vero docet quantum misereri oporteat his verbis:

7981 *Nolite thesaurizare*, *6,19.*

Quia non enim ita facile erat initio divitiarum contemptus doctrinam inducere, propter vim morbi, postquam paulatim id vitii resecuerat, et ad libertatem homines revocaverat, id in mentem auditorum immittit, ut jam facilius accipiant. Propterea primo dixit, *1,7*: Beati misericordes; (deinde): Esto consentiens adversario tuo, *5,25*, si quis voluerit tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, da ei et pallium, *5,40;* hic vero illis omnibus majus quidpiam effert. Illic enim dixit: Si litem intentari videas, hoc fac: melius est enim non retinere et a lite liberari, quam retinere et litigare; hic vero nec adversarium, nec lite contendentem ponens, neque alium quempiam similem memorans, divitiarum contemptum dumtaxat docet, ostendens se non tam propter eos qui ex aliorum misericordia allevantur, quam propter eos qui largiuntur has leges ferre: ut etiamsi nemo injuriam inferat, nemo ad judicium trahat, quae adsunt bona contemnamus, egenisque tradamus.

7982 Neque hic totum confertim posuit, sed paulatim. Etsi vero in deserto certamina has circa res cum vi magna exhibuisset, *Matth. 4,8 sqq*. attamen id non affert neque in medium adducit; nondum enim tempus erat haec revelare; sed ratiocinia quaedam excutit, consulentis potius, quam legislatoris munus obiens. Cum dixisset enim: *Nolite thesaurizare in terra*, *6,19,* (subjunxit): ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi, fures effodiunt et furantur; nunc ostendit terreni thesauri noxam et coelestis utilitatem, tunc a loco, tum ab ipsa rerum excellentia.

7983 Neque hic gradum sistit, sed aliud inducit ratiocinium; et quidem primo, ab illis quae maxime timent exhortans illos:

- Quid, inquit, times? Ne insumantur pecuniae si dederis eleemosynam? Da ergo eleemosynam, et tunc non absumentur; quodque majus est, non modo non absumentur, sed etiam additamentum majus accipient: etenim bona coelestia adjicientur. Verum id adhuc non dicit, sed sub haec adjicit; nempe thesaurum intactum servari, et utrinque illos attrahit. Non enim dicit tantum: si eleemosynam erogaveris ea servatur; sed contrarium comminatur: si non dederis perit tibi.

7984 Et vide ineffabilem prudentiam: non dixit: aliis illa dimittes; quia saepe illud hominibus suave est; attament illos aliunde terret, ostendens divitias ne illius quidem qui possidet esse; licet enim homines iis non noceant, erunt tamen omnino qui noceant: tinea scilicet, et aerugo. Quamvis enim vitari facile posse videatur haec pernicies, attament inexpugnabilis est, nec impediri potest; et quamtumvis cogites, non poteris hoc arcere damnum.

- Quid igitur? Aurumne a tinea corrumpitur?

- Si non a tinea, a furibus certe asportatur.

- Quid ergo? An omnes spoliati a furibus sunt?

- Si non omnes, at plurimi; ideoque aliud de quo jam dixi inducit ratiocinium dicens:

7985 *Matth. 6,21*: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi et cor tuum*.

Etiamsi nihil horum accidat, inquit, non parum accipies nocumenti, si terrenis affixus sis, et ex libero servus effectus, et si ex coelestibus excidas, nihilque ex sublimibus possis eo cogitare, sed pecunias semper, usuras, foenora, lucra, cauponarias illiberales, quo quid miserabilius fuerit? Etenim qui hujusmodi est, in graviorerm cadit servitutem quam servus quilibet; quodque funestius est, prodit hominis nobilitatem atque libertatem; nam quantacumque tibi dicantur, si mens pecuniis affixa fuerit, nihil tibi profuturum audire poteris, sed quemadmodum canis in fossa ligatus, pecuniarum tyrannide gravius quam catena quapiam constrictus, contra adeuntes te omnes oblatrabis, hoc unum perpetuo exequens, ut deposita conserves aliis: quo quid unquam miserius fuerit?

7986 Attamen quia hoc sublimius erat, quam ut posset auditorum mens attingere, neque inde ortum damnum, a multis facile poterat intelligi, neque lucrum ex contemptu ortum percipi, sed philosophia opus erat ut hoc utrumque perspici posset, hoc post illa manifestiora posuit, dicens: Ubi enim est thesaurus tuus, ibi et cor tuum.

MEDITAZIONE 29.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 6,22*: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; v. 23: Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebrae sunt: ipsae tenebrae quantae erunt?*

7987 *Matth. 6,21*: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*.

Illud etiam postea clarius efficit, a spiritualibus ad sensibilia sermonem traducens his verbis: *Matth. 6,22*: *Lucerna corporis tui est oculus tuus*.

Quod autem dicit, hujusmodi est: Ne defodias aurum in terra, nec quidpiam simile, nam tineae, aerugini et furibus haec congregas; etiamsi vero haec damna effugeris, id tamen non effugies, quod cor tuum in servitutem redigatur et terrenis infigatur: Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

7988 Si porro in coelo deponas, non hunc modo fructum percipis quod praemia his parata consequaris, verum hic jam mercedem accipis, quod illo translatus sis,

quod coelestia sapias, et de illis solicitus sis. Palam enim est te illo animum transtulisse ubi thesaurum deposuisti. Ceterum si in terra deposueris, contraria experieris. Quod si tibi jam dicta obscura sint, audi sequentia:

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si vero oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt?

7989 Ad magis sensilia sermonem deducit; quia enim de mente jam loquutus erat, ut in servitutem redacta et captiva (id quod a multis non facile poterat intelligi) ad externa et oculis subjecta sermonem transfert, ut ab his illa intelligere possent. Nam si non nosti, inquit, quid si mentis damnum, a corporeis hoc edisce; quod enim oculus est corpori, hoc mens est animae. Quemadmodum enim nunquam optes auro ornari, et sericis indui vestibus, simulque excaecari oculis, sed horum incolumitatem toti hujusmodi apparatui anteponendum existimes, nam si visum perdas nihil tibi reliqua vita prodest; sicut enim excaecatis oculis reliquorum fere membrorum operatio abscedit, extincta luce, sic corrupta semel mente, innumeris vita malis replebitur.

7990 Quemadmodum ergo in corpore hoc curamus, ut oculus sit sanus, sic de mentis sanitate curandum. Si hanc excaecemus quae aliis lucem ministrare debet, unde jam aspicere poterimus? Sicut enim qui fontem aufert fluvium exsiccat, sic qui mentem obruit omnes ejus in hac vita operationes obscuravit. Ideo ait: Si lumen quod in te est tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt? Nam cum gubernator submergitur, et lucerna extinguitur, et dux capitur, quae spes postea subditis?

7991 Quapropter missis insidiis per divitias structis, pugnis, litibus, (haec enim superius subindicavit) tradet te adversarius judici, et judex ministro, *5,25*, his omnibus saeviora proferens, sic abducit a mala concupiscentiam; etenim longe deterius est mentem huic morbo subjici, quam in carcere degere; et alterum quidem non semper accidit; alterum vero est semper cum pecuniarum cupiditate conjunctum. Quamobrem, hoc post illud ponit, ut pote gravius, et omnino subsequens; nam Deus, inquit, mentem nobis indidit, ut ignorantiam dissipemus, et rerum judicium rectum teneamus; atque contra, omnia molesta noxiaque, hoc quasi telo et lumine utentes, in tuto maneamus.

7992 Nos vero donum hoc prodimus ob quaedam supervacanea et inutilia; quid enim opus militibus auro onustis, quando dux captivus est? Quid plus habeas corpore recte constituto, si oculi sint excaecati? Quemadmodum igitur medicum quem bene valere oportet, ut aliorum curet morbos, si quis in morbum conjiciat et in argenteo lecto aureoque thalamo jacere jubeat, prorsus inutilem aegris reddit, sic si postquam mentem corruperis quae animi morbis mederi possit, thesauro assidere

eam curaveris, non modo nihil illam juvasti, sed damno affecisti, et toti animae tuae nocuisti.

7993 Vidistin' quomodo per quae homines ad nequitiam ubique cupiditate feruntur, per haec maxime ab illa abstrahat, et ad virtutem reducat? Cur, inquit, pecunias concupiscis? Nonne ut voluptate deliciisque fruaris? Id certe tibi non inde proveniet, sed contrarium prorsus; quemadmodum enim oculis avulsis nihil suave sensu percipimus ob hujusmodi calamitatem, multo magis in mentis eversione et caecitate haec patiemur.

- Qua de causa defodis in terram?

- Ut tuto servetur.

- Verum hic etiam contrarium accidet, inquit. Sicut enim eum qui propter vanam gloriam jejunat, dat eleemosynam et precatur, ab iis ipsis quae maxime cupit, a vana gloria retraxit; nam, cur, inquit, ita precaris et das eleemosynam? Annon quia hominum gloriam diligit? Noli ergo sic orare, et tunc illam consequeris, in futuro nempe die.

7994 Sic et pecuniae cupidum, per ea quibus maxime studebat, per eadem et gloria et voluptate fruaris? Haec ambo tibi copiosissime praebeo, si illic deponas aurum ubi jubebo. Apertius autem in sequentibus, damnum inde menti illatum ostendit, cum spinarum mentionem fecit, *Matth. 13,22;* interim vero idipsum hic non perfunctorie subindicavit, cum ostendit obtenebratum esse eum qui circa ad haec fureret. Ac quemadmodum ii qui in tenebris sunt nihil clare vident, sed si funem viderint, putant esse serpentem; si montes et valles pavore moriuntur, sic et isti quae videntibus formidabilia non sunt, suspecta habent.

7995 Nam paupertatem metuunt, imo non paupertatem tantum, sed vel leve quodpiam detrimentum; etenim si modicum quid amiserint, magis lugent ac cruciantur, quam ii qui necessario cibo egent. Multi certe ex hujusmodi divitibus tale non ferentes infortunium ad laqueum accurrerunt. Contumeliae autem et damna ita illis intolerabilia videntur, ut ea de causa multi ex hac vita abrepti fuerint. Ad omnia quippe molles divitiae reddiderunt, praeterquam ad illarum ministerium. Quando enim illae ipsos ut sibi serviant compellunt, tunc illi audacter pericula mortis adeunt, verbera, oppropria, omneque ignominiae genus.

7996 Quod sane extremae genus est miseriae, ubi philosophari oporteret mollissimos esse, ubi autem pios et verecundos esse par esset, ibi impudentissimos et saevissimos exhiberi; etenim idipsum illis contingit, ut si quis post bona indecenter absumpta, male patiatur; ille namque instante tempore quo necessaria est expensa, cum nihil possit ultra impendere, intolerabilia patitur mala, cum jam omnia male absumpta fuerint.

7997 # MEDITAZIONE 30.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 6,24-26: Nemo potest duobus dominis servire, aut enim unum odio habebit et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonae. v. 25: Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam ventimentum? v. 26: Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metuunt, neque congregant in horrea, et Pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?*

7998 *Matth. 6,24*: *Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit et alterum diliget, aut unum sustinebit, et alterum contemnet.*

Vides ut paulatim a praesentibus rebus abducat, ac pluribus de contemptu divitiarum sermonem instituat, et tyrannidem cupiditatis dejiciat? Neque enim contentus iis quae superius dixit, etiamsi multa et praeclara illa sint, alia adjicit plura et terribiliora; quid enim iis quae nunc dicuntur terribilius, si propter pecunias a Christi servitute excidere debeamus? Quid desiderabilius si iis contemptis, strictam erga eum benevolentiam et caritatem habituri simus? Quod enim semper dico, hoc et nunc dicam: ipsum per utraque auditorem acuere ad obsequendum dictis: et per utilia et per noxia; quemadmodum optimus medicus et morbum ex negligentia, et sanitatem ex obedientia commonstrans.

7999 Vide igitur quantum hic lucrum rursum ostendat, et quomodo utilia paret dum contraria tollit; neque enim, inquit, divitiae ideo tantum nocent vobis quod fures contra vos armis instruant, neque quod mentem omnino tenebris offundant; sed etiam quod ex servitute Dei vos dejiciant, inanimatis pecuniis vos captivos trahentes, et utrinque nocentes, et quod servos efficiant eorum quibus imperare deberemus, et quod vos a servitute Dei dejiciant, cui maxime servire necesse vobis est. Quemadmodum enim illic etiam duplex esse nocumentum ostendit, et quod ibi deponantur ubi aerugo corrodit, et quod ibi non deponantur ubi tuta custodia, sic et hoc loco duplicem noxam ostendit: et quod a Deo abstrahant, et quod mammonae subjiciant.

8000 Sed non statim id ponit, sed id prius ex communibus parat ratiociniis, sic dicens: *Nemo potest duobus dominis servire, Matth. 6,24*: duos hic dicens qui contraria praecipiant; nam si id non esset, non duo forent. Nam multitudinis credentium erat cor unum et anima una, Act. 4,32; licet enim essent in plura corpora divisi, attamen concordia plurimos unum efficiebat. Deinde illa cumulans, dicit, non modo non serviet, sed etiam odio habebit et aversabitur: *aut enim unum odio habe-*

bit et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterum contemnet, ibi.

8001 Ac videtur quidem bis idipsum dixisse; sed non sine causa rem concinnavit, sed ut ostenderet facilem esse mutationem in melius. Ne diceres enim: Semel servus factus sum, divitiarum tyrannide oppressus, ostendit posse in aliam converti partem; et sicut ex ista in illam, sic ex illa in istam venire. Cum ergo hoc indefinite dixisset, quo auditori suaderet ut aequum se dictorum judicem gereret, et ex ipsa rerum natura calculum ferret, postquam illum sibi consentientem habuit, tunc seipsum revelat; subjunxit enim: *Non potestis Deo servire et mammonae, 6,24.*

Exhorrescamus cogitantes quid Christum dicere coëgimus, ita ut cum Deo aurum poneret. Quod si illud horribile, longe horribilius est hoc reipsa fieri, et Dei timori auri tyrannidem anteferri.

8002 - Quid igitur? Annon apud veteres idipsum fieri potuit?

- Minime. Quomodo ergo Abraham, quomodo Job virtute claruere? Ne mihi dives memores, sed divitiis servientes. Nam Job dives quidem erat, sed non serviebat mammonae; divitias habebat et tenebat, ac dominus, non servus erat; etenim sicut alienarum pecuniarum dispensator, sic illa omnia possidebat; non modo aliena non rapiens, sed etiam sua egentibus largiens; quodque majus est, nec de praesentibus gaudebat, ut ille declarat dicens, *Job. 31,25*: Si laetatus sum super multis divitiis meis; ideoque illis amissis non doluit.

8003 At non tales hodie divites sunt, sed captivis quibuslibet deterius affecti, mammonae quasi tyranno cuidam acerbo tributa pendentes; nam quasi arcem quamdam ipsorum animum amor pecuniarum invasit, et mandata omni plena iniquitate inde ipsis mittit quotidie; nemoque est qui ipsi non obtemperet. Ne itaque in vanum philosopheris; nam semel Deus sententiam tulit, dixitque non posse hanc et illam virtutem una concurrere. Ne dicas ergo tu posse concurrere. Cum enim ille rapere, hic sese expoliare jubeat; hic castum esse, ille fornicari, hic inebriari et mensae deliciis frui, ille ventrem moderari, hic despicere praesentia, ille his haerere, ille ipse marmora mirari et ornatos parietes atque laquearia, hic illa despicere et philosophiam colere, quomodo possunt haec convenire?

8004 Hic porro dominum mammonam vocavit, non quod natura talis sit, sed dignitate dominantis, sed a servientium miseria, quod omni supplicio pejus est, et ante supplicium potest captivum ulcisci. Quibus enim damnatis miseriores non fuerint, ii qui Deum Dominum habentes, a tam mansueto illo regno, ad gravissimam se tyrannidem transferunt subigendi, cum tantum hinc detrimentum etiam in terra accipiant? Nam hinc damnum ingens, lites, molestiae, concertationes, labores, animae coecitas; et quod omnium gravissimum est, illa mammonae servitus a supernis bonis nos dejicit.

8005 Cum igitur ex iis omnibus ostendisset quanta utilitas ex pecuniarum contemptu proveniret, et ad ipsam pecuniarum custodiam, et ad animae voluptatem, et

ad philosophiae possessionem, et ad pietatis tutelam, demum probat ipsam rem de qua admonet posse fieri. Haec enim legis ferendae optima ratio est, non modo utilia praecipere, sed etiam possibilia reddere. Ideoque sic pergit: *Matth. 6,25*: *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Ne enim dicerent:

- Quid ergo? Si omnia projiciamus, quomodo vivere poterimus? Huic objectioni opportune occurrit. Sicut enim si a principio dixisset: Nolite solliciti esse, molestus sermo visus est, sic postquam ostendit perniciem ex amore pecuniae partam, captu facilem postea hortationem adhibet.

8006 Ideoque non modo dixit: Ne solliciti sitis; sed addita causa sic praecptum extulit. Cum enim dixisset: Non potestis Deo servire et mammonae, subjunxit: Ideo dico vobis, ne solliciti sitis. Ideo:

- Quare?

- Propter ingens damnum; neque enim in pecuniis tantum noxa est, sed etiam in praecipuis plaga infigitur, etiam ex salutis amissione. Nam vos a Deo creatore, procuratore, amatore dejiciunt. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis. Quoniam enim ingens nocumentum ostendit, praeceptum extendit; non modo enim bona ejicere jubet, sed etiam de necessario cibo sollicitos esse vetat, dicens: *Ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis, 6,25*.

Non quod anima cibo egeat: incorporea enim est. Sed communi loquenti more usus est: etiamsi enim cibo non egeat, non potest in corpore manere nisi ipsum nutriatur.

8007 Postquam hoc dixit, non simpliciter loquitur, sed hic etiam utitur ratiociniis, quorum alia ex iis quae apud nos sunt, alia ex aliis exemplis sumuntur. Ex iis quae apud nos sunt, sic ait: *Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? ibi*.

Qui igitur id quod majus est dedit, quomodo quod minus est non dabit? Qui carnem quae alitur efformavit, quomodo ipsi escam non praebebit? Ideo non simpliciter dixit: *Ne solliciti sitis... quid manducetis, neque... quid induamini*, sed addit: *animae vestrae... corpori vestro*; quia ex ipsis erat exempla sumpturus, per comparationem procedens.

8008 Sed animam quidem semel dedit, et manet illa ut data est; corpus vero dat quotidie; quod utrumque ut ostendit, et illius immortalitatem hujusque fluxam naturam declaravit, haec subjungit

Matth. 6,27: *Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?*

De anima tacens quae incrementa non caperet, de corpore tantum disseruit; ex quo illud ostendit, nempe non cibo illud augeri, sed divina providentia; quod etiam per alia Paulus demonstrans dicebat, *1 Cor. 3,7*: Itaque neque qui plantat est

aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Ab iis igitur quae in nobis sunt ita cohortatus est, ab aliis vero exemplis:

8009 *Matth. 6,26*: *Respicite volatilia coeli*, (inquit).

Ne quis diceret utile nobis esse si soliciti simus, et a majori et a minori ipsos dehortatur; a majori, nempe ab anima et corpore; a minori, nempe ab avibus. Si enim etiam de longe inferioribus tantam gerit curam, quomodo vobis non idipsum praestabit? inquit. Et haec quidem illis; erat quippe turba populi; diabolo autem non sic respondit.

- Sed quomodo?

- *Matth. 4,4*: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Hic autem volatilia memorat, sed modo ad cohortandum optimo, qui in admonitione maximam vim habeat.

8010 Sed in tantum insipientiae quidam impii venerant, ut exemplum reprehenderent; neque enim oportuit, inquiebant, eum qui voluntates excitavit ex naturalium rerum exemplis id agere, quippe quae id habeant ex natura; quid igitur ad haec dicamus? Etiamsi id ex natura insit illis, posse id etiam nobis ex studio voluntatis accedere. Non enim dixit: Respicite volatilia quomodo volant, quod non potest homo; sed quod sine sollicitudine alantur; quod nobis etiam licet, si volumus. Idque comprobarunt ii qui id opere exhibuerunt. Quapropter, summe admiranda est legislatoris prudentia, qui cum ex hominibus proferre posset exemplum, et in medium adducere Heliam, Moysem, Joannem, aliosque similes qui de cibo non soliciti fuerant, ut illos magis perstringeret, irrationabilia animalia memoravit.

8011 Si enim justos illos allegasset, dicere potuissent, nondum ad illorum virtutem pertigimus; nunc autem cum illos tacuit, et volatilia coeli induxit, omnem illis occasionem succidit, hac in re veterem legem imitatus. Nam vetus testamentum ad apem mittit, *Eccli11,3*, ad formicam, *Prov. 6,6,* ad turturem, ad hirundinem, *Jer. 8,7*; nec parvum hoc est homini honoris argumentum, quando quae illa ex natura habent, nos possumus ex voluntatis arbitrio nancisci. Si igitur illorum quae propter nos creata sunt tantam gerit providentiam, quanto magis nostrum? Si servorum, quanto magis herorum?

8012 Ideo dicebat: Respicite volatilia; nec addidit, quod non cauponentur, vel negotientur; haec quippe admodum reprobata erant; sed quod non serant, neque metant.

- Quid igitur? Inquies: annon serendum erit?

- Non dixit non esse serendum, sed non solicitum esse oportere. Neque dixit non operandum, sed non pusillanimum esse; neque sese solicitudinibus macerare. Nam alimenta sumere praecipit, sed absque solicitudine.

8013 Hunc porro sermonem jam praemittit David, sic aenigmatice loquens, *Ps.*

144,17: Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Et *Ps. 146,10*: Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.

- Et quinam sunt, inquies, qui non soliciti fuerunt?

- Non audisti quot viros protulerim? Annon cum illis jam memoratis, vidisti Jacobum nudum ex paterna domo profectum? Non audis eum precantem ac dicentem, *Gen. 28,20*: Si...

8014

MEDITAZIONE 31.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 6,28-32: Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant neque nent. v. 29: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. v. 30: Si autem foenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicae fidei? v. 31: Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? v. 32: Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.*

8015 *Matth. 6,28*: *Et de vestimento, quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant neque nent. v. 29: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.*

Postquam de necessario cibo dixit, et ostendit non oportere de illo sollicitos esse, ad leviora transit; neque enim ita necessaria vestis est ut alimentum.

- Cur itaque hic non eodem utitur exemplo volucrum, neque affert nobis pavonem, aut cycnum, aut ovem? Nam plurima hinc exempla mutuari licebat.

- Quia utrinque rei magnitudinem vult ostendere, tum a vilitate eorum quae tanto decore fulgent, tum ab excellentia ornatus liliis tributi; ideo postquam hanc descriptionem concinnavit, non amplius lilia vocat ipsa, sed

8016 *Matth. 6,30*: *Si autem foenum agri*; neque hoc contentus nomine est, sed aliam adjicit vilitatem dicens: *quod hodie est, ibi*; neque addit: cras non est, sed quod longe vilius: *et cras in clibanum mittitur*, *ibi*. Neque simpliciter dixit: Deus... vestit, sed: sic vestit; vides ubnique multos ad ulteriora et majora progressus. Id porro agit ut illos perstringat, ideoque subjunxit: *quanto magis vos, ibi*; illud quippe magnam enphasim continet; nam: vos, nihil aliud subindicat quam ipsum genus humanum magno honore, magna cura dignatum fuisse; ac si diceret: Vos quibus animam dedit, quibus corpus efformavit, ad quorum usum visibilia omnia creavit, propter quos prophetas misit et legem dedit, innumeraque bona contulit, propter quos unigenitum filium tradidit, et millia per ipsum munera largitus est.

8017 Et postquam haec clare ostenderat, tunc illos increpat dicens: *modicae fi-*

dei. Talis quippe est qui consilia sua offert postquam rem clare demonstravit; non modo hortatur, sed etiam pungit, ut magis ad parendum dictis excitet. His autem nos docet non modo ut ne soliciti simus, sed ut ne admiratione capiamur cum magnifica vestimenta conspicimus; nam hic decor florum est, herbarumque pulchritudo, imo preciosius foenum est hoc vestimento. Quid igitur magnum sapis de re in qua ab herba longe superaris?

8018 Et vide quomodo a principio praeceptum leve facileque esse ostendat, dum illos rursum a contrariis et ab iis quae maxime timent deducit. Cum enim dixisset: Considerate lilia agri, subjunxit: non laborant, *6,28;* itaque nos a laboribus eripere volens hoc praecepit. Non ergo labor est has res non curare, sed curare et solicitum esse. Ac quemadmodum cum dixit: non serunt, non opus sustulit, sed curam nimiam, sic cum ait: Non laborant nerque nent, non opus sustulit, sed solicitudinem. Si autem Salomon illorum decore superatus est, neque semel aut bis, sed per totum regni sui tempus; neque enim potest quis dicere ipsum nunc sic, nunc alio modo indutum fuisse, sed neque uno die tanto decore fulsit; id enim indicavit dicens:

Dico autem vobis quoniam nec Salomon *in omni gloria sua* coopertus est. Neque uni tantum flori cessit, alterum vero imitatus est, sed omnibus simul cessit; quapropter dixit: *sicut unum ex istis*. Quantum enim distat veritas a mendacio tantum est inter vestimenta illa et hos flores intervallum.

8019 Si ergo ille se victum confessus est, omnium qui unquam fuere regum splendidissimus, quandonam tu vincere poteris, aut ad illum decorem vel tantillum accedere? Hinc nos instituit ut ne hujusmodi decorem unquam ambiamus; ide ergo finem ejus post victoriam: In clibanum mittitur. Quod si erga istaec, et ad nullius momenti usum Deus tantam exhibet providentiam, quomodo te negliget, omnium maxime necessarium animal?

- Quare ergo tam pulchra fecit illa?

- Ut suam ostenderet sapientiam, et vim potentiae suae, quo undique ejus gloriam ediscamus. Neque enim coeli tantum enarrant gloriam Dei, *Ps. 18,2,* sed etiam terra. Idque significans, David dicebat, *Ps. 148,9*: Laudate eum ligna fructifera et omnes cedri.

8020 Alia enim per fructum, alia per magnitudinem, alia per pulchritudinem Creatori laudem emittunt; magnae quippe illud sapientiae est potestatis signum, cum etiam ea quae vilissima sunt (quid enim vilius illo quod hodie est, cras minime?) tanta decorat pulchritudine. Si igitur foeno, quod nullius usus est, id dederit, (quid enim pulchritudo ejus ad ignis alimentum confert?) quomodo tibi qui opus habes non dabit? Si quod omnium vilissimum est abundanter ornavit, et hoc non ad aliquem usum, sed ad magnificentiam, multo magis te omnium pretiosissimum in iis quae ad usum pertinent, honorabit.

8021 Quoniam igitur multam ostendit Dei providentiam, et increpare illos postea oportebat, hic tamen lenitate utitur, non incredulitatem, sed modicam fidem illis imputans: *si foenum agri... Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei? Matth. 6,30*.

Atqui haec omnia ipse operatur; nam, *Jo. 1,3*: omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil. Attamen nihil usquam de se commemorat. Sufficiebat enim interim ad demonstrandam auctoritatem suam, quod diceret ad singula praecepta, Matth. 5,27: Audistis quia dictum est antiquis: ego autem dico vobis.

8022 Ne itaque mireris cum in sequentibus sese occultat, aut humile quippiam de se loquitur; unum quippe interim curabat, ut acceptus et probabilis illis sermo esset, ac per omnia ostenderet se cum Patre consentientem et concordem. Quod etiam hic facit. Post tot enim sermones, frequenter illum in medium adducit, admirans ejus sapientiam, providentiam in omnibus, in majoribus et in minoribus; nam cum de Hierosolyma diceret, civitatem magni regis ipsam vocavit; et cum coelum commemorat, solium Dei appellavit; et cum de mundi administratione verba faceret, ipsi rursum omnia adscribit, dicens: *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, Matth. 5,45*; et in oratione sic dicere docuit, quia ejus est regnum et potentia et gloria. Hic quoque de illius providentia disserens et ostendens ipsum vel in parvis optimum artificem esse, ait: Foenum agri sic vestit, *6,30.*

8023 At nusquam Patrem suum vocat, sed illorum; ut et hoc honore permoveret, et cum Patrem suum postea diceret, non indignaremur. Si vero de vilibus et necessariis solicitum esse non oporteat, qua excusatione digni sunt qui de magnificis curam habent? Imo potius, qua excusatione digni sunt qui non dormiunt ut aliena bona rapiant?

Matth. 6,31: *Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? v. 32: Haec enim omnia gentes inquirunt*.

8024 Viden' quomodo rursus illos et magis increpaverit, et declaraverit se nihil onerosum vel durum praecepisse. Sicut igitur cum diceret: *si diligitis diligentem eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Matth. 5,46;* ab ethnicorum commemoratione ipsos ad meliora excitavit; sic et nunc illos in medium adducit, perstringens eos, et ostendens se necessarium a nobis debitum exigere. Si enim plusquam Scribas et Pharesaeos exhibere oporteat, qua poena digni erimus, qui non modo illos non superamus, sed et ethnicorum vilitate manemus, et illorum pusillanimitatem imitamur?

8025 Nec satis habuit increpasse; sed cum perstrinxisset illos, excitasset, ac pudore affecisset cum vehementia, aliunde illos consolatur, dicens: *scit enim Pater vester coelestis, quia his omnibus indigetis, 6,32*.

Non dixit: Scit Deus, sed: *scit... Pater*; ut illos ad majorem spem erigat. Si enim

pater est, et pater talis, non poterit despicere filios in extremis malis versantes, quando ne homines quidem patres hoc patiuntur. Aliudque postea induxit ratiocinium.

- Quodnam illus?

- Quia his omnibus indigetis. Hoc autem vult significare: Num superflua sunt haec ut despiciat? Atqui ne in superfluis quidem dexpexit, ut in foeno; nunc autem et necessaria sunt. Itaque quod putas causam esse solicitudinis, id dico idoneum esse ad abigendam tibi hanc solicitudinem.

8026 Quod si dicas: Ideo me solicitum esse oportet, quia necesaria sunt, ego contra respondeo: Ideo ne solicitus sis, quia necessaria sunt. Si enim superflua essent, neque sic desperandum esset, sed confidendum ea tibi suppeditari posse; quia vero necessaria sunt, non ultra ambigere oportet: quis enim pater negligat filiis suis necessaria praebere? Ideoque omnino Deus id daturus est; nam ipse naturae creator est, et qui ipsi necessarium sit accurate novit; neque enim dicere possis ipsum quidem esse patrem, et necessaria esse ea quae requiruntur, sed ignorare cum nos ipsis [egemus]; nam qui naturam ipsam novit, et creator ejus est, illamque hoc modo formavit, necessitatem ejus, ut palam est, melius novit quam tu, qui in necessitate constitutus es; nam ipsi sic placuit, ut in hujusmodi necessitate esses. Non ergo contrarius erit iis quae voluit; ita ut te in necessitate constituat, et a necessariis privet.

8027 Ne itaque solliciti simus; neque enim quid amplius consequemur, quam quod nos curis distendamus. Cum enim nobis, sive solicitis sive non solicitis, id praestet, quid tibi amplius ex solicitudine manebit, quam quod poenas a teipso superfluas exegeris? Neque enim quis ad lautum convivium accessurus de cibis unquam solicitus erit, neque is qui ad fontem accedit de potu erit anxius. Ne itaque nos, quibus affluentior adest rerum copia quam in mille fontibus et conviviis, nempe Dei providentia, soliciti vel pusillanimes simus.

8028 MEDITAZIONE 32.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 6,33-34*: *Quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis. v. 34: Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.*

Matth. 6,33: Quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis. Cum supradictis aliud in cunctis rebus fidendi argumentum

suggerit, dicens: *quaerite, etc*.

8029 Postquam enim animum a curis levavit tunc coelos etiam commemoravit; venit quippe vetera soluturus, et ad meliorem vocaturus patriam; propterea nihil non agit ut nos a supervacaneis et a terrenarum rerum affectu liberet. Idcirco ethnicos memoravit, cum ait gentes ea inquirere, quarum omnis labor et studium circa praesentem vitam versatur, quibus nulla futurorum vel coelorum ratio. Vobis autem non haec sunt praecipua, sed alia; neque enim ideo creati sumus ut comedamus, bibamus, et vestibus operiamur, sed ut placeamus Deo, et futura consequamur bona.

8030 Sicut igitur haec perfunctorie curanda, ita et perfunctorie petenda sunt. Ideoque dicebat: *quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.*

Non dixit: dabuntur, sed: *adjicientur*; ut discas inter ea quae dantur, praesentia nihil esse, si cum magnitudine futurorum comparentur. Ideo non illa petere, sed alia postulare jubet, et confidere haec prioribus esse addenda. Quaero igitur futura, et praesentia accipies; ne quaeras visibilia, et prorsus illa consequeris.

8031 Nam indignum te est Dominum adire pro rebus hujusmodi; etenim qui omne studium, omnem curam adhibere debes pro ineffabilibus illis bonis, teipsum dedecoras, dum in cupiditate fluxarum rerum teipsum consumis.

- Cur ergo, inquies, jussit panem petere?

- Sed addidit quotidianum; et hoc rursum addidit: hodie; quod ipsum hic etiam observat. Non enim solum dixit: Nolite ergo soliciti esse, sed: *Nolite... soliciti esse in crastinum*; simul nobis libertatem donans, et animam nostram rebus magis necessariis addicens; nam illa petere ideo jussit, non quod Deus admonitu indigeret, sed ut discamus nos ejus auxilio bona agere omnia, et ut assiduitate petendi nos ei familiares reddamus.

8032 Viden' quomodo per haec suadeat doceatque ipsos praesentia quoque accepturos esse? Qui enim majora praebet multo magis minora dabit. Non ideo enim, inquit, praecepi ne soliciti sitis, vel ne petatis, ut miseri sitis et nudi ambuletis; sed ut haec quoque abundanter suppetant. Id quod certe maxime illos attrahere poterat. Sicut ergo in eleemosyna eroganda vetans sese hominibus ostentare, hac ratione maxime suadebat illis haec sibi cum majori copia et magnificentia reddenda esse (nam ait: Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi, *Matt. 5,4*) sic et hoc loco abstrahens eos a perquisitione praesentium, illud maxime suadet, haec non quaerentibus cum majore abundantia promitti.

8033 Ideo inquit, jubeo non quaerere, non ne accipias, sed ut abundanter accipias; ut accipias modo tibi competenti, cum utilitate congruenti; ne solicitus et discissus harumce rerum curis, et iis ipsis rebus, et spiritualibus te indignum constituas; ne superfluam patiaris aerumnam, et a re poposita excidas.

Nolite ergo soliciti esse in crastinum; sufficit enim diei malitia sua, *Matth. 6,34*: idest miseria atque contritio. Non sufficit tibi in sudore vultus tui comedere panem tuum? *Gen. 3,19.* Cur aliam adjicis ex solicitudine miseriam, qui a prioribus es laboribus liberandus?

8034 Malitia: Malitiam hic vocat non improbitatem: absit; sed miseriam, labores, aerumnas, sicut et alibi ait, *Amos 3,6*: Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit? Non rapinas significat, non avaritiam, neque quidpiam simile; sed plagas divinitus immissas. Ac rursum *Isaias, 45,6*: Ego Dominus, et non est alter; *v. 7*: formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum; ego Dominus faciens omnia haec. Faciens pacem et creans malum, neque enim hic malitiam dicit; sed famem, pestilentias; quae mala existimantur a vulgo; mos quippe est ut multi ea esse dicant mala.

8035 Sic enim illi quinque Satrapiarum sacerdotes et vates, cum vaccas arcae junctas sone vitulis, quo vellent ire permiserunt, divinitus immissas plagas illas, moeroremque ac dolorem inde partum, malitiam vocabant, *1 Reg. 6,4 sqq*.

Sufficit diei malitia sua, *6,34*. Nihil enim perinde animum cruciat, atque cura et solicitudo. Sic et Paulus, ad virginitatem hortans, consilium ita efferebat, *1 Cor. 7,32*: Volo autem vos sine solicitudine esse. Cum porro dicit: Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi, *Matth. 6,34*, non id ait quod dies ipsa de se solicita sit; sed quia ad imperitam plebem sermo erat; cum vellet haec cum emphasi proferre, tempus personae more repraesentat, secundum plurimorum morem ipsos alloquens.

8036 Et hic quidem consilium profert; progressus autem idipsum ut legem statuit, dicens, *Luc. 10,4*: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque peram in via. Postquam enim idipsum operibus exhibuerat, tunc demum verbis legem statuit firmiorem, unde et sermo acceptus et comprobatus erat, ipsius nempe operibus jam firmatus.

- Ubinam igitur, operibus demostravit?

- *Luc. 9,58*: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*. Neque hoc tantum dixisse contentus, in discipulis suis horum exemplum suppeditat; cum ipsos ad hanc formam redegit, et nullo egere permisit.

8037 Perpende autem ejus providentiam, quae omnem patris cujusvis affectum superat: Hoc jubeo, inquit, non aliam ob causam quam ut vos ab omni supervacua solicitudine expediam; nam si hodie solicitus sis de crastino, cras rursum solicitus eris.

- Quid ea in re supervacaneum?

- Cur cogis diem majori quam ipse sortitus sit miseria affligi, et cum propriis sibi laboribus etiam sequentis diei onus imponis? Et hoc cum per additamentum hujusmodi sequentis diei sarcinam non minuas, sed labores tantum laboribus adjicias; ut enim illos magis perstringeret, tempus ipsum quasi animatum et laesum

induxit, contra ipsos clamans ob superfluam molestiam.

8038 Nam diem accepisti ut quae ad ipsum pertinent cures; cur sequentis diei curam ipsi adjicis? Annon sufficiens ipsi est onus solicitudo sui? Cur ergo illi majus imponis onus? Cum autem legislator sit is qui sic loquitur, et ipse de nobis judicaturus sit, cogita quam bonam nobis spem proponat, cum ipse testificetur hanc vitam esse miseram et laboriosam, ita ut unius diei solicitudo sufficiat ad afflictionem contritionemque nostram. Attamen, cum tot tantaque dicta sint, nos de his soliciti sumus; coelestia autem non curamus, sed ordinem invertimus, utrinque contra supra dicta pugnantes.

8039 Incuria autem solicitudinis relaxatae, non negligentiae sed fidei est.

Perpende namque. Dicit ille: Ne omnino praesentia quaeratis; nos autem illa assidue quaerimus; quaerite coelestia, inquit: nos autem ne parvo quidem horae unius spatio illa quaerimus: sed quantam de saecularibus solicitudinem exhibemus, tantam in spiritualibus negligentiam ostendimus, imo multo majorem. Sed non semper haec nobis prospere procedent, neque semper ita possunt evenire. Ecce diebus decem contemnimus, ecce viginti, ecce centum: annon necesse prorsus est obire, et in judicantis manus incidere?

8040 MEDITAZIONE 33.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 7,1-5*: *Nolite judicare, ut non judicemini. v. 2: In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. v. 3: Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? v. 4: Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo: et ecce trabs est in oculo tuo? v. 5: Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.*

8041 *Matth. 7,1: Nolite judicare, ut non judicemini*.

Quid igitur? Non oportet peccantes accusare? Nam et Paulus hoc ipsum dicit, imo et Christus per Paulum, *Rom. 14,10*: Tu autem, quid judicas fratrem tuum? aut tu, quare spernis fratrem tuum? et *ibidem*, *v. 4*: Tu quis es qui judicas alienum servum? Et iterum: Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, *1 Cor. 4,5*. Cur autem alibi dicit, *2 Tim. 4,2*: Argue, obsecra, increpa? et alibi, *1 Tim. 5,20*: Peccantes coram omnibus argue. Et Christus Petro, Matth. *18,15*: si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. *v. 16*: Si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos... v.17: quod si non audierit eos dic ecclesiae: et tam multos constituit increpantes, nec solum increpantes, sed etiam punientes.

8042 Nam eum qui nullum horum audisset, jussit haberi quasi ethnicum et publicanum. Cur autem illis claves dedit? Nam si judicaturi non sunt, nullam habebunt auctoritatem, et frustra ligandi atque solvendi auctoritatem acceperunt. Et alioquin si hoc obtineat, omnia pessum ibunt, et in ecclesiis, et in civitatibus, et in domibus. Nam dominus servum, et domina ancillam, pater filium, amicus amicum nisi judicaverint, nequitia augebitur. Et quid dico: amicus amicum? Inimicos si non judicemus, nunquam poterimus inimicitias solvere, sed sus deque omnia vertentur.

8043 Quid ergo sit hoc quod dicitur diligenter attendamus, ne remedia salutis et leges pacis putet quispiam esse leges subversionis et confusionis. Nam iis qui intelligentia valent, in sequentibus maxime hujusce legis virtutem ostendit dicens: *quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quae est in oculo tuo non consideras?* Quod si multis tardiorum dictum adhuc obscurius esse videatur, rem a principio solvere tentabo.

8044 Hic certe, ut mihi quidem videtur, non omnia peccata jubet non judicare, neque omnino vetat illud agere; sed illos respicit qui innumeris onusti vitiis, aliis ob levia quaequae insultant. Videtur autem hic Judaeos subindicare qui, cum acerbi essent, de rebus minimis nulliusque momenti, proximi sui accusatores, magna illi sine ullo sensu crimina admittebant; quod etiam in fine exprobrans illis dicebat, *Matth. 23,4*: Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere; et *ibidem*, *v. 23*: decimatis mentham et anethuum, et cyminum, et reliquistis quae graviora sunt legis: judicium, et misericordiam, et fidem.

8045 Judaeos igitur videtur in animo habere, jam ante illos reprimens ob ea de quibus discipulos accusaturi erant. Etsi enim illi nihil tale peccaverant, quaedam tamen ipsis peccata videbantur esse, ut sabbatum non observare, illotis manibus manducare, cum publicanis recumbere; quod et alibi ait: excolantes culicem, et camelum deglutientes, *Matth. 23,24*. Ceterum communem de his legem constituit. Corinthiis vero scribens Paulus, non simpliciter prohibet judicare, sed eos qui ipsis praeerant judicare vetat, etiam in re manifesta, itemque in occultis et incertis; *1 Cor. 4,3 sqq,* nec simpliciter vetat peccantes emendare.

8046 Neque tunc omnes sine discrimine increpabat, sed discipulos qui magistros arguerent coercebat, nec non eos qui innumerorum rei malorum ibnnoxios criminabantur; id quod etiam hic Christus subindicavit; nec modo subindicavit, id quod etiam hic Christus subindicavit; nec modo subindicavit, sed multum incussit timorem, indixitque supplicium inevitabile: *Matth. 7,2*: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini*.

Non enim illum condemnas, inquit, sed teipsum; et formidandum tibi paras tribunal, accuratioremque reddendam rationem. Quemadmodum enim in remissione peccatorum principia a nobis petuntur, sic et in hoc judicio,

damnationis mensurae ponuntur a nobis.

8047 Non enim exprobrare oportet, vel insultare; sed admonere; non maledicere, sed consilium dare; nec arroganter insurgere, sed cum dilectione corrigere. (Quid erit judicem judicare?!) Non enim illum, sed te extremo trades supplicio, dum non parcis illi quando oportuit de illius delictis ferre sententiam.

Viden' quomodo haec duo praecepta, et levia sint, et magnorum obsequentibus causae bonorum, ut et malorum non attendentibus? Nam et qui proximo dimittit, se magis quam illum sine ullo labore reatibus liberat; et qui indulgenter peccata aliorum examinat, magnum sibi veniae foenus ex tali allato calculo parat.

8048 - Quid igitur, inquies, si fornicatus fuerit? Non dicam malam rem esse fornicationem, neque corripiam lascivientem?

- Corripe quidem, sed non ut hostis, vel inimicus ultionem exposcens, sed ut medicus remedia apparans; neque enim dixit ne cohibeas peccantem, sed ne judices, idest ne acervus sis judex. Alioquin autem non de magnis rebus aut prohibitis, ut dixi, sed de iis quae non videntur esse crimina hoc dictum fuit. Quamobrem dicebat:

Matth. 7,3: Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?

8049 Etenim multi nunc id faciunt, qui si viderint monachum superfluo vestitu indutum, legem illi dominicam objiciunt, licet ipsi millia abripiant, ac quotidie divitias accumulent? Et si viderint largiore uti cibo, acerbi instant accusatores, licet quotidie ipsi crapulae et ebrietati dent operam, ignorantes se propriis onustos peccatis majorem hinc sibi ignem colligere, ac sese omni excusatione privare. Quod enim tua accurate sint examinanda, tu prius hanc legem posuisti, cum ita de proximo tuo judicasti. Ne itaque illud grave esse existimes, si tales et ipse poenas daturus sis.

8050 *Matth. 7,5*: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo*.

Hic iram vult exhibere plurimam, quam concipit erga illos qui tali se gerunt modo; nam quotiescumque vult ostendere magnum esse peccatum, multamque poenam et ultionem ipsi paratam, a convitio orditur; quemadmodum et contra illum qui centum denarios exigebat, indignans dicebat: Serve nequam, nonne omne debitum dimisi tibi? *Matt. 18,32*. Sic et hoc loco dicit: hypocrita. Non enim curam aequi haec sententia exhibet, sed inhumanitatem. Et larvam quidem humanitatis prae se fert: extremam vero nequitiam exerceret, dum super superflua proximo opprobria atque crimina affingit, et locum magistri invadit, qui non dignus est esse discipulus; quamobrem hypocritam illum vocavit. Nam qui in alienis ita acerbus es, ut etiam exigua videns, quomodo in tuis ita negligens fuisti, ut etiam magna transcurreres?

8051 *Ejice primum trabem de oculo tuo, Matth. 7,5*.

Viden' quod non vetet judicare, sed jubeat primum ejicere trabem ex oculo tuo, et tunc aliorum errata corrigere; nam sua quisque magis novit quam proximum. Itaque si curam gerens id facis, tui curam gere prius, ubi et clarius et majus est peccatum; quod si temetipsum contemnis, palam est te non ideo de fratre tuo judicare, quod ejus curam geras, sed quod odio habeas et diffamare velis. Si enim oporteat de illo judicari, ab eo judicium ferendum, qui nihil tale commisit, non a te.

8052 Quia enim magna et sublimia posuit philosophiae dogmata, ne quid diceret in illis sermone philosophari facile esse, ut fidenter ostendat se in supra dictorum nullo rationi reddendae obnoxium esse, sed omnia perfecisse, hanc parabolam dixit; nam ipse quoque postea erat judicaturus. *Matth. 23,14*: Vae vobis, Scribae et pharisaei hypocritae, inquit. At ille non erat illis quae dicebat obnoxius: neque enim festucam ejecerat, neque trabem in oculis habebat; sed in his omnibus insons et purus, sic omnino peccata corrigebat; neque enim debet is de ceteris judicare, qui iisdem culpis ipse sit obnoxius.

8053 Et quid miraris si hanc ipse legem posuerit, quando latro in cruce ipsam agnovit, cum alteri latroni diceret, *Luc. 23,40*: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Christi sententiae consona dicens. Tu vero trabem tuam non modo non ejicis, sed ne vides quidem; fratris vero festucam non modo vides, sed judicas, illamque ejicere conaris: ac si quis aut hydropisi, aut alio morbo incurabili admodum laborans, id negligeret, incusaretque alium qui levem aliquem tumorem non curaret. Si vero malum est sua peccata non videre, duplex, triplexque malum est de aliis judicare eos, qui sine ullo doloris sensu trabes in oculis suis gestant: peccatum quippe trabe gravius est.

8054 Hoc igitur per ea quae dicta sunt praecepit, nempe eum qui sexcentis vitiis sit obnoxius, alienaque culpae non severum esse judicem oportere, si maxime aliorum peccata sint levia. Non quod vetet arguere et emendare, sed quod prohibeat propria mala negligere, et alienis insultare. Etenim illud in magnum vergeret nequitiae augmentum, duplicemque inveheret malitiam; nam qui peccatis suis, etsi gravibus, neglectis aliorum vitia parva leviaque acerbius discutere studeret, in duplicem incurreret labem: et quod propria negligere contemneretque, et quod omnium offensionem inimicitiamque in se concitaret, atque in extremam inhumanitatem feritatemque quotidie procederet.

8055 MEDITAZIONE 34.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 7,6-12*: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos. v. 7: Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. v. 8: Omnis enim qui petit, accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur. v. 9: Aut quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? v. 10: Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? v. 11: Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester qui in coelis est, dabit bona petentibus se? v. 12: Omnia ergo quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis: haec est enim lex et prophetae.*

8056 *Matth. 7,6*: *Nolite sanctum dare canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

- Atqui in seguentibus, inquies, praecipit, *Matth. 10,27*: Et quod in aure auditis praedicate super tecta.

- Verum hoc priori non est contrarium; neque illic omnibus jubet praedicare, sed iis quibus praedicandum est, cum fiducia id facere.

Canibus: Canes hic vocat qui in impietate vitam ducunt incurabili, et in quibus spes nulla mutationis in melius.

8057 Porcos: [autem] qui luxuria perditam semper vitam agunt, quos omnes hujusmodi doctrina dicebat indignos; hoc enim etiam Paulus significat, his verbis, *1 Cor. 2 2,14*: Animalis autem homo non percipit ea quae spiritus sunt; stultitia enim est illi. Alibi quoque saepe dicit vitae corruptionem in causa esse cur perfectiora dogmata non recipiantur; *cf. Philipp. 3,4*: Quare vetat ipsis januas aperiri, siquidem postquam didicerint ferociores evadunt. Haec quidem probis ac mente valentibus revelata, veneranda videntur: socordibus vero magis honorantur ignorata; iis igitur qui non possunt ex natura illa ediscere, occultentur, inquit, ut saltem ex ignorantia illa revereantur: neque enim porcus novit quid sit margarita, quia igitur non novit, ne videat quidem, ne conculcet ea quae non novit; nihil enim accedit iis qui ita sunt affecti, si audiant, nisi majus damnum. Etenim sancta ab iis temerantur, ut pote illa ignorantibus, et ipsi ferocius contra nos insurgunt armati.

8058 Hoc enim significat illud: Ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos; sed ita fortiter haerere debebant, ut semel tradita invicta manerent, nec ansam illis contra nos praeberent. Non praebent autem illa ansam, sed hi qui porci sunt; quemadmodum margarita pedibus calcata, non quod spernenda sit conculcatur, sed quia in porcos incidit. Ac pulchre dixit: Conversi dirumpant vos; modestiam quippe simulant, ut discant, postquam vero didicerunt, alii ex aliis effecti illudunt nobis, traducunt et irrident nos quasi deceptos. Ideoque Paulus Timotheo dicebat, *2 Tim. 4,15*: Quem et tu devìta; valde enim restitit verbis nostris. Rursusque alibi, *ibi* 3,5: Et nos devita. Et *Tit. 3,10*: Haereticum hominem, post unam et secundam correptionem devita.

8059 Non igitur ab illis armantur, sed eorum occasione stulti evadunt, majori arrogantia repleti; ideoque non parum lucri inde accedit, si in sua ignorantia maneant: sic enim non ita despicient. Si vero discant, duplex emergit damnum; illi enim inde nihil fructus percipient, imo magis laedentur, tibique mille negotia suscitabunt.

Audiant ii qui impudenter omnibus se admiscent, et veneranda quaeque spernenda reddunt; nam mysteria ideo januis clausis celebramus, et non initiatos abigimus, non quod infirmitatem quamdam in illis deprehendamus, sed quia multi imperfectiores sunt quam ut ipsis possint adesse; ideo ille multa in parabolis loquebatur Judaeis, quia vedentes non videbant. Quapropter Paulus scire jussit quomodo oporteat unicuique respondere, *Col. 4,6*.

8060 *Matth. 7,7*: *Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis*: quia enim magna et admiranda praecepit, omnibus jussit affectibus esse superiores, ad ipsum coelum adduxit, ac studere praecepit non ut Angelis et Archangelis, sed ipsi Domino, quantum fieri licet, similes simus. Discipulos vero non hoc solum perficere, sed et alios emendare jussit, ac discernere inter malos et bonos, inter canes et non canes; multa autem sunt in hominibus occulta; ne dicerent haec dura et intolerabilia esse. Nam in sequentibus haec Petrus loquitur: Quis potest salvus esse? *Matth. 19,25*. Et rursus, *Matth. 19,10*: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

8061 Ne igitur haec etiam nunc dicant, cum jam in precedentibus ostendisset illa esse facilia, ratiociniis sequentibus adductis quae id suadere possent, demum facilitatis coronidem apponit, non vulgari excogitata in laboribus consolatione, nempe assiduarum precum auxilio. Non satis enim esse dicit si id perficere curemus, sed supernum esse auxilium implorandum; quod utique veniet et aderit, inque certaminibus nos juvabit, et omnia facilia reddet. Ideo petere jussit, ac se daturum spopondit. Verum postulare jussit non obiter, sed cum assiduitate et contentione magna.

8062 Hoc enim significat illud *quaerite*; nam qui quaerit aliis omnibus ex mente eliminatis, rei tantum quaesitae dat operam, nullamque praesentium habet rationem. Norunt certe illud quotquot vel auro, vel servis amissis, haec postea quaerunt. Illud indicat per vocem illam: quaerite. Cum vero dicit: pulsate, vehementer et ardenti animo accedendum esse significat. Ne itaque concidas, mi homo, neque minorem de virtute curam exhibeas quam de pecuniis; has quippe saepe quaerens non invenisti, et tamen cum probe scias te forte non inventurum, omnem exploras quaerendi modum; hic vero sponsionem habens te prorsus accepturum esse, ne minimam quidem illius studii partem exhibes.

8063 Si vero non statim accipias, ne desperes; ideo enim dixit pulsate: ut ostendat, quamvis non statim aperiat, manendum tamen esse; si autem meae non

credas sponsioni, saltem huic exemplo crede: *Matth. 7,9*: *Aut quis ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem, nunquid lapidem porriget ei?*

Apud homines quidem, si id frequenter facias, molestus et onerosus videris; apud Deum autem, si hoc non facias magis ad iram commoves; si autem petendo permaneas, etiamsi non statim accipias, accipies tamen; ideo namque clausa est janua ut te ad pulsandum inducat: ideo non statim annuit, ut petas. Mane igitur id agens, et procul dubio accipies.

8064 Ne enim dicas: Quid igitur si petam et non accipiam? per parabolam te in spe firmavit, ratiociniis rursum usus, atque humanis exemplis te ad fiduciam ea in re sumendam inducens, dum per haec ostendit non modo petendum esse, sed quae petenda sint. *Quis ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem, nunquid lapidem porriget ei? Matth. 7,9*.

Itaque si non accipis, ideo non accipis, quia lapidem petis; etiamsi enim filius sis, id non sufficit ad accipiendum; imo illud ipsum impedit quominus accipias, quod, filius cum sis, illa petas quae non tibi expediant. Et tu itaque nihil mundanum petas, sed spiritualia omnia, et certo accipies. Etenim Salomon, quia illa petiit quae petere oportebat, vide quam cito acceperit, *3 Reg. 3,5 sqq.*

8065 Duo igitur observare oportet orantem: ut et vehementer petat, et ea petat quae sibi expediunt; quandoquidem et vos, inquit, etiamsi patres sitis, filios vestros petere sinitis; et si damnosum sit illud quod petunt, negatis; sin utile sit, annuitis et datis. Tu igitur haec cogitans, ne absistas donec acceperis, nec recedas donec inveneris, ne studium remittas donec aperiatur janua. Si enim hoc animo accesseris, dixerisque: nisi recipiam non abeo, prorsus accipies, si tamen illa petis quae et ei a quo petis, et tibi expedit ut dentur.

- Quaenam porro sunt haec?

- Si spiritualia petas, omnia; si postquam offensas remisisti, si accedas remissionem petens, si absque ira et disceptationibus sanctas manus attollamus: si sic petamus accipiemus.

8066 Nunc vero nostra petitio, irrisio est, potiusque ebriorum hominum quam sobriorum.

- Quid igitur, inquies, si spiritualia petam, nec accipiam?

- Non studiose proculdubio postulasti, vel teipsum indignum fecisti qui acciperes, aut citius quam par erat abscessisti.

- Et cur, inquies, non dixit quae oporteat petere?

- Certe jam omnia prius dixit, et ostendit pro quibus accedere oporteat. Ne itaque dicas: Accessi et non accepi; non enim per Deum stetit quominus

acceperis, qui adeo diligit ut patres hac in re tantum vincat, quantum hanc nequitiam bonitas superat.

Matth. 7,11: Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris,

quanto magis pater vester qui in coelis est dabit bona petentibus se?

8067 Haec porro dixit, non vituperans humanam naturam, nec genus nostrum malum esse pronuncians: absit! sed amorem paternum, si cum bonitate Dei comparetur, malitiam appellans; tanta scilicet inest illi benignitas.

Vidistin' invictum argumentum, quod possit etiam desperantem in bonam spem revocare? Hic quidem exemplo patrum bonitatem Dei ostendit; superius autem ex donis suis majoribus, ex anima, ex corpore, et nusquam caput bonorum affert, neque ipsius adventum in medium adducit: nam qui filium occidendum dedit, quomodo nobis non omnia donabit?

8068 Haec vero nondum evenerunt; sed Paulus illud affert his verbis, *Rom. 8,32*: Qui proprio filio suo non pepercit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Ipse vero Christus, ex humanis adhuc cum illis disserit. Deinde ostendens nec orationi fidendum esse, si ea quae in nobis sunt negligamus, neque si illa curemus, nostrae curae ac diligentiae tantum fidendum esse, sed supernum esse requirendum auxilium, et nostra simul afferenda esse; et hoc et illud frequenter apponit; nam post multa monita modum orandi docuit, et postquam id docuerat, rursus ad agendum cohortatus est; abhinc iterum monuiit orandum esse frequenter, cum dixit: petite, quaerite, pulsate; sub haec rursum virtutis studiosos esse oportere, nam ait:

8069 *Matth. 7,12*: *Omnia ergo quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis,* in brevi spatio cuncta resumens, ostendensque compendiosa, facilem, omnibusque notam esse virtutem. Neque simpliciter dixit: Quaecumque vultis ut faciant vobis homines; sed: Omnia ergo quaecumque vultis; nam illud *ergo*, non sine causa adjecit, sed hoc subindicans: Si vultis, inquit, audiri cum illis, quae dixi, et haec facite.

- Quaenam illa?

- Quaecumque vultis ut faciant vobis homines. Viden' quomodo ostenderit cum oratione etiam probo vitae instituto nobis opus esse?

8070 Neque dixit: Quaecumque volueris tibi a Deo fieri, haec fac et proximo; ne diceres: Et quomodo hoc fieri a conservo, haec et tu proximo tuo exhibeas. Quid hac re levius? quid justius? Deinde, ante praemia grande encomium: Haec est enim lex et prophetae, *7,12.* Unde manifestum est secundum naturam nobis inesse virtutem, et nos a nobis ipsis quid sit agendum scire, neque posse ad ignorantiae exceptionem unquam confugere.

8071 MEDITAZIONE 35.

Orazione preparatoria.

Preludio 1. *Matth. 7,13-20*: *Intrate per angustam portam: quia lata porta et spatiosa via est quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. v. 14: Quam angusta porta, et arcta via est quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! v. 125: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. v. 16: A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? v. 17: Sic omnis arbor bona fructus bonos facit. v. 18: Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. v. 19: Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. v. 20: Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

8072 *Matth. 7,13*: *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quae ducit ad perditionem; et multi sunt qui intrant per eam. v. 14: Quam angusta porta, et arcta via est quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!*

- Atqui postea dicit: Jugum enim meum suave est, et onus meum leve, Matth. 11,30. Atque etiam in iis quae paulo ante dicta sunt, idipsum subindicavit; quomodo autem hic arctam illam angustamque dicit esse?

- Certe si attenderis, hic etiam declarat illam admodum esse levem et facilem.

- Et quomodo, inquies, illa quae arcta et angusta est, facilis erit?

- Quia via est et porta. Sicut etiam illa alia, etsi lata et spatiosa, via est et ipsa; in his autem nihil manet: sed transeunt omnia ad hanc vitam pertinentia, sive tristia, sive prospera.

8073 Nec ideo tantum facilis est virtus, sed a fine etiam facilior redditur. Neque enim tantum quod labores et sudores transeant; sed etiam quod bono fine vita nempe, terminentur, id consolationem decertantibus parere debet; itaque et brevitas laborum, et aeternitas coronarum, et quod haec sint priora, illa vero posteriora, haec certe omnia maximam in laboribus afferant consolationem. Quapropter Paulus levem tribulationem vocavit, non ob naturam accidentium rerum, sed ob promptam voluntatem certantium et spem futurorum. *2 Cor. 4,17*: Id enim quod in praesentis est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, *v. 18*: non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur.

8074 Nam si fluctus et maria nautis, ac caedes vulneraque militibus, hiems atque gelu agricolis, pugilibusque frequentes plagae leves tolerabilesque videntur ob spem praemiorum, quae tamen fluxa perituraque sunt, multo magis quando coelum nobis, ineffabilia bona, praemiaque immortalia proponuntur, nullum quis praesentium malorum sensum percipiat. Quod si qui, iis etiam positis, viam illam laboriosam esse putant, ex illorum desidia tantum oritur haec suspicio. Vide enim quam levem illam alio modo efficiat, cum jubet non commisceri canibus, neque

porcis se tradere, et cavere a pseudo-prophetis, dumque nos undique solicitos reddit.

8075 Hoc ipsum vero quod illam arctam appellat, maxime confert ad eam facilem reddendam, admonens illos ut vigilent. Sicut enim Paulus cum dixit, *Eph. 6,12*: Non est nobis colluctatio adversus corpus et sanguinem, non ut dejiciat, sed ut erigat militum animos id dicit, sic ipse Dominus, ut viatores a somno excitet asperam dicit viam; neque hoc tantum modo ad vigilandum inducit, sed etiam cum adjicit multos esse qui supplantare studeant, quodque gravius est, non aperte irrumpunt, sed sese occultant: hujusmodi namque est pseudo-prophetarum genus. *7,13*: Sed ne illud consideres, inquit, quod sit aspera et arcta, sed quo desinat perpende: neque quod contraria via sit lata et spatiosa, sed quem finem habeat.

8076 Haec porro omnia dicit, ut nobis animum erigat, ut et alibi dicebat, *Matth. 11,12*: Violenti rapiunt illum; nam qui ad certamen ingreditur, ubi clare videt agonothetam certaminum laborem admirantem alacrior efficitur. Ne igitur animum despondeamus, cum multa nobis hinc tristia acciderint; arcta enim est via, et angusta porta: at non civitas illa; ideoque non hic speranda quies est, neque illic putandum aliquid inesse triste. Cum autem dixit: Pauci sunt qui inveniunt eam, rursus multorum hic ignaviam declarat, et auditores instituit ne multorum rebus prosperis animum adhibeant, sed paucorum laboribus.

Plurimi namque, ait, non modo per illam viam non incedunt, sed nec illam eligunt quidem, quod extremae insipientiae est; verum non est multitudini attendendum, neque inde turbari oportet, sed paucos illos imitari, et undique sese colligentes, sic per eam incedere; nam praeterquamquod angusta illa est, multi sunt qui supplantare student, ne illo intretur.

8077 *Matth. 7,15*: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Ecce cum canibus et porcis, aliud insidiarum genus, multo periculosius illo; illi enim sunt manifesti, et palam aggrediuntur; hi vero occulti. Ideo ab illis quidem abstinere jussit, ab his vero diligentissime cavere ac si difficile sit ad primum illos congressum explorare; ideoque dixit: attendite; ut ad illos internoscendos redderet diligentiores. Deinde ne audientes in arcta et angusta multisque contraria via incedendum esse, a porcis et canibus cavendum, insuperque a maligniori genere, nempe luporum, ne tristium rerum multitudine concidant in contrariam multis incessuri viam, praetereaque his de rebus soliciti futuri, quaedam tempore patrum suorum gesta memoravit, pseudo-prophetas in medium adducens; prisce namque talia contigerunt.

8078 *Luc. 21,9*: Nolite ergo terreri, inquit; nihil enim novum, nihil inauditum accidet; veritati namque fallaciam semper substituit diabolus. Pseudo-prophetas autem hic non haereticos mihi subindicare videtur, sed eos qui cum corrupti

moribus et vita sint, virtutis larvam circumferunt, quos seductores vocare multi solent. Quamobrem subjunxit dicens: *Matth. 7,16: Ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Nam apud haereticos quidem honesta vita saepe reperitur; apud hos autem quos dixi, nunquam.

8079 - Quid igitur, inquies, si mores fingant honestos?

- Sed facile capientur; talis quippe est hujus viae natura, qua incedere jussi, laboriosa nempe et dura. Hypocrita vero laborem ferre nolit, sed simulate tantum, ideoque facile deprehenditur. Quia enim dixit: Pauci sunt qui inveniunt eam, secernit eos ab illis qui cum non invenerint, invenisse tamen se simulant, jubens non ad illos qui larvam circumferunt respicere, sed ad illos qui vere et ex animo in illa incedunt.

8080 - Et qua de causa, inquies, non illos notos fecit, sed nos in explorandi curam conjecit?

- Ut vigilemus, et soliciti semper simus, dum cavemus non modo ab inimicis illis qui palam tales sunt, sed ab iis etiam qui sese occultant, quos subindicans Paulus dicebat, *Rom. 16,18*: Et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Ne itaque turbemur, cum multos hujuscemodi etiam nunc videmus; nam et illud supra Christus praedixit. Et perpende ejus mansuetudinem: Non enim dixit: Punite illos, sed: Attendite, cavete ne ab illis laedamini, ne incauti in illos incidatis.

8081 Deinde ne dicas non posse hujusmodi homines internosci, ab hominum exemplo rursus ratiocinium adhibet dicens: *Matth. 7,16*: *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? v. 17: Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor, malos fructus facit. v. 18: Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.*

Quod autem dicit, hujusmodi est: Nihil habent mite vel dulce; pellem solum ovis gestant, ideo facile internoscuntur. Et ne vel minimum dubites, naturalibus necessitatibus comparat ea quae aliter fieri non possunt.

8082 Quod etiam Paulus dicebat, *Rom. 8,6*: Nam prudentia carnis mors est... *v.7*: Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta: nec enim potest. Quod autem illud secundo ponat, non est superflua reperitio verborum; ne quis enim diceret: arbor mala fructus quidem fert malos, sed fert etiam bonos, et cum duplices ferat, difficile est illos internoscere: at res, inquit, non ita se habet; malos tantum affert, bonos nunquam; ut et contrario.

8083 - Quid igitur? Annon est vir bonus qui malus efficiatur, ac vicissim dicendum e contrario? Multis hujusmodi exemplis plenum est hominum genus.

- Sed Christus non illud dicit: nempe non posse malum hominem mutari, neque bonum cadere; verum donec in nequitia perseverat, bonum non afferet fructum.

Mutari enim potest, et ex improbo bonus effici; sed in nequitia manens fructum non afferet bonum.

- Quomodo ergo David bonus cum esset, fructum malum tulit?

- Non manens bonus, sed mutatus: qui si perpetuo mansisset qualis erat, nunquam talem fructum tulisset; nam si in virtutis gradu mansisset, non ausus esset talia perpetrare.

8084 Haec autem dicebat ut temere obloquentium et criminantium ora fraenaret. Quia enim plurimi bonos ex improbis aestimant ut illis omnem excusationem adimeret, hoc dixit. Neque enim dicere possis: Circumventus sum et deceptus; nam accuratam tibi dedi ex operibus notitiam, jubens per ipsos actus procedere, neque omnia temere turbare. Deinde quia non eos ulcisci jussit, sed cavere ab illis, ut eos qui ab illis laederentur consoletur, simulque deterreat, et in meliora convertat, poenam ab se ipsis infligendam statuit et firmavit dicens:

8085 *Matth. 7,19: Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.*

Deinde sermonem aliquantulum temperans, intulit: *Matth. 7,20: Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Ne autem comminationem maxime videretur inducere, quasi per admonitionem et consilium videtur illorum animum movere. Hic vero mihi Judaeos subindicare videtur, qui tales proferebant fructus.